


PRÆCIPUÆ D. N. JESU CHRISTI

ESCHATOLOGICÆ SENTENTIÆ

COMMENTARIIS QUIBUSDAM EXPOSITÆ

PRÆCIPUÆ D. N. JESU CHRISTI

SENTENTIÆ ESCHATOLOGICÆ

COMMENTARIIS QUIBUSDAM EXPOSITÆ

A REVERENDO PATRE
FRANCISCO SEGARRA, S. J.
IN ARCHIEPISCOPALI SEMINARIO VALENTINO
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

DOMUS EDITRIX «FAX»
APARTADO, 8.001 - MADRID

APPROBATIONES

IMPRIMI POTEST

Alfredus Mondría, S. J.

Præp. Prov. Arag.

NIHIL OBSTAT

Josephus M.ª Bover, S.. J

Censor

IMPRIMATUR

† **Prudentius, Archiepiscopus Valentinus**

Printed in Spain

Typis: DOMENECH Y TORRES, S. A.—Joaquín Costa, 11.—Valencia

PROOEMIUM

Nondum libellum hunc confeceramus, quum omnis paene cogitatio in alias res penitus diversas intendenda nobis fuit. Quare longum accuratumque prooemium, ubi libelli natura explicetur, componere non possumus. Unum dumtaxat notabimus. Quaestio eschatologica constat inter omnes quam sit scopulosa ac difficilis, quot quantisque obscuritatibus penitus videatur offundi. Multa sunt in ea quae declarari, enucleari, illustrari oportet. Nobis tamen propositum non fuit universam aggredi quaestionem. Ex omnibus elementis illud assumpsimus quod videtur omnium obscurissimum ac difficillimum; quod etiam cordi nobis fuit in bona luce, quantum potuimus, collocare. Itaque, ceteris omnibus praetermissis, omnem considerationem in eos locos intendimus quibus Salvator noster magna, ut adversarii volunt, perspicuitate appropinquantem vel etiam instantem adventum suum ad omnes homines judicandos, ea ipsa suorum aequalium aetate, praenuntiat. Errorem hunc gravissimum, pro nostra parte, stirpitus evellere conati sumus.

Dulce est pro Jesu laborare! Hic autem perpetuus fuit ad non deficiendum stimulus in tam difficili et gravi labore. Rude solum et imperfectum quiddam post tantum laborem exhibe-

mus: sed alii inchoata perficient, rudia formabunt, totum opus absolvent, ad gloriam Jesu cui servire regnare est, pro quo laborare et requies et praemium.

Scribebamus 19 Augusti, anno 1940, die festo Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis, cui, ut Cordi etiam Jesu Sacratissimo, nos et omnia nostra in aeternum volumus consecrata.

CONTRACTA QUAEDAM SIGNA

CB = (Corpus Berolinense) Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausg. von der Kirchenväter-Kommission der Königl. preuss. Akademie der Wissenschaften (zu Berlin). Leipzig, 1897 sqq.

CV = Corpus (Vindobonense) scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis Academiae litt. caesareae Vindobonensis. Vindobonae 1866 sqq.

DTC = Dictionaire de théologie catholique, publié sous la direction de A. Vacant, E. Mangenot et E. Amann. Paris 1903 sqq.

F = Funk F. X, Patres apostolici, ed. 2, 2 vol., Tubingae 1901; id., Didascalia et Constitutiones Apostolorum, 2 vol., Paderbornae 1905.

ML MG = Migne J. P., Patrologiae cursus completus. Series prima latina, Parisiis 1844 sqq.—Series graeca, Parisiis 1857 sqq.

MGh = Monumenta Germaniae historica edidit Societas aperiendis fontibus rerum germanicarum medii aevi. Berolini, Hannoverae.

Msi = Mansi, Joann. Dominici, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio. Parisiis, Lipsiae-Arnemii, Lipsiae 1901 sqq.

TU = Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, herausg. von O. v. Gebhardt und A. Harnack, Leipzig 1883 sqq.

CONTRACTA QUAEDAM SIGNA

CB = (Corpus Berolinense) Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausg. von der Kirchenväter-Kommission der Königl. preuss. Akademie der Wissenschaften (zu Berlin). Leipzig, 1897 sqq.

CV = Corpus (Vindobonense) scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis Academiae litt. Caesareae Vindobonensis. Vindobonae 1866 sqq.

DTC = Dictionnaire de théologie catholique, publié sous la direction de A. Vacant, E. Mangenot et E. Amann. Paris 1903 sqq.

F = Funk F. X. Patres apostolici, ed. 2, 2 vol. Tubingae 1901. Id. Didascalia et Constitutiones Apostolorum 2 vol. Paderbornae 1905.

ML MG = Migne J. P. Patrologiae cursus completus. Series prima latina, Parisiis 1844 sqq.—Series graeca, Parisiis 1857 sqq.

MGh = Monumenta Germaniae historica, edidit Societas aperiendis fontibus rerum germanicarum medii aevi. Berolini Hannoverae.

Mi = Mansi, Ioann. Dominici Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio. Parisiis, Lipsiae-Arnhemii. Lipsiae 1901 sqq.

TU = Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, herausg. von O. v. Gebhardt und A. Harnack Leipzig 1883 sqq.

Præcipuæ D. N. Jesu Christi eschatologicæ sententiæ

Commentariis quibusdam expositæ

Aditus ad causam et ingressio

Religioso quodam et sacro timore aggredimur ad eos exponendos Scripturarum locos qui fortasse ex universo Novo Testamento maxime difficiles et obscuri sunt, qui proinde obscuritate ista vehementer animos commovent atque percellunt: locos dicimus qui e s c h a t o l o g i c i vocantur. lis quidem locis, non multo abhinc tempore, comparasse sibi videbantur heterodoxi complures adversus id, quod in nostra religione sanctissimum est, fortissimam machinam praecipuumque tormentum; bellicis clamoribus omnia personabant, medioque in tumultu solum ipsum vacillare videbatur. Tempus illud abiit: vehemens in Germania eschatologismi propugnator, Albertus Schweitzer, paene evanuit, ejusque liber G e s c h i c h t e d e r L e b e n - J e s u - F o r s c h u n g multum jam abest ut eosdem, quos antea, plausus excitet animorumque commotionem; Loisy, cujus usque ad annum 1910 universa scripta maximum momentum in eschatologica interpretandi ratione collocabant, ab ea discessit ut r e l i g i o n u m c o m p a r a t a r u m magistros ipse deinceps auctores et duces haberet; in Anglia etiam ceteris-

que nationibus eschatologica schola multum dedit loci multumque cessit, novarum compulsa opinionum commentis, ejusque oculi non jam ardent, ut 30 abhinc annis ardebant, terribiles et minaces. Itaque id jam scribimus temporis quum totam hanc causam animo tranquillo ac sereno in sincerum judicium adducere possumus, minore etiam periculo ne, quasi belligerantium more, in extrema veniamus, et quod praesentis pugnae ardor efficere consuescit, rem extra modum aut extenuemus aut augeamus.

Contra catholicam religionem deprompta e locis eschatologicis ratio est illa quidem cum manifesta, tum praeterea apta quae brevi comprehendatur. Videlicet, «Christus saepenumero, et quidem plane atque perspicue, praedixit aetatem unam seu, ut novo verbo eodemque pervulgato utamur, g e n e r a t i o n e m hominum unam non ante effluxuram quam Ipse, gloria et majestate clarus, super caeli nubes iterum veniret ut Dei regno perfectionem omnem in perpetuum absolutionemque donaret. Atqui nihil tam potest esse manifestum quam haec omnia falso esse praedicta: Christus igitur neque est neque verus esse potest Legatus divinus. Atque hoc ipso funditus ruit, violatum atque eversum, fundamentum unicum quo nixa Ecclesia catholica sustinetur et stat». Conclusione hac nihil gravius esse potest: ejus efficientia maxima est; perspicua etiam videtur, si morali judicio aestimatur; frustra vero mortiferam ejus vim ut effugeremus metaphysicis quibusdam et argutis conniteremur.

Loci, quibus enuntiatum primum adversarii stabilire conantur, quatuor imprimis sunt: 1. Christus, quum discipulis munus committit adeundi praedicando «oves quae perierunt domus Israel», haec illis praedicit: «Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis,

non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis» (1).—2. Christus, quum se extremis temporibus asserit esse venturum «ut reddat unicuique secundum opera ejus», continuo subjicit: «Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo» (2).—3. Christus ante Summum Pontificem gravissime pronuntiat: «[...]amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli» (3).—4. Tandem, qui locus propter rei gravitatem sejungi solet separatimque perscribi, Christus a discipulis interrogatus cum de tempore excidendi urbis Hierosolymae templi tum de alterius signis adventus atque finis mundi: a) primum quidem eadem descriptione conjungit, in eadem quasi tabula depingit, eodem prospectu exhibet templi Hierosolymarii eversionem, et gloriosum adventum suum, et universorum interitum; b) deinde totam descriptionem gravissima hac affirmatione concludit: «Amen dico vobis quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant» (4).

Non defuit, ut aequum erat, multiplex apud catholicos expositio atque defensio; etiam nunc R. Patris Billot, ut scriptorem unum exempli causa nominemus, gravi copiosaque disputatione (5) aures personant nostrae. Quod si res ita se habet, ecquid nobis obtinendum proponimus, disputationibus his edendis? Rem sane in se ipsa parvam, quae tamen ad obtinendam adipiscendamque veritatem non parum utilis nobis quidem videtur.

Perlustrantibus enim nobis acri animo et attento

(1) *S. Matth.*, X, 23
(2) *S. Matth.*, XVI, 28; cfr. *S. Marc.*, IX, 1 et *S. Luc.*, IX, 27.
(3) *S. Matth.*, XXVI, 64; cfr. *S. Marc.* XIV, 62 et *S. Luc.*, XXII, 69
(4) *S. Matth.*, XXIV, 34; cfr. *S. Marc.* XIII, 30 et *S. Luc.*, XXI, 32.
(5) *La Parousie*, Paris, Beauchesne, 1920

universum hujus perdifficilis controversiae cursum multiplicesque perpendentibus eorum locorum expositiones, de quibus antea loquuti sumus, mirabile illud occurrit expositiones quasdam coeptas jam esse nostra aetate proponi tamquam si essent certae, aut saltem tanta animi firmitate, in excludendis etiam aliorum sententiis, quanta nobis omnino probari non potest. Non scriptores solum, leves atque praecipites, aut speculatores solivagi, in suas immersi cogitationes et a communi rerum cursu sejuncti, verum magni etiam theologi et apologistae, judicii aequabilitate prudentiaque praestantes, explicationem aliquam probant improbantve firma nimis stabilique sententia. Ad hunc modum exempli causa (theologum autem hispanum atque domesticum eumdemque egregium afferemus, ne de exemplis longe repetitis arguamur) R. P. Beraza, quum de eschatologico sermone loquitur qui S. Matthaei XXIV capite continetur, asserit inesse evidentem repugnantiam in eo quod ad extrema tempora respiciant ea verba haec omnia v. 33 cap. XXIV apud S. Matthaeum: «...ita et vos quum videritis haec omnia, scitote quia prope est in ianuis» (1). Quum autem verba illa haec omnia, prout in v. 33 exstant, nisi ad arbitrium nostrum loqui volumus, idem continere idemque significare judicandum omnino sit quod haec omnia in proximo v. 34 continent atque significant, en terribili censoriae severitatis nota inustae manent nobiles et ab ultima antiquitate repetitae sententiae, quae viris sa-

(1) *Tract. de Deo elev., de Peccat. Orig., de Noviss.*; *de Noviss.*, sect. II, cap. III, a. I, n. 1527, p. 667, Bilbao, 1924.—Eadem firmitate R. P. Billot sic pronuntiat de verbo *generationis* quod de ejus sententia «aequalium Jesu aetatem» significat, non autem «genus, progeniem», cetera hujus modi: «Aucun doute ne semble possible à cet égard... Pareille interprétation du texte évangélique défie toute créance, et se présente comme entièrement inadmissible.» *La Parousie,* art. deuxième, pp. 39-40.

pientibus nostra etiam memoria prae ceteris probantur. Eadem fere judicii firmitate sententiam fert R. P. Grandmaison de certa quadam eorum locorum, quos supra commemoravimus, explanatione: «Ces remarques ne valent d'ailleurs que pour le grand discours apocalyptique, les autres prédictions... s'appliquant sans conteste au premier avènement de Jésus.» (1).

Reformidat animus in re adeo tecta atque involuta certae cuidam destinataeque sententiae tanta judicii firmitate quasi addici et consecrari; fierique non potest quin illius cogitationis veniat in mentem, ecquid fixas istas definitasque sententias eliciat et exprimat ardor ille atque impetus quo naturaliter fertur animus ad iis repugnandum quae omnino falsa existimamus. His omnibus moti, ut etiam pro nostra parte adjuvemus ne locorum, quibus tanta continentur mysteria, quasi extra modum interpretatio constringatur, in angustumque concludatur, ad nonnullas ingredimur exponendas animadversiones quibus id efficiamus ut de earum veritate explicationum, quae tam certo ac definito modo proferuntur, sit adhuc jure meritoque addubitandi locus, quippe cum aliae exstent probabilibus sane confirmatae rationibus. Id est imprimis nobis propositum. Illud autem obtinebimus, si locos omnes explicaverimus ea re posita atque concessa quae et nobis maxime adversari et primo saltem aspectu cum perspicua imprimis tum nihil etiam afferre videtur praejudicati, videlicet, allatos omnes locos ad alterum gloriosumque Filii hominis adventum re vera pertinere; arcanum autem illud omnia haec ad ea omnia simpliciter spectare quae S. Matthaeus toto sermone eschatologico narravit, proin-

(1) *Jésus Christ,* II, l. V, ch. 11, 3. p. 304.

de ad extrema etiam tempora quae ipsam Parusiam proxime antecedent. Itaque illa omnia nostram in explicationem libenter accipimus quibus positis atque concessis adversarii eschatologistae nihil amplius desiderant, propterea quod iis positis triumphaturos se sine ulla controversia arbitrantur.

His, quae modo diximus, conclusio tandem nostra consistet. At longior erit fortasse nobis ingrediendа via; quare ad majorem cautionem animique securitatem ita illam percurremus ut nobis praeferat lumen imprimis antiquitatis sapientia. Etenim in iis quoque causis, ut in nostra, in quibus certum de traditione argumentum, testimoniis afferendis, depromi non potest, pergratum sane theologo, per etiam utile est ea meditari, iis penitus imbui quae majores nostri tenenda atque tuenda susceperunt, ut, si fieri potest, cum iisdem etiam sentire ac docere possimus. Inchoata erit tamen ac rudis valde nostra disputatio; nihil enim fere aliud fecimus nisi monumenta quaedam dissipata collegimus. At vel solum inchoasse non inutile fortasse habebitur. Inchoatum vero opus accipient alii et absolvent.

Quod autem ad expositionis ordinem attinet, duplex locorum genus distinguendum videtur: alterum eos locos amplectitur in quibus Jesus vel simpliciter affirmat se cito esse venturum, vel auditores suos hortatur ut parati sint «quia qua hora non putant, Filius hominis veniet»; in altero sunt loci illi quibus Jesus affirmare videtur se intra finem ipsum praesentis aetatis esse venturum. Primum locorum genus, quod faciliores et tritiores sint, ad extremum breviter expedire conabimur. Commorabimur in altero, ubi quasi incultum fere et derelictum est solum ac spinae multae; atque hunc ordinem sequemur: primum quidem tres illos excutiemus locos in quibus sermo videtur esse di-

recto de Filii hominis adventu intra finem ipsum aetatis Domini Nostri; sermonem vero eschatologicum, qui aliis dicendi modis utatur, perpendemus in extremo. In tribus autem exponendis locis, quoniam alia ex aliis expositio non pendet, eum sequemur ordinem qui ad universam rem explicandam visus est nobis omnium aptissimus. Ergo a S. Matthaeo cap. XVI, v. 28 expositionis capiemus exordium.

Animadvertendum communiter

Priusquam locos singulos conamur attingere, rem non obscuram, at gravissimam tamen maximique momenti, animadvertendam putamus.

Divina Jesu Christi legatio ostendit se nobis tot et tantis firmatam rationibus ut nullos hostiles impetus reformidet, tot etiam et tam mirabiliter splendidis fulgentem argumentis ut plane fieri non possit quin animum recta cogitantem et attente cuncta perpendentem vehementer ad se trahat assensionemque eliciat et exprimat sine dubitatione constantem. «Digitus Dei est hic», non possumus quin exclamemus, veritatis maxima vi ducti atque compulsi; «ille quidem Deus O. M. gravissima haec omnia certissimaque testimonia sine controversia dedit, quae divinis consignata monumentis et signis mirabilem fidem faciunt et sancta religione constringunt.» Jam vero in hanc argumentorum copiam, quibus jure ac merito obsisti non potest, si loci eschatologici incurrunt, quam putamus significationem, quod tandem in iis momentum contineri posse existimamus?

Principio quidem vel exigua prudentia postulat ut, s i f i e r i p o t e s t , locos illos ea ratione ac via interpretemur qua inter se apte congruant et cum tota argumentorum serie cohaereant. Videlicet, si in universo argumentorum apparatu et

copia loci hi quasi puncta essent a m b i g u a, quae ipsa per se considerata, in erroribus forsitan possent haberi, sed tamen ita quoque possunt intelligi ut mirifice cum iis conjungantur et congruant quae tum integra vita Jesu tum dictorum factorumque contextus totus vehementer efflagitat, nulli omnino viro, si modo sapit ac mentis tranquillitatem constantiamque servat, integrum erit tantulum titubare; contra prudenti potius sinceroque judicio ad eam quasi impelletur interpretationem quae efficiat ut loci isti nihil sonent erroris, nullam Jesu Christi falsam praedictionem significare videantur. Quin immo, etiamsi eschatologica testimonia cum reliquis totius vitae Jesu partibus perfecte pleneque congruere non satis posset r a t i o n e p r o b a b i l i o s t e n d i eaque proinde, tamquam aenigma quoddam, obscura atque caeca permanerent, etiam tunc, dummodo ne illa in errore versari demonstraretur (adhibito demonstrandi verbo ea notione quae fixa jam est apud recentes auctores et quasi consecrata), confitendum potius esset certae vel etiam probabilis explanationis proferendae viam nobis atque rationem deesse, quam vim ipsam argumentorum atque momenta non admitteremus. Et jure quidem ac merito. Etenim vix, aut ne vix quidem, veritas ulla existit, modo aliquid momenti habeat, iis etiam non exceptis quae tamquam solum et fundamentum sunt totius vitae moralis, quam mysteriorum caligo aliquo modo non contingat atque perfundat. Itaque ad omnem veritatem c e r t a m, evidentiam anquirere perfectam, omni prorsus exclusa caligine, omnique umbra et recessu, eorum est tantummodo proprium qui aut mentis aequabilitate constantiaque sunt destituti aut in veri investigatione animum gerere puerilem consuerunt. Existunt plura vera, et quanto plus habent momenti, tanto fortasse plura, quae firmissima

sunt iisque nituntur argumentis quae profecto «mole sua stant»; et tamen nihilominus tenuis quaedam caligo eorum saepe lineamenta perfundit, atque aliquid quasi quadam pertinacia remanet quod nos fugit, quod nos celamur, cujus aperiendi et explicandi magis magisque datur semper locus. In hac rerum condicione, quamvis argumentorum vim contrariis minime everti magna etiam perspicuitate videamus, simul tamen explicationem non satis perspicimus in qua mens perfecte conquiescat, qua etiam illud excludatur quod vel imprudenter dubitare possimus. Criteriologia, cosmologia, psychologia, ethica, theodicea: universa denique philosophia uberem exemplorum suppeditat copiam. Quin etiam Deum esse, quae est veritas certissima atque firmissima, tamen in praestigias quasdam atque captiones incurrere ipsa potest, sophismata omnia declinare non potest. Quamobrem prudentis sane consilium est omnium momenta rationum imprimis diligentissime perpendere, pro earumque vi ac dignitate singulas res assensione approbare, nec dubitare quin assensione approbet c e r t a, si argumenta apparent ipsa per se necessario cum veritate conjuncta. Postea vero de iis adjunctis agendum est quae subobscura aut etiam obscura et abdita esse videantur, locumque dare captionibus possint; quae quidem adjuncta, vel ex eo solum quod probationibus demonstrari non possint ipsa esse contraria, vim probationum nullam elidunt sed integram omnino relinquunt. Sane istius ordinis praeposteram immutationem dixeris altissimam esse radicem unde perversitas illa mentis existit qua non pauci, in re praesertim religiosa et morali, turpiter inquinantur. Sunt profecto qui non parva eorum calamitate ea, quae in his causis obscura ipsis videntur, omni acie contemplantur, contrariis se rationibus percelli sinunt in iisque intemperanter haerent et

commorantur, saepe quidem ob quamdam mentis debilitatem et, ut ita dicamus, ob amissam debitam animi sanitatem, sed aliquando etiam malitiosa, nescio qua, delectatione; atque hoc pravo modo affecti, in ipsa argumenta mentis aciem negligenter intendunt, quorum tamen vim atque momenta imprimis diligentissime perpendere debuerant. Ante repugnant quam considerant; initium faciunt ab arguendo et disputando, quum ita exordiri deberent ut primum tacerent, discerent, sincero nec superbo animo anquirerent. Peccato isto liberet nos Deus.

Itaque aggrediamur jam ad eschatologicos locos explicandos. Quemadmodum supra diximus, id unum agimus ut explicationes, quae hujus modi locos ad alterum atque gloriosum Filii hominis adventum pertinere decernunt, p r o b a b i l e s esse monstremus. Quod si quis sibi ultra progrediendum putabit, nos quidem illi non repugnabimus.

CAPUT PRIMUM

De loco apud S. Matthaeum, cp. XVI, v. 28

«...Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.» (1).

Postremus versiculus animum prima lectione conturbat et quasi ictu fulminis concutit. De illo sic scribit R. P. Lagrange: «Ce texte est de beaucoup le plus fort pour l'opinion qui attribue à Jésus une prédiction formelle de la prochaine fin du monde» (2). Pro sua vero parte, apostata Loisy quoscumque interpretum conatus, qui alterum atque gloriosum Christi in breve tempus adventum hoc versiculo praedici non videant, irritos esse pronuntiat: «Les efforts des interprètes pour limiter la prophétie au miracle de la transfiguration, qui va être raconté, ou à la résurrection du Christ, à la fondation de l'Eglise, à la ruine de Jérusalem, échouent devant l'extraordinaire lucidité du texte évangélique...» (3).

Nolumus nunc varias, quae umquam prolatae sint hujus versiculi, enumerare explanationes, multoque minus certam aliquam ex illis directo refutare. At utique ab initio affirmare volumus jam inde ab ultimis temporibus viam satis apertam per Patrum traditionem nobis esse datam qua unum

(1) *S. Matth.* XVI, 27, 28.
(2) *Rev. Bib., L'avènement du Fils de l'homme,* 1906, p. 563.
(3) *Les Evang. Synopt.,* II, XLI, p. 28, Ceffonds, 1908.

saltem elementum, quod permagni est momenti ad interpretandum, ostenditur; quapropter necesse erit illud ante oculos ponere et in tota expositione perpetuo tenere. Rem vero mirabilem! Eadem Patrum majorumque traditio plura dat eademque sat manifesta indicia quibus alterum gloriosumque Christi adventum hac Evangelii sententia expressum esse videamus, neque tamen illum brevi post tempore, scilicet ea aetate qua vixit Christus, jure ac merito futurum colligamus. Sed jam ad rem ipsam causamque veniamus; gradatim tamen progrediemur quoad pervenimus ad terminum.

PARS PRIMA

Interpretationis initia

Et primum quidem, quodnam Sancti Patres suppeditant totius interpretationis quasi fundamentum? In dubium res venire non potest, quum de facto agatur penitus comprobato. Videlicet ad extremum usque VI saeculum, quo tempore, auctore et magistro S. Gregorio Magno, novum quiddam, ut postea videbimus, ad interpretationis copiam eruitur, Sancti Patres ceterique scriptores ecclesiastici, omnes ad unum, multitudine satis frequenti, Domini Nostri Jesu Christi transfigurationem eamque solam, etsi perfecta et arcana quadam significatione adhibitam, demonstrant tamquam id quo promissum illud servatur: «...Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo» Potiori jure affirmare possumus neminem nobis neque de Sanctis Patribus neque de antiquis ecclesiasticis scriptoribus unum esse notum qui Salvatoris transfigurationem a suis umquam explicationibus excludat.

I

Sacra Scriptura

Nec mirum. Modum enim istum considerandae rei, qui Sanctis Patribus cordi fuit, prima lectione tres synoptici suggerunt. Fortasse autem solum aliarum rationum coactu, exempli causa gravium timore contrariorum quae specie prima consequuntur, venam diversarum interpretationum anxius animus perquirit et tentat. Profecto post adductum promissum S. Matthaeus ita continuo pergit: «Et post dies sex assumit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum; et transfiguratus est ante eos...» (1). Locutionis concinnitas, quam anteit conjunctio e t, est imprimis apta valde quae arctiorem exprimat copulationem. Praeterea experiendi gratia pro his verbis «...donec videant Filium hominis venientem in regno suo» substituantur haec alia: «...donec videant Filium hominis in gloria sua» —quod antiqui nonnulli legerunt—; tunc vero manifesta videbitur et plana proxime antecedentium cum transfiguratione conjunctio. Ergo subjecta loco m a t e r i e s, arcanum illud praesertim «v e n i e n t e m i n r e g n o s u o» magna ex parte ad id confert ut Salvatoris promissum transfigurationemque disjuncta videamus. Idem commissurae modus eademque concinnitas apud S. Marcum existit quae apud S. Matthaeum; simillima vero apud S. Lucam qui ut magis etiam emineat facere videtur: «Factum est autem p o s t h a e c v e r b a fere dies octo, et assumpsit Petrum et Jacobum et Joannem et ascendit in montem ut oraret...» (2). De hac conjunctione eo impetu, quo solet, atque vi sic scribit R. P. Billot:

(1) XVII, 1-2
(2) IX, 28.

«Il était impossible de mieux souligner la connexion de la précédente promesse avec la vision dont furent favorisés les trois apôtres sur le Thabor» (1). Etsi eamdem nos sententiam tanta vi confirmare non audemus, verbis tamen illis Salvatoris «s u n t q u i d a m...» conjunctionem aliquam cum transfiguratione intercedere, ut jam diximus, lectione suggeri atque indicari omnino judicamus.—Tandem accedit illud quod, si versus 28 ad transfigurationem refertur, haec autem eo modo adhibetur eaque plena significatione quae a nobis postea explanabitur, omnia cum antecedentia tum consequentia naturali colligatione conserte contexteque fluunt, prout deinde post interpretationem datam sine dubitatione constabit.

Atque jam ad Sanctos Patres accedamus.

II

Quid doceant ac teneant Sancti Patres Saeculis II et III

Alterum et tertium saeculum Sancti Patres locum nostrum S. Matthaei similesque Sanctorum Marci et Lucae raro attingunt et quasi praetervolant.

Per Clementem Alexandrinum mutila quaedam T h e o d o t i gnostici (c. 140) monumenta habemus accepta in quibus S. Matthaei loco transfigurationis sententiam subjectam esse jam cernimus. Dominus —ait Theodotus— «...cum in monte ab apostolis in gloria visus est, non propter se ipsum fecit cum se ipsum ostendit, sed Ecclesiae suae gratia... Praesertim quum impleri illum Servatoris sermonem oporteret quem pro-

(1) *La Parousie*. art. sixième, p. 188.

tulerat: sunt quidam ex illis qui hic astant, qui mortem non gustabunt usquedum conspiciant Filium hominis in gloria. Petrus itaque et Jacobus et Joannes viderunt et obdormierunt» (1). Patet locum esse S. Matthaei proprium; paulum vero immutatur atque ita conformatur quo facilius ad transfigurationem referri queat. Pro «ἕως ἂν ἴδωσιν τὸν Υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ», simpliciter adhibetur «...τὸν Υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐν δόξῃ».

Etsi circuitione quadam et anfractu, possumus tamen Tatiani testimonium (fl. 165) ratione satis probabili afferre. Tatiani Diatessaron per Sancti Ephraem commentarios, qui in armenam linguam conversi ad nos usque pervenerunt, constat magnam partem esse nobis conservatum ac retentum. In his commentariis notus ille versiculus 28 ex capite XVI S. Matthaei: «Sunt quidam de hic stantibus...» atque versiculi 1-9 ex capite XVII, quibus transfiguratio describitur, colligati et quasi totum quoddam efficientes occurrunt. Antecedentium enim versiculorum, qui proxime sunt expositi, postremus est 23 e capite XVI, in quo S. Petri objurgatio continetur. Itaque integra Domini ad ferendam crucem cohortatio praeteritur (vv. 24-26); brevis etiam reticetur illius postremo die, tamquam Judicis, adventus descriptio (v. 27), quacum id, quod v. 28 continetur, scholae eschatologicae sectatores arcte conjungendum esse decernunt, quum tamen iidem ut v. 28 a consequentibus, id est, a transfiguratione prorsus sejungatur, vehe-

(1) CB, v. 17 (*Clem. Alex.* III), ed. *Stählin*, *Excerpta* ex *Theodoto*, 4, 1-3, p. 106.—Interpretatio latina de *Migne* sumpta est, vix ullo verbo dempto aut immutato: MG, 9, 655. Atque deinceps, quando opus erit, monumenta graeca in latinum conversa producemus, eadem fere usi libertate.

menter sibi contendendum putent. Jam vero, quando quidem brevis hic versiculus 28 totum quoddam efficere per se ipse solus non videtur, quasi unum esset de sideribus errantibus solutum atque vagans inter ea quae Caesareae Philippi gesta narrantur et transfigurationem, ergo de Tatiani sententia versiculus 28 a tribus synopticis cum transfiguratione post illum proxime narrata jungi videtur ut totum quoddam una cum ea efficiat atque constituat (1).

Duae istae Theodoti Tatianique auctoritates suspectae jure viderentur, si illorum errores leviter vel etiam levissime in eas influxisse constaret. Verum nihil admodum istorum. Praeterea, quum Tatiani opus idcirco esset conscriptum ut, quod re vera accidit, latissime manaret in vulgus, Tatianum hac in re novare, quae ad ejus errores nihil habebat momenti, et inaudita loqui verisimile non videtur (2).

Fieri non poterat quin magnus ille vir, O r i g e n e s (254/5), totum hunc locum attingeret quum Sacram Scripturam subtiliter copioseque interpretaretur; fieri etiam non poterat quin eo sincero judicio, quod tum traditionis sensu imbutum tum simul temeraria quadam audacia implicatum atque permistum ipsius nota quasi propria videtur, ad eum aggrederetur explicandum.. Attingit autem hunc locum in S. Matthaei commentariis. Et

(1) *Ev. concord. exposit. facta a S. Ephraemo*, cp. 14, ed. *Aucher-Moesinger*, p. 155 sqq., Venetiis, 1876.

(2) In Diatessaron latine reddito quod Victoris Capuani vigilantia in *Cod. Fuld.* Vulgatae N. T. refectum atque descriptum est (*Cod. Fuld., N. T. latine interprete Hieronymo ex manuscripto Victoris Capuani* edidit prolegomenis introduxit, commentariis adornavit Ernestus Ranke, c. XCII; Marburgi et Lipsiac, 1868, p. 86: cfr. ML 68, 299; quod apud Migne capiti XCII ex Ranke respondet, caput est XCI) atque etiam in exemplari refecto et in arabicum verso quod vicissim in latinum conversum a *P. A. Ciasca* (Romae 1888) editum est, versiculus «*Sunt quidam...*» transfigurationis descriptioni tamquam caput praeponitur.

primum quidem certiores nos facit interpretationem novam non esse, etiamsi locus ad transfigurationem transfertur: «Haec referunt nonnulli ad trium apostolorum in montem excelsum cum Jesu ascensum... et ajunt quidem qui expositionem hanc tuentur, non gustasse mortem Petrum et reliquos duos antequam viderint Filium hominis venientem in regno suo, et in gloria sua (1). Videntes enim transformatum Jesum coram se ita ut splenderet facies ejus —et reliqua— viderunt regnum Dei veniens in virtute» (2). Deinde subjungit Origenes quid ipse de hac interpretatione sentiat: «Haec autem expositio... iis convenit qui, sicut a Petro appellantur, facti sunt s i c u t m o d o g e n i t i i n f a n t e s, r a t i o n a b i l e s i n e d o l o l a c c o n c u p i s c e n t e s... (3). Sed qui a lacte depulsus est... in istis ut in tota Scriptura quaesiverit cibum, qui alter est ab eo cibo qui cibus quidem est, at alimentum solidum non est, et aliud ab iis quae olera tropice appellantur &» (4). Quapropter in hujus simplicis interpretationis locum, iis tantum accommodatae qui ad reconditiora pervenire non possunt, substituere et supponere vult tamquam «solidum cibum» altiores quasdam interpretationes. Facile est in his Origenis verbis sensum Traditionis agnoscere. Quod hanc interpretationem, planam atque simplicem, ut «r a t i o n a b i l e s i n e d o l o l a c», propriamque solum «m o d o g e n i t o r u m i n f a n t i u m», iis

(1) Multi scriptores antiqui S. Matthaei locum afferunt aliquantulum immutatum; nam in illius membri locum ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ crebrius substituunt ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ. Origenes modum utrumque conjungit.

(2) MG 13, 1052-1053.—Quod ad graecum attinet, cfr. CB, v. 40 (*Orig.* X), ed. Klostermann, pp. 136-138.

(3) I *Petr.* II, 2.

(4) Lc.

interpretationibus opponit Origenes altis atque reconditis quas suo marte deinde proponit «Τὰ οὖν εἰς τὸν προκείμενον τόπον βλεπόμενα ἐπὶ τοῦ παρόντος ἡμῖν», satis aperte declarat primam interpretationem «ὡς πρὸς τὴν λέξιν» (1) factam, quam ex hoc genere unam Origenes commemorat, magni doctoris alexandrini tempore in communibus infixam esse jam sensibus, in iisque numerari quibus, tamquam sano cibo et puro liquidoque lacte, fideles alebantur.

Saeculo IV

Ingredientibus nobis in saeculum IV, non jam interpretes solum inglorii atque ignobiles —quorum tamen testimonium magni est putandum, quum interpretationi eo tempore communi, tamquam imago, resonare videatur—, sed magni etiam Ecclesiae Doctores occurrunt qui S. Matthaei locum e Domini Nostri transfiguratione interpretantur. Talibus nobilitata magistris, interpretatio haec ad immortalitatem videtur jam esse consecrata.

Ad Occidentem veniamus, ubi duo praeclari viri eminent, iidemque universae Ecclesiae Doctores: S. Hilarius (367) et S. Ambrosius (397). S. Hilarius ob diuturnum cum Oriente commercium, magnus vero Episcopus Mediolanensis praecipuorum auctorum etiam graecorum exegeticis et theologicis institutionibus eruditus, videntur in se ipsi utriusque Ecclesiae Occidentis et Orientis suffragia auctoritatemque conjungere.

Quae transfigurationi cum proximis Salvatoris monitis de sua cujusque negatione animique salute (vv. 24-27) intercedat conjunctio, S. Hilarius in S. Matthaei commentariis magna perspicuitate

(1) Lc., col. 1065; CB, p. 150.

declarat. Primum verba illa commemorat A m e n, a m e n d i c o v o b i s, q u o n i a m s u n t a l i q u i d e a d s t a n t i b u s i s t i s...; deinde subjungit: «Docet Dominus et rebus et verbis, et fidem spei nostrae aequaliter sermo atque opus instruunt. Grave enim onus infirmitati humanae imposuerat... Opus ergo erat veri ac manifesti exempli auctoritate, ut contra vim sensumque judicii optabile fieret praesentium damnum, lucro deinceps non ambiguo futurorum. Igitur postquam et tollendam crucem et perdendam animam et damno mundi commutandam vitae aeternitatem monuerat, conversus ad discipulos, ait ex his futuros, qui gustaturi mortem non essent, donec filium hominis in regni sui gloria contuerentur» (1). Locum transfiguratione declarari manifestum est; nam ita pergit explicare Sanctus Doctor: «...Itaque verba res sequitur. Nam post sex dies &» (2). Locus etiam accurate adducitur, tametsi aliquantulum in commentariis immutatur: «donec filium hominis in regni sui gloria contuerentur».

In libro quodam posterius edito, D e T r i n i t a t e, exilii tempore in Orientis regionibus elaborato, S. Hilarius verborum vim subtilius interpretatur uberioresque illius membri «venientem in regno suo» affert explanationes (3). Disserit ibi Sanctus Doctor de loco illo S. Pauli paulo abstrusiore «C u m a u t e m d i x e r i t, o m n i a s u b j e c t a s u n t...» (4). Nostra nihil nunc interest de germana Sancti Doctoris interpretatione disputare (5). Illud satis fuerit notare quod S. Hi-

(1) ML 9, 1012-1013.
(2) Lc.
(3) *De Trinit.*, l. XI, n. 21 sqq.; ML 10, 414 sqq.
(4) I *ad Cor.*, XV, 26 sqq.
(5) Cfr. «*Praefatio Generalis*». V, initio operum Sancti Doctoris apud *Migne* PL 9, 87 sqq.

larius, ut explanet quo Christus modo in suo corpore per ejusdem gloriam regnet, locum affert S. Matthaei: «Et quidem gloriam regnantis nunc corporis sui Evangelica non tacent. Ita enim scribitur. Domino dicente: A m e n d i c o v o b i s q u o n i a m s u n t a l i q u i d e a d s t a n t i b u s i s t i s... e t factum est p o s t d i e s s e x a s s u m p s i t J e s u s P e t r u m.... Gloria itaque venientis in regnum corporis Apostolis demonstrata est; nam in habitu Dominus gloriosae transformationis suae constitit, regnantis corporis sui claritate patefacta» (1). Hoc loco animadvertendum est arctissimum vinculum, si sententiae vis consideratur, quod versiculo 28 capitis XVI cum versibus primo et seqq. e capite XVII intercedere vult S. Hilarius; etenim verba illa «Et factum est post sex dies...» affert ut id appareat quo promissum illud Christi servatur, fore scilicet ut «gloriam regnantis corporis sui» aliqui essent visuri priusquam mortem obirent. Quare concludit Sanctus Doctor: «Gloria itaque venientis in regnum corporis Apostolis demonstrata est, nam in habitu Dominus gloriosae transformationis suae constitit...».

In Scripturae commentariis studio ductus S. A m b r o s i u s universae ad rem traducendae disputationis animorumque saluti consulendi, imprimis solicitus esse videtur quidnam possit e Sacrae Scripturae verbis ad mores disciplinamque deduci. Unde expositiones illae existunt inchoatae quodammodo atque rudes, ubi varia saepe inculcantur, ubi quasi festinanter ac paene confuse, celeri constantique motu coacervantur explanationes morales, nominum verborumque enodationes, explicationes, exempla, animi quoque effusiones, angores, curae, quibus omnibus sanc-

(1) *De Trinit.*, l.c., n. 37; ML 10 423.

tissimus atque optimus pater filiis consulere vult, raris illis ac subsicivis temporibus usus quae grave et arduum pastoris munus libera illi relinquit. Quod si hac de causa Scripturarum interpres, dum legit, nonnumquam subirascitur, contra qui asceticam et moralem Theologiam profitentur, complures easque peroportunas animadversiones et rerum ipsarum quasi contemplationes saepenumero invenient moderato et nobili quodam modo pleno romanae majestatis expressas, motus praeterea animique sensus tanto inflammatos ardore ut, quum de viro agatur ad res potius gerendas natura ipsa conformato et tot tantisque negotiis distento, fieri non possit quin magnam id moveat admirationem.

Nostra in causa idem notare licet. Verborum enim accuratam interpretationem Sanctus Doctor curare minus videtur. Similiter historicam sententiae veritatem, ut saepe alias, sic in nostri loci expositione tamquam rem apertam et planam omittit. Ejus solicitudo alias anquirit sententiarum formas, longius fortasse repetitas et a c c o m m o d a t a s, quae tamen ad animorum salutem aptiores illi esse videantur. Nihil refert S. Ambrosium in S. Lucae interpretatione versari, nam locus apud S. Lucam loco respondet S. Matthaei quo postremus capitis XVI versus primique novem e capite XVII continentur. Hoc posito, quidquid est de sententiis quibusdam ad mores accommodatis atque extra vim verborum, illud certum videtur quod ita S. Doctor interpretationem texit ut 27 versus e capite IX S. Lucae: s u n t a l i q u i h i c s t a n t e s q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m d o n e c v i d e a n t r e g n u m D e i, et integra transfigurationis descriptio totum quoddam illi arcte compactum et coagmentatum esse videantur. Et re quidem vera, clauditur nostri Sancti commentarius versu 22 e S. Lucae capi-

te IX: orditur deinde a 27 versu «s u n t a l i q u i h i c s t a n t e s...», iis, qui omissi sunt, versibus strictim commemoratis, pervenitque ad 36 versum, qui est in transfigurationis descriptione postremus; quo explicato variisque subsequentibus versiculis quasi duobus et viginti praetermissis, texitur iterum commentarius. Omnes ergo versiculi isti de S. Ambrosii sententia totum quoddam componere videntur. Sane S. Doctoris sermo, tametsi verborum negligentior, id satis aperte significat. Ita exempli causa scribit: «Ergo ut scias quia Petrus, Jacobus et Joannes mortem non gustaverunt; gloriam resurrectionis videre meruerunt; solos enim tres istos post haec fere verba in diebus octo assumpsit et duxit in montem» (1). Illa his verbis affertur ratio propter quam S. Petrus, S. Jacobus, S. Joannes mortem non obierint, quod ad transfigurationem contemplandam delecti fuerunt; uterque igitur locus totum quoddam efficit (2).

Uberiora suppetunt in Oriente testimonia. Mittamus interea magnos tres Cappadoces S. Basilium, S. Gregorium Nazianzenum, S. Gregorium Nyssenum, quippe qui sententiam praecipue notent quae nobis erit deinceps enucleanda studiosius.

E u s e b i u s C a e s a r i e n s i s (339/340) in operibus, quae ipsi certo adscribuntur, nostrum locum leviter interdum strictimque perstringit. Exempli causa in libris D e E c c l. T h e o l. Je-

---

(1) *Exposit. in Luc.*, l. VII; ML 5, 1785 sqq.—Allata verba exstant in n. 6, col. 1788.

(2) In Psalmi 118 expositione ad ipsum judicii diam locum refert Sanctus Doctor, transfiguratione de medio remota; verum tota expositio ad mores deducta est: «...denique alii descendunt in infernum viventes, alii, cum sint corpore mortui, meritis suis vivunt; sunt enim qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis die judicii revertentem, quando cum gloria sancti resurgent». CV, *S. Ambrosii* opera, pars V, *exposit. Ps. CXVIII*, ed. *M. Petschenig*, n. 47, p. 108; ML 15, 1334.

sum ait in transfiguratione tribus praecipue dilectis discipulis ostendisse «εἰκόνα... τῆς βασιλείας αὐτοῦ» (1), quae verba sat manifesto respiciunt illud «d o n e c v i d e a n t v e n i e n t e m i n r e g n o s u o». Multo jam clarius locum nostrum attingit seu etiam proprie designat et exponit in quibusdam S. Lucae commentariis, qui tamen Eusebio non certo adscribuntur. Postea quam Dominus proximam mortem significavit, et ad se, amittenda etiam vita rebusque omnibus praesentibus, sequendum est cohortatus, «...ne oratione tantummodo solisque verbis videretur persuadere, necessario ad opera venit, ipsis eorum oculis divini regni sui objiciens imaginem «αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς δεικνὺς αὐτοῖς τὴν εἰκόνα τῆς θεϊκῆς αὐτοῦ βασιλείας». Quapropter quum dixisset fore ut ipse illum erubesceret, qui se erubuisset, quo tempore cum Patris sui gloria adveniet, deinde pergit dicere: V e r e a u t e m d i c o v o b i s s u n t q u i d a m &» (2). Quod autem transfiguratio imago ista est, ex ipsa sermonis concinnitate concluditur, siquidem proxime haec sequuntur: «Et in transfiguratione quidem tres tantummodo &». Haec autem cum antecedentibus ita jungi ut totum constituatur, primum quidem ipsa conjunctio monstrat; deinde arctum intercedere vinculum ex consequentibus eruitur in quibus Apostoli transfiguratione vidisse dicuntur «τὴν δυνάμει ὀφθεῖσαν αὐτοῖς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν»; postea, sumpto tamquam fixo atque concesso regni Dei videndi promissum transfiguratione servari, solum insigne facit discrimen inter transfigurationem et alterum gloriosumque adventum (3).

S. E p i p h a n i u s (403 locum: S u n t d e

(1) Lc., I, III, cp. X; MG 24, 1017.
(2) MG 24, 548-549.
(3) Lc., col. 549.

hic stantibus qui non gustabunt mortem &, data opera non interpretatur; at promissum ibi significatum transfiguratione servari perspicue asserit (1). Solum postrema verba leviter immutat; etenim pro in regno suo scribit in gloria sua.

Magnus Ecclesiae Doctor S. Joannes Chrysostomus (407), eodem modo quo S. Epiphanius, transfigurationem demonstrat tamquam id quo promissio servatur. Transfiguratione enim vult Dominus «τὴν ὄψιν αὐτῶν πληροφορῆσαι καὶ δεῖξαι τίς ποτέ ἐστιν ἡ δόξα ἐκείνη, μεθ' ἧς μέλλει παραγίνεσθαι» (2). Maxima S. Joannis Chrysostomi auctoritas, ejusque in interpretando sanum sincerumque judicium perpetuam huic explicationi vitam, cum in Oriente, tum in universa etiam Ecclesia tuebuntur atque servabunt. Quintum saeculum ceteraque deinceps saecula potiori jure quam saeculum quartum habebitur transfiguratio tamquam id quo promissum illud Salvatoris efficitur «Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo».

Quartum saeculum antequam concludimus, S. Ephraem (373), universae Ecclesiae Doctorem, testem audiamus. Ex ejus Diatessaron in latinum converso obscura quaedam videbuntur, si separatim considerantur; de universo tamen dubitandi locus non est. Tota explicatio, quae post 28 versum proxime consequitur, in transfiguratione versatur. Transfigurationem appellat etiam regnum, qua quidem voce revocatur animus ad illius clausulae memoriam «...venientem in

(1) *Panarion, haer.* 69, n. 79; CB v. 37, (*S. Epiphan.* v. III), ed *Holl*, pp. 227-228.—MG 42, 332; numerus apud Migne est 77.
(2) *In Matth. homil.* 56 (al. 57); MG 58, 549.

regno suo» qua utitur S. Matthaeus aut ad similium quibus S. Marcus et Lucas utuntur. Ita ergo scribit: «At si transfiguratio est regnum, quod accepit post resurrectionem, cur post resurrectionem non in hac forma apparuit?...» (1). Quin immo in eodem libro, etsi de alia re agit, breviter atque dilucide asserit Salvatoris promissum transfiguratione servari: «...Non gustabunt mortem, donec videbunt regnum Dei, quod post sex dies evenit» (2). Denique Sancto Ephraem concio adscribitur de transfiguratione, in qua cum clarissime tum dedita opera de nostra Sanctus Doctor disserit causa. Brevem locum satis erit afferre: «Viri etenim quos dixit non gustaturos mortem donec videant figuram adventus ejus, hi sunt quos assumptos duxit in montem et ostendit eis quo pacto venturus sit in die novissimo in gloria divinitatis et in corpore humanitatis suae...» (3).

Saeculo V

Saeculo V, eadem fere ratione ac modo quo saeculo IV, praestantissimi quique viri tam ex Oriente quam ex Occidente Salvatoris promissum transfiguratione servari, non obscure asseverant.

In Occidente omnibus aliis praestant S. Hieronymus (419-420) Doctor Maximus, S. Augustinus (430), Doctorum Aquila nun-

(1) Cap. 14, ed. *Aucher-Moesinger*, pp. 155-156, Venetiis, 1876.

(2) l.c., cp. 19; p 222.

(3) *S. P. N. Ephraem Syri opera omnia*, 6 vol. syriace et latine, 3 vol. graece et latine), ed. *Assemani*, Romae, 1732-1746; v. 2 graec. et lat., p. 42.—Etsi concionis summa propria esse S. Ephraem videtur, existimamus tamen eam, qualis exstat, Sancto Ephraem adscribi non posse. Etenim sententiae, quae adhibentur christologicae, adeo perfectae sunt et absolutae ut eas ex ipso Chalcedonensi Concilio dixeris esse descriptas. Itaque a recentiore videtur inculcata concio et refecta. Exempli causa sententiae postremae conferantur (l. c., p. 49).

cupatus, imprimis vero, ob Sedis saltem auctoritatem in qua excelsus sedet, S. Leo Magnus (461), cujus sententiae cum plenae majestatis existunt, tum mira concinnitate plane, dilucide explicantur; radios illas dixeris qui sereni descendunt de solio divinitatis.

Ut quem discipulis terrorem cohortatio ad crucem creavisset, ab iisdem propulsaret, alterum adventum nuntiat Jesus, quum «venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et reddet unicuique secundum opera ejus». Locum istum quum S. Hieronymus interpretatur, exhibet apostolos intus in animis quasi hoc modo disputantes: «...Occisionem et mortem nunc dicis esse venturam; quod autem promittis te adfuturum in gloria Patris cum angelorum ministeriis et judicis potestate, hoc in dies erit et in tempora longa differetur. Praevidens ergo occultorum cognitor quid possent objicere, praesentem timorem praesente compensat praemio. Quid enim dicit? Sunt quidam de hic stantibus... &; ut qualis est postea venturus, ob incredulitatem vestram praesenti tempore demonstretur» (1). Continuo transfiguratio adjungitur, quam quum describit, iterum ait S. Doctor: «Qualis futurus est tempore judicandi, talis apparuit apostolis.» Ad extremum concludit his verbis: «Futuri regni praemeditatio et gloria triumphalis demonstrata fuerat in monte» (2). Ergo de S. Hieronymi sententia, quod Salvator promisit fore ut «quidam non gustarent mortem donec viderent Filium hominis venientem in regno suo», transfiguratione factum est.

Illustrior apparet, si fieri potest, S. Hieronymi sententia in homilia 9 de S. Marco. Brevem lo-

(1) *In Matth.*, l. III; ML 26, 121.
(2) *Lc.*, 121-123.

cum describemus: «Videntes illum in monte transfiguratum, viderunt illum apostoli transfiguratum in gloria sua qualis regnaturus esset. Et hoc est ergo quod ajunt Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei: Quod factum est post dies sex...» (1).

S. Augustinus locum nostrum identidem per transfigurationem explicat. Exempli causa in commentariis Epistolae ad Galatas: «Petrus autem et Jacobus et Joannes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in monte Dominus ostendit in significatione regni sui, cum ante sex dies dixisset: Sunt hic quidam de circumstantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno Patris sui» (2). Locus manifesto est de S. Matthaeo depromptus, quamquam leviter immutatus. Breviter etiam ac dilucide in quadam concione: «Inspicienda nobis et tractanda est, charissimi, visio ista quam Dominus demonstravit in monte. Ipsa est enim de qua dixerat: Amen dico vobis quia sunt hic quidam...» (3).

Transfigurationis vim rationemque declarat ea, qua solet, majestate, pura etiam, et quasi candida et incorrupta nobilitate S. Leo Magnus. In cujus verborum locum substitui alia non possunt. Ergo sic ille: «Ut ergo istam felicis constantiae fortitudinem toto Apostoli corde conciperent, et nihil de suscipiendae crucis asperitate trepidarent, ut de supplicio Christi non erubescerent...: Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et fratrem ejus Joan-

(1) *Anecdota Maredsolana*, v. III, pars II, *Tract. sive Homil.*; Maredsoli, 1897, pp. 347-348.

(2) ML 35, 2113.

(3) *Serm.* 78, n. 1; ML 38, 490.—Non minore perspicuitate in *De consensu Evang.*, l. II, cp. 56; ML 34, 1133.

nem (Matth. XVII, 1), et conscenso cum eis seorsum monte praecelso, claritatem illis suae gloriae demostravit; quia licet intellexissent in eo majestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo Divinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Et ideo proprie signanterque promiserat quosdam de astantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent Filium hominis venientem in regno suo, id est in regia claritate quam specialiter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit esse conspicuam» (1).

Quod si praeclari hi viri, qui ceteris omnibus longe praestabant, cum in libris ad scientiam compositis, tum in concionibus et homiliis illustrem hanc et apertam regulam tenebant, ad quam omnis 28 versiculi interpretatio dirigeretur, colligamus licet quid reliqua multitudo sentiret. Verum alterius saltem scriptoris vocem, magis illam quidem submissam, gravem tamen nec auctoritate destitutam audiamus; dixeris in ea significationes etiam vocesque ex Oriente resonare.

Casianus (435) in «Collatione» quadam etsi interpretationem exponere nullam sibi directo constituit, nostro tamen loco ad asceticas ita utitur explicationes ut ejus sententia cum eorum trium Sanctorum Doctorumque quos supra commemoravimus, an penitus congruat nulla dubitandi ratio relinquatur. Ait enim: «Secundum mensuram... puritatis suae... unaquaeque mens in oratione sua vel erigitur vel formatur, tantum scilicet a terrenarum ac materialium rerum contemplatione discedens quantum eam status suae provexerit puritatis feceritque Jesum vel humilem adhuc et carneum, vel glorificatum et in majestatis suae gloria venientem internis obtutibus animae pervideri. Non

(1) *Serm.* 51 (al. 94), cp. II; ML 54, 310.

enim poterunt intueri Jesum venientem in regno suo qui adhuc... &, sed illi soli... qui de humilibus ac terrenis operibus et cogitationibus ascendentes cum illo secedunt in excelso solitudinis monte qui... gloriam vultus ejus et claritatis revelat imaginem his qui merentur eum mundis animae obtutibus intueri» (1). Ex his verbis illud clare, etsi circuitione quadam, eruitur quod de S. Abbatis sententia idem est Jesum transfiguratum videre quod Jesum videre, prout sonat promissum, «venientem in regno suo».

Saeculo V duo viri in Oriente ceteris omnibus antecellunt; postrema sunt aetatis aureae Patrum, praecipua etiam in Oriente luminaria. Inter se quidem dissentiunt, uterque tamen sanctus, quamquam sorte exituque diverso: alter in Sanctorum numerum adscriptus, Conciliorum laudibus celebratus, Ecclesiae Doctor universae; alter a Concilio Constantinopolitano II de quibusdam prave scriptis damnatus, atque heterodoxiae quasi caligine circumfusus, quamquam anticipata quadam compensatione, quae hostibus et obtrectatoribus per saecula posteriora frenos injiceret, eum postremis vitae annis, quum jam canesceret multosque annos in tuenda fortissime et amplificanda fide consumpsisset, Dominus maximo illo honore maximoque solatio affecit quod S. Leo Magnus viri integritatem castamque fidem agnovit jussitque Chalcedonense Concilium eum, tamquam orthodoxum, in consessum recipere Episcoporum. His dictis, nominavimus jam S. Cyrillum Alexandrinum (444) Ecclesiae universae Doctorem, et illustrem adversarium Theodoretum (c. 457).

S. Cyrilli testimonium multis abundat quae

(1) *Collat.* X, n. VI; CV vol. XIII, ed. *Petschenig*, pp. 291-292; ML 49, 826-827.

notari possunt peropportune. Interim illud solum eminere faciemus quod S. Doctoris judicio Servatoris promissum transfiguratione servatur. Ita scilicet ille in Commentariis S. Matthaei: «...ut eos (Apostolos) ...armet ad fortitudinem, futurae illis gloriae cupiditatem excitans, ait: Sunt quidam de hic stantibus... Petrum insinuans ac filios Zebedaei; hi enim in transformatione simul assumpti sunt, quam regnum vocat &» (1). Simili ratione in Commentariis S. Lucae (2). Idem in homilia de transfiguratione uberius exponit: «Dico vobis, inquit, sunt quidam ex iis qui hic stant, qui non gustabunt mortem... Num eis eousque vitae extendetur mensura ut ad illa perveniat tempora, post quae in consummatione saeculorum descendens de caelis restituet Sanctis paratum eis regnum?... Quomodo ergo fecit miraculi spectatores eos, qui promissum acceperant? Ascendit in montem habens ex eis tres electos; deinde transmutatur in quemdam excellentem et divinum splendorem &» (3).

Gravi sane epistola rerumque plena, in occasu vitae conscripta, objectas criminationes Theodoretus fortiter a se prudenterque depellit. In media fere ejus parte multa Sanctorum illustria enumerat nomina qui eamdem omnino tradunt doctrinam quam ipse de Redemptoris Incarnatione tradiderat; postremus affertur S. Leo, quem testem atque doctorem non sine animi quadam permotione producit: «Sed et qui nunc magnam Romam regit, rectorumque dogmatum radios ab Occasu undequaque diffundit, sanctissimus Leo, hancce nobis fidei regulam litteris suis expo-

(1) MG 72, 424-425.
(2) L.c., cols. 652-653.
(3) MG 77, 1012.

suit» (1). Quae post, adjungit Theodoretus: «Et Dominus ipse, cum dixisset apostolis S u n t q u i d a m d e h i c s t a n t i b u s q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m, d o n e c v i d e a n t F i l i u m h o m i n i s v e n i e n t e m i n g l o r i a P a t r i s, post sex dies assumpsit eos in montem excelsum valde, et transfiguratus est ante illos &. Per haec autem secundi adventus modum ostendit &» (2). Haec autem perspicue declarant transfigurationem atque nuntium de non ante quibusdam obeunda morte quam Salvatorem «venientem in gloria sive in regno Patris sui» contuerentur, ab illustri Episcopo Cyrensi, tamquam totum quoddam, considerari, videlicet tamquam promissum atque id quo promissum vere proprieque servatur. Aliquot nunc tenuiores testes audiamus.

Aequalis Theodoreti atque etiam e Patriarchatu Antiocheno nominandus est B a s i l i u s (c. 459) Archiepiscopus Seleuciensis, orator facundus qui imagines frequentare solet agentes, insignitas, animum percutientes, quamquam interdum genus orationis persequi videtur exquisitum nimis atque rhetoricum. Post aliquot vicissitudines, tandem contra Dioscorum a S. Leone stetit ac deinceps fortis in orthodoxia perseveravit. Ergo in homilia quadam de transfiguratione in qua tota res, quasi geratur, sub aspectum paene subjicitur, vir iste non ignobilis, ab initio fere usque ad extremum, sive ponere videtur sive affirmat aperte promissum illud Salvatoris de non ante quibusdam obeunda morte quam se «venientem in regno suo» contemplarentur, ab eodem Salvatore esse factum sex diebus ante transfigurationem (3). Verum ad insignem hanc homiliam

(1) *Monachis Constantin.*, ep. 145; MG 83, 1384.
(2) I.c., col. 1385.
(3) MG 85, 452 sqq.

postea redibimus ut in ea diutius commoremur. Nunc satis fuerit ista dumtaxat indicasse.

Hesychio Hierosolymitano (450) adscribenda videtur, etsi non certo (1), «Collectio difficultatum et solutionum excerpta per compendium ex Evangelica Consonantia». In objecta ratione XI quaestio haec constituitur: «Qua de causa Matthaeus et Marcus, post dies sex, Lucas autem post dies octo, a promissione discipulis facta transfiguratum esse Dominum ajunt?» Sequitur responsio: «Quoniam illi medios dumtaxat exponunt dies inter promissum et transfigurationem; at Lucas cum illis sex et alios duos, quorum primo promiserat, secundo transfiguratus est» (2). Tam ratio objecta quam appesha responsio perspicue significant transfigurationem tamquam id haberi quo promissum efficitur, sex aut octo fere ante diebus datum; itaque promissum non adhiberi ut a transfiguratione sejunctum, sola temporis conjunctione cum ea copulatum, sed vere tamquam promissum illius rei quae sex aut octo post diebus evenit.

A saeculo VI ad saeculum VIII

Scriptores ex Oriente

Antequam ad Occidentem accedimus ibique diutius commoramur, tempora inter superiores Patres interjecta et postremum Orientis Ecclesiae Patrem breviter percurrenda nobis erunt. Nec vero oportet singularem adhibere diligentiam; nam post auream Sanctorum Patrum aetatem, post S. Cyrillum Alexandrinum et Theodoretum, posteriores scrip-

(1) Cfr. *Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Literatur*, IV, 1924, pp. 259-260.

(2) MG 93, 1404. In eorum verborum locum «quorum primo promiserat, secundo, &», melius substituerentur haec alia: «quorum altero promiserat, altero, etc.» Graeca lectio habet «ὧν τῇ μὲν... τῇ δὲ...»

tores nihil fere aliud interpretando faciunt nisi, congerendis componendisque antiquitatis monumentis, majorum sententias exprimunt ac paene verba describunt. Quod quidem demonstrat majores istos de antiquitate vivere, cursumque universum ad 28 versiculum interpretandum clarissimis Sanctorum Patrum luminibus in perpetuum esse tempus notatum atque distinctum.

S a e c u l o V I, praeter obscuros auctores, nullos alios invenimus. P r o c o p i u s G a z a e u s (528) breviter ac circuitione quadam indicat promissum discipulis datum transfiguratione esse perfectum (1).

T i m o t h e i A n t i o c h e n i nomine (535) homilia de transfiguratione ad nos usque pervenit. Non S. Matthaei locum sed S. Lucae consimilem auctor interpretatur. Quod ad causam attinet nostram, momenti nihil est. Quidquid autem videri potest de differentia in quibusdam interpretandis quam haec homilia exhibet et quae nostro judicio ideo reperitur quod auctor S. Lucam interpretatur, ceterum perspicue affirmatur Salvatoris promissum ad transfigurationem respicere. Sic enim scribitur: «I n v e r i t a t e d i c o v o b i s (O Domini bonitatem! jurat dubitantibus) ...I n v e r i t a t e d i c o v o b i s, s u n t q u i d a m d e h i c s t a n t i b u s, q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m d o n e c v i d e a n t r e g n u m D e i. ...Quid ergo subjicit Evangelista? F a c t u m e s t p o s t h a e c v e r b a, f e r e d i e s o c t o. Celeriter fidem facit Dominus, mox desiderium satiat. A s s u m i t J e s u s P e t r u m e t J a c o b u m e t J o a n n e m. Quid ais, amice? Vidistine quam certam fidem Christus Dominus ambigentibus apostolis et in

(1) *In Exod.*, XXXIII, 14; MG 87 (1), 675-676.

terra etiamnum degentibus, post octo dies coram praesens ipse fecerit...?» (1).

Illustre nomen commemorare possumus, si vere ejus est oratio quaedam In Transfigurationem Domini Nostri Jesuchristi. Profecto doctorem tunc atque testem produceremus qui singularis S. Gregorii Magni exstitit amicus et Antiochenus Patriarcha, Sanctum videlicet Anastasium (599). Hoc tanto nobilitata nomine traditur concio illa de transfiguratione, cum aliis permista orationibus quae, si minus certis auctoribus, at illis tamen temporibus adscribenda jure ac merito videntur. Brevem locum satis fuerit attulisse: «Quocirca post diem sextum a promissione, promissionem implet quam ad discipulos dixerat. Erat autem illa ejusmodi: Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. ...Quapropter post dies sex eos assumpsit, quos diviniora regni mysteria scire oportebat, prius quam gustarent mortem» (2).

Saeculo VII pro antiquitatis interpretatione propugnat maximus illius temporis theologus, fortissimusque fidei athleta contra monothelismum: S. Maximus (662). Earum, quae allegoricae explicationes appellantur, mirum in modum amator, in nostra etiam causa quasi delectatur S. Maximus sententiis quibusdam spiritualibus afferendis Origeni propinquis. In omni tamen summa Salvatoris promissum per transfigurationem ab eo explicari perspicuum est (3).

Interpretes quoque hujus temporis, obscuri ple-

(1) MG 86 (1), 260-261.
(2) MG 89, 1365
(3) *Capit. theol. et oecon. Centuria* II, n. 13; MG 90, 1129-1132.

rumque et aliorum opiniones aucupantes, antiquum interpretationis genus, ut consentaneum est, persequuntur. In his numeratur Petrus Laodicensis (medio saeculo VII), cujus editi commentarii S. Matthaeum illustrant (1). Heinrici, qui illos edidit, nihil aliud esse ait nisi «wesentlich Sammelarbeit» (2); at ideo etiam e sancto augustoque traditionis fonte totum opus manat.

Ad saeculum VIII, in quo postremus viget e Sanctis Orientis Ecclesiae Patribus, tandem accedamus. Sanctus Andreas Cretensis (720) de transfiguratione disserens gravibus quidem uberibusque sententiis, at sine varietate, ut solet, adhibitaque scribendi ratione parum simplici et aperta, non solum versum illum Sunt quidam de hic stantibus &, transfigurationisque descriptionem copulata exhibet, ut totum quoddam, verum manifesto etiam antiquitatis interpretationem sive affirmat sive significat, quum ad ostendendum S. Lucam cum aliis synopticis de transfigurationis die convenire, haec scribat: «...Etenim illi, omissa die qua Verbum rem brevi futuram apostolorum collegio praedixisset itemque die (3) qua idem ipsum praenarratum Verbum (4) mirabiliter effecisset &...» (5). Itaque promissum illud Sunt quidam de hic stantibus & transfiguratione effectum atque servatum est.

Medio fere saeculo VIII, anno fere 748, postremus in Orientis Ecclesia Sanctus Pater, Ioannes

(1) *Beiträge zur Gesch. u. Erklär. des N. T., V, Des Petras von Laodicea Erklär. des Matthäusevang.*, ed. *Georg Heinrici*, Leipzig, 1908.

(2) l.c., *Einleitung, II Zur Charact. des Petruskomm.*, n. 3, p. XXXIII.

(3) Apud *Migne* legitur *diem;* manifestatum est mendum.

(4) Pro vocabulo *Verbum* Migne adhibet *opus;* sed novum est manifestumque mendum, nam graecum habet ὁ Λόγος.

(5) MG 97, 940.

Damascenus, extinguitur. Hic etiam tantus vir eam interpretationem, quae tum in Oriente tum in Occidente per universam Patrum aetatem auream floruit, auctoritate sua confirmat ac roboiat (1). Unum tantummodo notabimus. Quum versum illum Sunt quidam & sive transfiguratione sive quocumque alio facto, qui gloriosus ipse Christi adventus non sit, plene perfecteque explicare difficile admodum esse videatur, coeperunt obscuri quidam, quorum exstincta sunt nomina, explicationem nullo modo probabilem, nunc ab omnibus etiam derelictam, excogitare, illam videlicet quae asserit, quum Salvator nuntiaret fore ut aliqui non ante mortem obirent quam se venientem intuerentur, S. Joannem apostolum significari, quippe cui reapse mors non ante esset obeunda quam alterum Christi adventum ipsis oculis contueretur. Mira haec interpretatio a S. Joanne Damasceno oppugnatur, quum in homilia quadam de transfiguratione copiose et subtiliter disserit (2). Aliquanto ante saeculum VIII Pseudo-Caesarius Nazianzenus (s. VII) eamdem exponit refellitque interpretationem ut eam, quae traditionis est, stabiliat ac firmet (3).

Itaque per universam Patrum aetatem, jam inde a saeculo II, iis praesertim temporibus quibus theologia atque interpretandi ratio maxime viguerunt, in Orientis Ecclesia traditur interpretatio quae tenet Servatoris promissum de morte quibusdam non prius obeunda quam illum venientem intuerentur, transfigurationis facto effici atque servari. Solum autem extremis temporibus, saeculis VII et VIII, quum interpretandi ratio degeneravit, succu-

(1) *Homil in transfig. Domini*; MG 96, 545 sqq.—Videantur praesertim quae ad mediam fere homiliam reperiuntur, n. 7 sqq., col. 556 sqq.

(2) Lc, cols. 550-557.

(3) *Dialog. III, Interrog.* 178; MG 38, 1148 sqq.

rrunt aliqui mirabiliter affirmantes S. Joannem apostolum idcirco esse a morte servatum ut sancte religioseque illa promissio fieret.

Saeculum VIII ingressi nihil est quamobrem investigare pergamus. Jugis traditionis aqua conclusa manet in Oriente, at nostra in causa sine corruptione, ut nobis quidem videtur. Illustres illi viri, celebratissimi Orientis interpretes, Theophylactus (1) atque Euthymius Zigabenus (2) qui S. Joannis Chrysostomi vestigia religiose persequuntur (3); posterius vero quasi aenigmata illa Gregorius Cerameus (4) et Gregorius Palamas (5), et qui notior est Dionysius Bar Salibi (6), auctoritate sua testabuntur universum Orientem, inde ab ultimis temporibus, in Servatoris promissione per transfigurationem explicanda constanter perseverasse.

Scriptores ex Occidente

Etsi non plures in Occidente scriptores quam in Oriente reperiuntur, at nova quaedam interpretandi ratio de repente existit quae notatione digna est.

Vidimus de 28 versu capitis XVI e S. Matthaeo per transfigurationem interpretando, jam inde ab ultimis temporibus usque ad V saeculum, inter omnes interpretes convenire. Eadem porro, totum

---

(1) *Enarrat, in Ev. Matth.*, XVI, 28; MG 123, 324-325.
(2) *Comm. in Matth.*, XVI, 28; MG 129, 476.
(3) Cfr. «Photii Patriarchae Cp. fragmenta in Matth.», XVII, 6; in quibus apostoli, Christi transfiguratione perspecta, et Israel redemptorem et «Judicem vivorum et mortuorum» Christum esse noverunt: MG 101, 1205.
(4) *In salutarem Transfig. D. N. J. Ch.*, hom. 59; MG 132, 1020 sqq.
(5) *In venerab. Dom. et Dei ac Salv. N. J. Ch. Transfig.*, hom. 34; MG 151, 424 sqq.
(6) *Corpus script. christ. orient., Script. Syri*, Versio, series 2.ª t. 98; *Dionysii Bar Salibi comm. in Ev.*, XVI, 28 et XVII; fasc. II, p. 285 sqq. (Romae 1922).

fere etiam saeculum VI, perstat vigetque consensio. Nempe de S. Augustino praecipue sumitur, ejusque ubertas totum alit Occidentem. «His temporibus, ineunte saeculo VI, celeritate magna late manat Augustini doctrina per Eugippium cujusdam monasterii circa Neapolim Abbatem, qui Sancti Doctoris multis ex operibus excerpta collegit. Cum eorum, qui nunc exstant, codicum copia tum aliorum, qui exciderunt, memoria satis sunt argumenti pervulgatum esse celeriter hoc opus, summa S. Augustini doctrinae continens capita» (1). Eugippius, quod ad nostram causam attinet, ex libro De consensu Evangelistarum illustrem locum excerpit (2). In eo S. Augustinus versum 28 e capite 16 ceterosque e capite 17 quibus transfiguratio describitur, tamquam totum quoddam efficientes considerat; praeterea ita arguit ut his verbis et Jesus polliceatur et illius, quod pollicitus est, narretur effectio (3).

At VI obeunte saeculo, vir sanctitate et doctrina praestantissimus, S. Gregorius Magnus (604), novam inducit interpretandi rationem; quum autem tum apud aequales tum deinceps apud posteros maxima fuerit ejus auctoritas, nova interpretandi forma religiosissime a non paucis tamquam probabilis admittitur, et usque ad nostra tempora in quorumdam mentibus probabilis perseverat. At vero infixam illam in omnium animis ab ultima antiquitate interpretandi rationem recentior haec, quod praevideri jam poterat, nequaquam excludit; magni enim Pontificis explicatio disjunctione solum approbatur.

---

(1) *De identitate corporis...*, pars 1.ª, cp. 1, p. 72.
(2) *Eugippii excerpta ex op. S. Aug.;* CV 9, ed. *Knoell*; cfr. ejusdem auctoris eruditam in opus ingressionem.
(3) l.c., *excerpt.* CLXI, pp. 565-566.

S. Gregorius Magnus non S. Matthaeum sed S. Lucam interpretabatur, cujus illa sunt verba: «Dico autem vobis vere: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei» (1). Ad haec S. Gregorius hujus modi declarationem adjungit quae punctum temporis vere historicum in nostri versiculi interpretatione demonstrat: «Regnum Dei, fratres charissimi, non semper in sacro eloquio venturum regnum dicitur, sed nonnumquam praesens Ecclesia vocatur. Unde scriptum est: M i t t e t F i l i u s h o m i n i s a n g e l o s s u o s e t c o l l i g e n t d e r e g n o e j u s o m n i a s c a n d a l a (Matth. XIII, 41). In illo quippe regno scandala non erunt, ubi profecto reprobi non admittuntur. Quo videlicet exemplo colligitur quod hoc loco regnum Dei praesens Ecclesia vocatur. Et quia nonnulli ex discipulis usque adeo in corpore victuri erant ut Ecclesiam Dei constructam conspicerent, et contra mundi hujus gloriam erectam, consolatoria promissione nunc dicitur: S u n t q u i d a m d e h i c s t a n t i b u s q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m d o n e c v i d e a n t r e g n u m D e i» (2).

S. Gregorii interpretatio ad verum magis accedere videbitur, si S. Lucae locus solitarius legetur, ab antecedentibus et consequentibus segregatus. Forte etiam hujus modi interpretatio a S. Gregorio inducta non esset, si S. Matthaei scripsisset commentarios. At, cuicuimodi haec sunt, scriptores satis multi, magna S. Doctoris auctori-

(1) IX, 27.

(2) XL *Hom in Ev.* l. II, hom 32, n 6; ML 76, 1236-1237.—Quum S. Gregorius in operibus S. Augustini multum esset versatus, probabile est inductam ab eo explicationem explicationibus quibusdam deberi quas de aliis Sacrae Scripturae locis S. Augustinus explanavit, v. gr. de loco S. Matthaei, cp. XXVI, v. 64: «Amodo videbitis Filium hominis... &» (*Ep.* 199, *De fine saeculi*, ad Hesychium, nn. 41, 45; CV v. LVII, er. *Goldbacher*, pp. 279, 283.)

tate ducti, eadem deinceps usi sunt ratione in S. Matthaeo interpretando. Neque tamen continuo, sed multo post tempore, quantum nos quidem scimus, exacta videlicet jam Patrum aetate. Itaque per universa Sanctorum Patrum saecula haec interpretatio singularis existit, et, quamvis ab ipso S. Gregorio Magno edatur in lucem, solitaria et quasi omnibus ignota perseverat.

Illam tandem a S. Gregorio M. alter universae Ecclesiae Doctor. S. Beda (735), iisdem fere verbis, ut solet, mutuatur; simul vero, etsi minus amplificatam, aliam etiam non omittit de transfiguratione sumptam. Ipso tamen usu apparet postreman hanc interpretationem Sancto Bedae maxime probari; nam quum S. Matthaei consequentem versum Et post sex dies explicat, rationemque indicat ob quam versus iste cum S. Lucae versu Post dies fere octo concordare videatur, adjungit: «Nam quod Matthaeus Marcusque Dominum post sex transfiguratum dicunt dies, nec temporis ordine nec ratione mysterii discrepant a Luca, qui octo dies dicit, quia illi medios tantum ponunt dies, unde et absolute post sex dies factum commemorant. Hic primum quo haec Dominus promisit et ultimum quo sua promissa complevit, adjungit» (1). Quamobrem patet dari responsum, ea re tantummodo posita, scilicet fieri transfiguratione promissum.

Neque tamen omnibus haec probabantur. Exstant enim expressa repugnantium vestigia. Nam eodem saeculo VIII, quum de transfiguratione diceret S. Ambrosius Autpertus (778) vir egregius et in Sacris Litteris bene versatus, postea quam S. Matthaei versum 28 Sunt

(1) *In Marci Ev. exposit.*, l. III, cp. VIII; ML 92,217.

quidam de hic stantibus... recitavit, continuo hanc notam apposuit: «Quod quidam tractatorum de statu Ecclesiae post modicum futuro dictum intellexit. Sed sequens lectionis decursus declarat hoc Dominum de sua transformatione dixisse, cum Evangelista subjunxit: Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem... et transfiguratus est ante eos &» (1). Unus significatur «tractator» qui de antiqua interpretatione deflexerit (2); designatur praeterea sermonis concinnitas et consequentia verba tamquam manifestum indicium interpretationis antiquae. Haec ostendere videntur novam S. Gregorii expositionem nondum eo tempore esse pervagatam.

III

Novarum interpretandi formarum cursus atque progressio ad nostra usque tempora: brevis quaedam adumbratio

Quum nobis historiam minime scribendam proponamus, quod nec audemus, ideo, historicae imaginis instar extremis dumtaxat lineamentis depictae, quod est praecipui ad novas interpretandi formas percensendas breviter summatimque comprehendemus.

IX-XII.—Itaque sive transfiguratio sola sive transfiguratio et orientis Ecclesiae jam amplificatae splendor duas constituunt interpretandi rationes quae, si minus solae, at certe usque ad XII saeculum praecipue vigent.

---

(1) *Hom. in transfig. Domini*, nn. 1-2; ML 89, 1305-1306.

(2) Quinam fuerit «tractator» ille, de quo est sermo, utrum S. Gregorius M. an S. Beda, satis constare non videtur. Forte sit S. Gregorius M.; tum quia notior et illustrior erat, tum quia S. Ambrosii tempore S. Beda non ita pridem procul in Scotia mortuus erat.

S. Bedam sequitur, ejus praesertim commentariis de S. Marci Evangelio descriptis (1), notus ille Archiepiscopus Moguntinus Rhabanus Maurus (856). Eodem tamen modo quo S. Beda, cujus verba describit, S. Matthaeum cum S. Luca, quod ad transfigurationis tempus attinet, cohaerere demonstrat, hoc tantummodo posito Salvatoris promissum transfiguratione servari (2). Rhabani Mauri fidelis solet esse pedisequus atque est profecto hac in re nobilis Abbas benedictinus Walafridus Strabo (849), cujus commentarii, Glossa ordinaria appellati, theologorum medii aevi cibus cotidianus jure ac merito dici possunt (3). Monachus alter benedictinus, Christianus de Stavelot (medio saeculo IX), cui cognomen aliquando Druthmarus, praeclaros scribit S. Matthaei commentarios in iisque adhibet etiam duplicem interpretandi formam Venerabilis Bedae auctoritate munitam.

Contra, S. Paschasius Radbertus (c. 860) in praestantissimis hujus temporis scriptoribus jure numerandus, tametsi in eruditis S. Matthaei commentariis nimis fere quasi superfluens ac redundans est commoraturque diu in Origenis spiritualibus de transfiguratione sententiis, tamen S. Gregorii M. explicationem magno silentio praeterit (5).

Nihil speremus novi saeculis X et XI. Totum enim hoc tempus fertile tantummodo exstitit florilegiorum et compilationum, ejusque praecipua nota ea est quam recte Grabmann

---

(1) *In Marci Ev. exposit.*, l. III, cp. VIII; ML 92, 215-216.
(2) *Comm. in Matth.*, cps. XVI, XVII; ML 107, 996-997.
(3) *Ev. Matth.* cp. XVI; ML 114, 143. Clarius vero in S. Marci et S. Lucae commentariis: lc., cols. 212, 279-280
(4) *Exposit. in S. Matth.*, cp. 35; ML 106, 1400-1401.
(5) *Exposit. in Matth.*, l. VIII; cps. XVI, XVII; ML 120, 575 sqq.

appellat Rezeptivität, Traditionalismus (1). Neque porro saeculo XII, quamvis magna vigeat animorum agitatio variique ferveant studiorum cursus, novas explicandi rationes ad duplicem, quae adhuc floruit, addendas, reperire potuimus. Afferamus S. Anselmum, qui saeculo ineunte (1109) mortuus est, Petrum etiam Venerabilem medio fere saeculo extinctum (1156); quorum uterque transfiguratione eaque sola promissum Salvatoris exponit (2). Vicissim duplicen alii explicationem adhibere pergunt, velut interpres Zacharias Chrysopolitanus (1155) (3).

XIII-XVI.—Hoc rerum animorumque statu, magnum adest XIII saeculum: nempe saeculum S. Thomae. Verum Angelicus hic Communisque Doctor, traditionis maxime retinens, tum auctores affert in Catena Aurea (4) ex Oriente et Occidente qui transfigurationis explicatione utuntur, tum etiam S. Gregorium M., neque Origenis morales considerationes omittit; at nihil amplius; his est contentus solis quae adhuc pepererat antiquitas. Significantius quodammodo agit S. Bonaventura (1274). Quum S. Lucam Seraphicus Doctor exponeret, peropportuna erat occasio ad S. Gregorii interpretationem, simul saltem cum alia, proponendam; illius tamen S. Bona-

---

(1) *Die Geschichte der Scholast. Methode* (Freiburg 1909), v. I, sect. 4, cp. I, I, p. 179 sqq.

(2) Ex S. Anselmo: *Hom.* IV; ML 158, 603-604.—E Petro V: *Serm. I de transfig. Domini;* ML 189, 955 sqq.—Videri etiam potest *Anselmus Laudunensis* (1117), illo tempore magnus *Magister divinitatis:* ML 162 ,1799; *S. Bruno Astensis* (1123): ML 165, 217; &

(3) *In unum ex quatuor,* l. III, cp. 91; ML 186, 290.

(4) *Catena Aurea in quatuor Evang.; Catena super Matth. Ev.,* cp. XVI; *Opera Omnia,* ed. Parmae 1861, v. 11, p. 202.—In S. Matthaei commentariis, qui S. Thomae solebant adscribi, etsi id valde dubium esse videatur, auctor commentarii antiquas duas interpretandi formas breviter ac dilucide exponit: *Comm. in Matth.,* ed. Parmae 1861, v. 10, p. 158 b.

ventura toto commentariorum longo cursu ne mentionem quidem facit: solam designat transfigurationem (1).

S. Alberti Magni (1280) mens cogitatioque non tantam habere videtur in hac causa, quantam S. Thomas et S. Bonaventura, firmitatem atque constantiam. Principio quidem ejus expositio ditior est atque affluentior. Nam in S. Matthaei commentariis, quos primo conscripsit (2), ad duplicem interpretandi rationem, quam traditionalem appellare possumus, tertiam addit cujus satis ampla erit deinceps fortuna (3): resurrectionis gloriam (4). Itaque tres jam interpretandi formas habemus. At in S. Marci commentariis nisi transfigurationem, nullam aliam commemorat interpretationem (5): proinde regressus quidam factus videtur. Tandem in S. Lucae commentariis, quos omnium postremos exaravit, primum transfigurationem adducit, deinde adjungit: «Dicunt tamen quidam regnum Dei hic dilatationem Ecclesiae significare, quam longo post resurrectionem tempore Videns Joannes mortalibus conspexit oculis»; at continuo pergit: «Sed primum est melius secundum litteram» (6). Quid-

---

(1) *Comm. in Ev. Lucae,* IX, 27. sqq.; *Opera Omnia,* t. VII, ed. *Quaracchi* 1895, p. 229 sqq.

(2) Ut ostendit R. P. Vosté O. P., S. Albertus M. primum S. Matthaei commentarios, deinde S. Marci, tandem S. Lucae confecit: *S. Albertus Evangeliorum interpres,* «Angelicum», v. 9, p. 241 sqq.

(3) Scribit Maldonatus: «Alii de tempore illo, quod post Christi resurrectionem fuit, interpretantur; id enim, quia tunc gloriosus resurrexit, regnum Dei vocari solet... Quod *plerisque novis interpretibus* placuisse video, mihi vero nullo modo placet, &» ***Joannis Maldonati Soc. Jesu Theol. Comm. in quatuor Ev.,*** t. I, cp. XVI, cols. 388-389, Mussiponti 1596.

(4) *Opera Omnia,* v. XX, ed. *Vives.* 1893, p. 649 b —Non satis placet nobis adhibita interpunctio; obscurat enim locum. Putamus autem interpunctionem hanc esse debere: «*Venientem:* ad notitiam vel a morte *In regno* suo; vel splendore regni in transfiguratione vel regni haereditate *in gloria Resurrectionis;* vel promittit aliquos visuros Ecclesiae dilatationem.»

(5) *Opera Omnia,* v. XXI, ed. *Vives,* 1894, p. 540, a

(6) Lc., v. XXII, p. 653 a.

quid tamen id est, S. Matthaei celebratissimi commentarii, tanti Doctoris auctoritate muniti, novae interpretandi rationi, quae tertia jam est, illustrem viam atque latam patefecerunt.

Illa ingressus est, ut unum saltem scriptorem e saeculo XIV nominemus, nobilis «Postillator» Nicolaus Lyranus (1340) qui in celeberrima Postilla ita rem explicat: «Donec videant... in regno suo, scilicet apparentem eis in forma corporis gloriosa, qualem habebit post resurrectionem, cum adeptus fuerit potestatem regni; tunc enim dixit discipulis suis: Matth. XXVIII Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra» (1).

Non solae remanebunt tres istae interpretandi formae. Alia etiam, ceteris tamen non exclusis, suffragiis quorumdam probabitur; ea est quae Salvatoris promissum gloriosa ascensione declarat. Hac ratione interpretatur «Doctor Extaticus» Dionysius Ryckel, vulgo appellatus Carthusianus (1471), in praestantissimis e saeculo XV scientia et sanctitate viris jure numerandus; cujus libri cogitationum monumentorumque proximi saeculi, partim nondum editorum, amplum suppeditant copiosumque thesaurum. Itaque Dionysius Ryckel quatuor interpretationes exponit, quarum prima de ascensione depromitur. Ait enim: «...donec videant Filium hominis venientem in regno suo, id est, ascendentem ad regnum caeleste; quod omnes Apostoli in die ascensionis viderunt. Vel &» (2).

---

(1) Ed. Basilea, 1507, fol. 53 r (a-b).

(2) *Enarrat. in Ev. secund. Matth.*, art. XXIX; *Opera Omnia*, t. XI, Monstrolii, 1900, p. 193 b.—Auctores graeci, quod jam monuimus, interpretationem de transfiguratione sumptam unice diligunt. Si quae alia succurrit, refellunt. Velut qui «Scholia vetera in Matthaeum» scripsit, excogitatam hanc de ascensione interpretationem, aperte refutat: MG 106 1129.—Notari etiam potest S. Gregorii M. interpretationem leviter immutatam a Dionysio induci quippe qui,

Cunctas has interpretationes enumerat vir, ut temporibus illis, eruditissimus, Alphonsus Tostatus hispanus, Episcopus Abulensis (1455), tamquam portentum habitus: «Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne». Quin novam etiam profert, eam videlicet quae in Oriente apparuit quum interpretandi via et ratio degeneravit, qua statuitur ideo Salvatoris servari promissum quod S. Joanni Evangelistae non prius est obeunda mors quam alter eveniat Jesu Christi gloriosus adventus. At vero Tostatus transfigurationem simpliciter aperteque praefert, ceterasque interpretationes acriter refellit (1).

Non ille solus a transfigurationis explicatione, quae majorem saltem antiquitatis laudem comparat, fortiter sibi standum esse existimabit. Possumus doctores multos ac testes proferre, quos tamen in re plana et aperta libet omittere; at producendus certe est magnus ille interpres Maldonatus (1583), de cujus summa in quatuor interpretandis Evangeliis auctoritate inter omnes penitus convenit. Ergo Maldonatus, postea quam cunctas alias interpretationes amandavit, de transfiguratione ita fortiter et aperte pronuntiat: «Itaque vera est omnium veterum auctorum interpretatio... regnum Dei Christi transfigurationem appellari, quam non omnes sed solus Petrus, Jaco-

---

quum S. Matthaeum interpretetur, propterea explicare debeat membrum illud «*venientem*» quod a S. Gregorio, S. Lucae interprete, omissum est. Scribit Dionysius: «... *venientem in r. s.*, id est, in Ecclesia militanti, in qua Christus spiritualiter venit per gratiosam inhabitationem et piam subventionem, quando post resurrectionem numerus credentium quotidie mirabiliter augebatur. Adhuc namque viventibus Apostolis, praedicata atque recepta fuit fides per omnes principales partes mundi.» Lc., p. 194 a.

---

(1) *Comm in quart part. Matth.*, cp. XVI; Venetiis 1596, t. 21, fol. 198.

bus et Joannes, antequam morerentur, videre meruerunt» (1).

Antequam progredimur, de Cardinali C a j e t a n o (1535) breviter sunt nonnulla dicenda. Cajetanus interpres multo minori laude celebratur quam Cajetanus theologus et metaphysicus. Opportunum tamen est liberioris hujus et solutioris interpretis voces audire. Itaque Cajetanus interpretationibus omnibus resurrectionem praefert: «...omnes qui viderunt Jesum post ipsius resurrectionem, viderunt ipsum in regno suo... Resurgens enim venire coepit in regno suo, data sibi omni potestate in caelo et in terra, adepta immortalitate et corporis gloria, non transitorie (ut in Transfiguratione) sed immobili permanentia» (2). Eadem scribit, quum duos alios synopticos explicat (3). Ad illum vero S. Matthaei versum quum accedit: «E t p o s t d i e s s e x», atque ad illum S. Lucae: «F a c t u m e s t p o s t h a e c v e r b a f e r e d i e s o c t o», haud aliter ad eos explicandos aggreditur quam per transfigurationem. Quod quidem ingeniose praestat, quum asserit transfigurationem a tribus synopticis cum Salvatoris promisso adeo junctam exhiberi ut in ea Salvatoris promissum c o e p e r i t fieri, utpote cum transfiguratio fuerit «praelibatio quaedam regni Christi» (4), et in ipsa «similitudo quaedam ipsius Jesu gloriosi monstrata» sit (5). Ingeniosa haec Cajetani machinatio et quasi inventio ostendit quemadmodum vir acerrimo ingenio conjunctionem aliquam perspicuo Servatoris promisso cum transfiguratione in-

(1) Lc., col. 389.

(2) *RR. D. D. Thomae de Vio Cajetani... in quatuor Ev. et Act. Apost. Comm.*, XVI, 28; t. IV, Lugduni, 1639, p. 78 a.

(3) Lc., pp. 151, 212 a.

(4) Lc., cp. XVII, v. 1.

(5) Lc.

tercedere perspiceret seque, etsi promissum resurrectione explicare cupientem, ab ista conjunctione penitus declinare non posse.

Suscipient etiam alii subtilem Cajetani argutamque sententiam. Nobilis interpres Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis (1576), varias profert interpretationes, ducto a transfiguratione exordio, nulla tamen in certam quamdam prae aliis significata inclinatione. At quum ad transfigurationem explicandam aggreditur, connititurque ut ejus cum antecedentibus conjunctionem declaret, «Si verba, inquit, superiora Sunt quidam de hic stantibus intelligantur de Christi transfiguratione, jam manifestum est quare ab omnibus Evangelistis haec narratio subjungatur superioribus, nimirum ut quod promissum erat a Christo, ostenderent esse impletum. Si vero secundum aliorum intelligentias praedictas superiora intelligantur, dicendum Dominum hac sua transformatione voluisse specimen quoddam dare suae gloriae, in qua dixerat se venturum in novissimo die, et voluisse incipere adimplere promissionem illam Sunt quidam de hic stantibus &, quae tamen postea perfectius esset implenda. Atque ob id (quod ad litteralem attinet rationem) Evangelistae tempus rei jam gestae post praedicta verba accurate annotaverunt, videlicet ut indicarent vel jam impletum esse quod promissum fuit, vel coeptum adimpleri, quia transfiguratio haec praelibatio fuit regni Christi post magis aperiendi» (1).

(1) *Cornelii Jansenii Ep. Gandav. comm. in suom Concord. ac tot. Hist. Ev.*, partes IIII, cp. 67; Lugduni 1582, p. 505 a.—Tristi celebritate notus, *Jansenius* alius, Episcopus Iprensis (1638), fortiter et aperte a transfiguratione stat: «...omnino verior est omnium paene veterum sententia... quod gloriam transfigurationis quibusdam revelandam promittat, &» (*Corn. Jans. Leerdam. ... Tetrateuchus sive comm. in sancta J. C. Ev.*, cp. XVI, t. 1, Mechliniae, 1825, p. 239.

XVII-XX.—Neque oportunum neque utile judicamus occupari nos diutius in afferendis auctoribus qui ad nostra usque tempora easdem in summa ipsa iterent explicationes, diversis modis inter se aptas atque compositas et ad singulorum judicium ingeniumque accommodatas (1).

Itaque quum ad haec tempora perveneris, periodum quasi excogitandi et inveniendi, si licitum est ita loqui, conclusam jam esse in perpetuum tempus recte judicaveris. Nova tamen interpretandi forma exoritur, cujus initia obscura sunt; nostro tempore nihilominus multorum eorumque illustrium interpretum suffragia sibi comparavit. Illam dicimus florentem hodie explicationem, ex qua Servatoris promissum eo tempore effectum atque servatum est quum Hierosolyma capta excisaque est, populusque Judaeorum dissipatus.

Nobilis interpres Calmet (1757) in Sancti Matthaei commentariis primum explicationes, quas jam novimus, commemorat, eo tamen delectu constituto ut interpretationem, quae de transfigu-

(1) Videantur, exempli causa: *S. Barradas, S. J.* (1615), *comm. in concord. et Hist. 4 Ev.*, t. II, l. X, cp. XXVI, ed. 3.ª, Lugduni 1610, pp. 766 b-767 a; *Franc. Lucas Brugensis* (1619) *In sacros. 4 J. C. Ev. ... comm.*; *Ev. sec. Matth.*, XVI, 28; Antuerpiae 1606, p. 252; *J. Tirinus* (1636) *comm. in sacr. Script.*, t. II; *comm. in Matth.*, XVI, 28, Lugduni 1702, p. 119 b; *Cornel. a Lapide* (1637) *comm. in Script. sacr.*, t. 15, *in SS. Matth. et Marc.*, XVI, 28, ed. *Vives*, pp. 378 b-379 a, Parisiis, 1872.—*Reverendi Patris Haghebaert* explicationem notemus, utpote singularem et raram. Auctor hic non solum in v. 28, verum etiam in v. 27 ascensionem gloriosam significari vult; hoc autem pacto, de illius sententia, verba Salvatoris clara et illustria redduntur (*L'époque du second avénement du Christ* apud *Revue Biblique*, 1894, p. 79 sqq.). Jam olim Procopius Gazaeus indicabat quosdam velle ut in v. 27 non altera sed prima parousia contineretur; significabatur vero non ascensio, sed auctoritas, dignitas, potestas summa prae omnibus prophetis miraculorumque effectoribus: *In* Is., 40, vv. 9-26; MG 87. (2), 2341.—Tandem non possumus quin notemus ipsam etiam S. Gregorii M. explicationem a nonnullis egregiis viris, nostra quoque memoria, teneri. Eam elegit *Emmus. Card. Franzelin.* (*De Ecclesia Christi*, th. VIII, pp. 104-105, Romae 1907). Eamdem praefert *Emmus. Card. Gomá* (*El Evangelio explicado*, v. III, n. 93, p. 53; cfr. *Los Santos Evangelios*, p. 215).

ratione depromitur, minime refellat. Ad extremum notationem apponit quam integram describimus: «Recentioribus nonnullis alius non est Filii Dei adventus, praeter Jerosolymae excidium per Romanos. Tunc certe venit Christus cum Patre, majestate fulgens, ut vindictam in Judaeos perduelles et incredulos exerceret. Eo venit Dominus cum Angelis; his enim plerumque stipatus exhibetur, ubi Judicis et Domini more veniens describitur. Nonnulli ex Apostolis, saltem Joannes Evangelista, terribili huic casui superstites fuere, minasque Jesu Christi in miserrimam urbem expletas intuiti sunt. Jerosolymae excidium praedicens Christus Matth. XXIV, ...plura simul miscuit, quae uni supremo Judicio conveniunt; cumque Divinae Justitiae severitas in Jerosolymae excidio maxime omnium micuerit, dici merito potest eo maxime excidio supremi Judicii severitatem luculentissime significari» (1).

Ex modo quo Calmet loquitur, colligi videtur hanc explicationem tamquam novam et recentem ab illo haberi: «...recentioribus nonnullis»; praeterea tres auctores solum affert eosque protestantes (2). Calmet tamen intra ipsius religionis catholicae terminos patronum aliquem potuerat etiam nominare.

Nimirum in Scholiis de S. Matthaeo, P. Joannes de Mariana S. J. (1623, aut 1624) illa, qua solet, dilucida brevitate scribit: «...Non morientur, donec videant Christum in gloria sua (3); forte ad transfigurationem

(1) *Comm. litter. in omnes ll. V. et N. T., in Ev. S. Matth. XVI:* ed. Mauri, t 7, p. 183 b

(2) *Hammond Henry*, anglum, (1660); cfr. *The Penny Cyclopaedia*, v. XII, London, 1838.—*Cappel Jacques* III, gallum, (1624); cfr. *Realencyklop. für protest. Theol. und Kirche* ed. *Hauck*, Leipzig, 1897, v. 3, p. 718.—*Le Clerc (Clericus)*, gallum quoque, et omnium celeberrimum, (1736); cfr. *Realencyklop., &*, v. 4, pp. 179-180.

(3) Legit *in gloria sua* pro *in regno suo*, ut multi Sancti Patres.

respicit, aut ad resurrectionem, aut ad excidium Jerosolymae, quae fuit gloria Christi» (1). Postrema haec interpretatio perplacuisse videtur Patri Mariana; etenim, quum S. Marci et S. Lucae locos interpretatur, in eadem interpretatione diutius quam ejus consueta fert brevitas, commoratur; contra vero, reliquas duas interpretationes, transfigurationem et resurrectionem, omittit, in earumque locum eam, quae de S. Gregorio sumitur, substituit (2). In omni autem summa, quum Calmet suos edebat commentarios, explicatio per Hierosolymae ruinas poterat recens appellari numerabatque pauca admodum nobilium auctorum graviumque suffragia.

At vero nostra aetate suffragiorum inclinatio facta est. Multi nunc sunt qui, ut antea dicebamus, Hierosolymae fanique ruina populique judaici dissipatione servatum Salvatoris promissum vident. Variae sunt eae, quibus ducuntur, rationes. Haud pauci rationibus his, probandi vi non omnino destitutis, moventur: «Hierosolymae urbis eversio populique judaici exilium tamquam postremi judicii simulacrum atque forma esse videntur, qua Christus Rex, majestatis atque potentiae plenus, se ostendet populumque ad illud usque tempus prae aliis dilectum, nunc vero singulariter inimicum, judicabit; ob eamque rem terribile illud tempus significant, quamquam extremis dumtaxat lineamentis descriptum, quum Christus Rex adveniet, gloriae majestatisque plenus, ad omnes hostes in perpetuum constringendos omnique excruciandos supplicio. Quapropter populi judaeorum evulsio ac dissipatio sanctaeque urbis eversio nuntius quidam p a r u s i a e et quasi anticipatio exstite-

(1) *Joannis Marianae e Soc. Jesu; Scholia in V.* et N. T. ad *Robertum Bellarminum Card. e Soc. Jesu; in Ev., Matth.,* cp. XVI; Parisiis, 1620, p. 755 b.
(2) L.c., pp. 766 b, 775.

runt; ii vero, qui ea contemplati sunt, vere v i-d e r u n t F i l i u m h o m i n i s v e n i e n-t e m i n splendore ac potentia r e g n i s u i». Est praeterea qui, considerato XXIV S. Matthaei capite in quo mundi extrema cum Hierosolymae eversione a Salvatore putat esse permista, ita pronuntiat: «Diese ist der Anfang des Weltgerichtes, dessen Ende nach einer für unsere Vorstellung langen Unterbrechung eintreten wird, die aber in der prophetischen Rede unbedeutend ist, weil bei Gott 1000 Jahre wie ein Tag sind (Calmet, Schegg, Keil)» (1).

Rem miram notare nunc volumus considerantes quantum haec interpretatio ceteris omnibus soleat nostro tempore anteferri. Nimirum quum in his tam obscuris quaestionibus sua sponte sollicitus anquirat animus traditionis suffragium —in theologia enim interpretandive scientia, novitas non modo theologum gravem nullum allicit, verum potius retrahit praejudiciumque invehit in causam—, exorti sunt quidam qui interpretationem de Hierosolymae ruinis sumptam «traditionalem» vel «quasi traditionalem» appellent (2). Lector noster colligere jam potest appellationem istam profecto justam accuratamque esse; «traditionalis» enim vel «quasi traditionalis» existit, at traditione admodum recenti!

Quod praevideri jam poterat, interpretatio postrema, qua de loquimur, ab interpretibus ad ipsos theologos eosque multos commeavit, ad illos etiam qui traditionem maxime retinent. Velut ad Muncunill qui hoc pacto scribit: «...quum dicit D o-n e c v i d e a n t F i l i u m h o m i n i s v e-

(1) *Comm. über das Ev. d. h. Matthäus,* von Dr. Paul *Schanz;* Freiburg i. B. 1879; 2.ª p., B, III. 43, p. 385.

(2) Exempli causa *Dr. Karl Weiss, Exegetisch. zur Irrtumslosigkeit und Eschatologie J. C.,* B. spezieler Teil, zweit. Abschnitt, II, 2, p. 166, n. 3; Münster i. W. 1916.

nientem in regno suo, certe significat specialem manifestationem virtutis Christi et regni ejus; haec vero evenit in destructione urbis Jerosolymae» (1). Majori vi R. P. Felder O. M. ita pronuntiat: «Loquitur aperte de eo adventu, quo urbs Hierosolyma destructa est, ut regnum Dei in terris firmaretur» (2).

Quin magna etiam ex parte interpretes ipsi nostra aetate parum se ostendunt prolixos in eam explicationem quae de transfiguratione depromitur. Itaque exempli causa scribit aperte P. Knabenbauer eam esse «plane improbabilem» (3). Non minore vi P. Lagrange asserit: «Aucun moderne ne soutient plus l'opinión de Chrys., Euth., Théoph., que la promesse de Jésus avait été tenue par la Transfiguration» (4). Profecto haec R. P. Lagrange verba non sunt ad calculos vocanda mathematicorum sed ad auctoris sensum liberiori modo intelligenda. Nam P. Cladder, exempli causa, et potest et debet in numero interpretum eorumque nobilium haberi propter optimum libellum «Als die Zeit erfüllt war-, Das Evangelium des hl. Matthäus»; Pater vero Cladder praeter transfigurationem nullam aliam profert explicationem (5).

Profecto quidam etiam theologi pro virili parte tanta contentione interpretationem tuentur de transfiguratione sumptam, quanta in eam nonnulli interpretes invehuntur. R. P. Billot, post allatam transfigurationem, adjungit: «Haec est communis

(1) *Tract. de Christi Eccl.*, disp. I, cp. I, a. I, 2, pp. 46-47; Barcinone 1914.

(2) *Apol. sive Theol. Fund.*, pars I, sect. II, cp. II, a. II, n. 11, p. 214, Paderbornae, 1923.

(3) *Comm. in Ev. secund. Matth.*, ed. 3.ª, cura P. Merk, t. II, pp. 81-82, Parisiis 1922.

(4) *Ev. selon S. Marc*, 4.ª ed., Paris 1929, p. 227.

(5) Zweite Hälfte, *Matth.* XVI, 28-XVII, 13, p. 161 sqq., Freiburg i. B., 1922.

interpretatio Patrum, eaque plana, obvia, litterae consentanea, et sacro contextui per omnia inhaerens» (1). Prudenti semper sinceroque utens judicio, R. P. Dieckmann duas exponit explicationes: eam quae de Hierosolymae eversione atque eam quae de transfiguratione depromitur. At considerato earum exponendi modo, postremam videtur anteferre; quod quidem multum habet significationis, quippe quum de viro agatur tam cauto, tam diligenti etiam in omnibus colligendis scientiae rumoribus qui ejus memoria pervagabantur. «Sunt —ait— qui intelligant haec verba de eversione J e r u s a l e m (Knabenbauer); sunt qui cum multis exegetis, etiam antiquis, contendant esse sermonem de t r a n s f i g u r a t i o n e Christi» (2).

Strictim attingamus interpretationem quamdam quae, plausibilis visa protestantibus, in unum etiam et alterum influxit auctorem catholicum. Eam dicimus quae Filii hominis adventum in missione Spiritus Sancti consistere affirmat. Primam ejus originem apud catholicos non novimus. Saeculo XVII illam invenimus apud A Godeau (1672), cujus tamen parum valet auctoritas. Neque tamen hic auctor Spiritus Sancti missionem definite adhibet, sed eam in disjunctione ponit. Ait enim: «...v e n a n t e n s o n R o y a u m e, dans la gloire de sa transfiguration, ou de l'advenement du S. Esprit qui établira son Royaume» (3). Nostris temporibus nonnulli auctores, graves etiam et illustres, varia coacervant quibus integra significatio adventus «Filii hominis venientis in regno suo» constitua-

(1) *QQ. de Noviss.*, Q. VIII, prop. 1.ª, II, p. 203, Romae 1924.

(2) *De Ecclesia, Tract. I, De Regno Dei*, cp. II, q. I, assert. 4, n. 127, pp. 96-97, Friburgi, 1925.

(3) «Version expliquée du N. T. ...» par Messire *A. Godeau*, Paris 1668, p. 119.

tur et appareat. In his missio quoque Spiritus Sancti interdum collocatur (1).

Inceptum nostrum conatumve interpretationum enumerandi nondum perfecimus. Praeter illos interpretes, qui varias interpretandi formas et rationes, de quibus hactenus, sive partim sive omnes in unum congerunt (2), nove quaedam alii afferunt. Quae ut recte aestimare possimus, in memoriam redeamus S. Marci et S. Lucae locos a S. Matthaei nonnihil discrepare. Sic enim S. Marcus ait: «...sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute» (3). Hujus loci eschatologica ratio minus apparet quam loci Sancti Matthaei. Minus etiam eminet eschatologica species in Evangelio S. Lucae: «...sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei» (4). Jam vero, nisi nos male intelleximus, R. P. Lagrange existimat S. Matthaeum per Sanctos Marcum et Lucam illuminandum esse et explicandum; quorum uterque de Filii hominis adventu nihil admodum dicit. Hoc posito, S. Matthaeus a S. Marco discrepat et a S. Luca, non quo in ipsa re, quam hi duo infinita quadam ratione tantum exhibent, aliquid definite ac proprie designare videatur, sed quia, etsi idem prorsus, aliis tamen pigmentis atque colore, alia quadam arte depingit: «C'est donc bien

---

(1) Exempli causa: *Grandmaison,* «Jésus Christ», II, p. 304.—E protestantibus afferri possunt: *Calvinus, «Comm. in Harmoniam evang.»*, t. XLV (Brunsvigae 1891) p. 483.—*Hugo Grotius* (1645), «Hugonis Grotii annotationes in N. T.», t. 1, (Halae 1769); *in Matth.* XVI, 28, pp. 352-353.—*M. Poole* (1679), «Synopsis criticorum aliorunque S. Scripturae interpretum», v. IV, (Londini 1674), cp. XVI, col. 431.—*G. Rosenmüller* (1815), «D. Jo. Georgii Rosenmülleri Scholia in N. T.», t. I, ed. 6.ª, (Norimbergae 1815), pp. 348-349.

(2) Cfr. *Grandmaison,* «Jésus Christ», II, p. 304.—*Bisping,* «Erklärung des Ev. nach Matthäus», part. 2.ª, sect. 2.ª. 15; Münster 1864, p. 355.

(3) IX, 1.

(4) IX, 27

de l'avènement du royaume qu'il est question, comme dans Mc. et dans Lc., mais sous la forme plus ancienne de la venue du Fils de l'homme déjà présenté au v. 27» (1). Cum P. Lagrange, in summa ipsa, R. P. Lemonnyer congruere videtur, qui praeterea singulari cura illud exstare atque eminere facit quod scilicet fieri omnino potest ut versus, quo Servatoris promissum continetur, nihil aliud sit quam l o g i o n quoddam superiori non connexum, quod praeterea «prononcé par Jésus en quelque autre circonstance, il ait été inséré en cette place par S. Marc. S. Matthieu et S. Luc auraient transcrit le tout en effaçant les dernières traces de l'indépendance originelle des deux logia» (2).

Conclusiones

Ex his omnibus quae antecedunt, haec nobis videmur posse concludere quibus eorum, quae modo nobis dicenda erunt, quasi fundamento utamur.

1. Salvatoris promissum per transfigurationem exponi, explicationem constituit maxima prae ceteris omnibus auctoritate et antiquitate decoratam. Affirmari sane potest eam tum in Oriente tum ad finem usque VI saeculi etiam in Occidente, propterea per universam Sanctorum Patrum auream aetatem, u n a m sine dubitatione flo-

---

(1) *Ev. selon S. Matth.*, XVI, 28, p. 333, Paris 1923.—Cfr. clarius apud *L'Ev. de J. C.*, cp. IV, p. 256.

(2) DAFC, *Fin du Monde* (*Prophét. du Christ sur la*), col. 1924, 2.°. —Idem auctor in opere *Théologie du N. T.* Hierosolymae eversionem definite demonstrat tamquam historicum illud factum, quod noster locus significat (part. 1.°, cp. 2., 3, p. 40; «*Bibliothèque catholique des sciences religieuses*», 1928). Ibidem atque etiam cp. 4., 2, p. 69 P. Lemonnyer *parusias* historicas atque unam certam *parusiam* eschatologicam distinguit. Illae tantum nostro significantur loco.

ruisse. Immo, excepto S. Gregorio M., in tota Patrum aetate nullus omnino auctor, quantum nos scimus, aliam agnovit interpretandi rationem.

2. Tamen nihilominus ad hanc explicationem ita tuendam ut ceterae etiam excludantur omnino, minime fortasse constringimur. Quod ex his adjunctis colligi videtur: a) S. Gregorii M. interpretationem saeculo subsequenti S. Beda, nulla novitatis significatione, suscepit, eamque simul cum altera, simplici quodam et aperto modo, adhibuit. Porro non pauci eamdem similiter sub disjunctione proposuerunt. Quibus autem non placuit, eam breviter, sine ullis clamoribus, tranquillo potius animo ac mente rejecerunt. Ejusmodi se gerendi ratio numquam videtur occurrere quum aliqua interpretatio aperte vel implicite tamquam sola probabilis longum saeculorum spatium exposita et tradita est. —b) Multo ante S. Gregorium M. cogitationes illae in Occidente pervagabantur quae parum aptae erant ut in una transfiguratione, tamquam in sola probabili promissionis explicatione, vis studiumque interpretandi collocaretur. S. Augustinus cum in ceteris scriptis tum praesertim in celeberrima ad Hesychium epistola cautum admodum se ostendit vel, si hoc fas est dictu, timidum quod ad explicationem attinet aliquot de adventu Domini locorum. Animadvertantur exempli causa quae de capite XXIV S. Matthaei deque duobus aliis synopticis pronuntiat, velut ista: «...fortasse omnia, quae ab his tribus evangelistis dicta sunt de ejus adventu, diligentius inter se collata atque discussa inveniantur ad hoc pertinere, quod cotidie venit in corpore suo, quod est Ecclesia, de quo adventu suo dixit: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis et venien-

t e m i n n u b i b u s c a e l i...&» (1). Haec vel similia verba tanti tamque venerandi Doctoris, cujus erant scripta pervagatissima, fieri non potuit quin animos sua vi et auctoritate percellerent.— c) Quod ad propriam definitamque explicationem attinet loci S. Matthaei vel locorum S. Marci et S. Lucae, nulla fuit singularis contentio, nulla controversia quam singularum interpretationum cotem esse constat. Proximi Salvatoris adventus expectatio quam prima christiana aetas habebat, ac desiderium ab ea fortasse excitatum verborum Domini subtiliter accurateque intelligendi, id agere debuerunt, si forte egerunt, ut christiani negarent ex eo loco alterum Salvatoris adventum intra unius aetatis spatium certo colligi posse; saltem monumentis nihil aliud recte probatur.

3. Etsi postea rem hanc dijudicabimus, dicamus interea nullas deinceps adversus S. Matthaei interpretationem de transfiguratione sumptam novas rationes allatas esse contrarias; nihil invectum esse re et veritate novum. Quapropter interpretationi huic inter ceteras p r o b a b i l e s explicationes jus est nostra etiam aetate perseverandi atque adeo florendi.

Hoc stabilito ac fixo, progrediendum nobis erit videndumque quemadmodum transfiguratio longius nos provehat, doceatque S. Matthaei locum per ipsum etiam alterum Christi adventum explicare, neque tamen ea de causa alterum adventum intra unius aetatis spatium admittamus sit necesse.

(1) Ep. 199, *De fine saeculi, ad Hesychium*, n. 45; CV v. LVII, ed. *Goldbacher*, p. 283.

PARS ALTERA

Interpretationis plena perfectaque ratio

Describamus initio versum 27 et 28 e capite XVI S. Matthaei: «V. 27.—Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. V. 28.—Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.»

Ad ipsam interpretationis plenam perfectamque rationem exponendam quum aggredimur, non modo permittimus, sed etiam animo libenti prolixoque concedimus arctam versiculo 27 cum 28 intercedere conjunctionem: eamque damus omnino conscii eorum quae consequuntur, nam versiculus 27 manifesto respicit ad postremum judicium.

Non sumus nescii hanc conjunctionem a multis aetatis nostrae interpretibus acriter negari. Verum non solum eschatologistae aperti, sed etiam interpretes alii recentes, ex catholicis quoque lectissimi, offensionem atque fastidium experiuntur in duabus istis sejungendis cogitationibus, quae duobus versiculis, perfecta formae atque sententiae concinnitate sibi succedentibus, continentur; ista enim sejunctione quasi ad vivum resecari tota res videtur (1). Rauschen audiamus reprehenden-

---

(1) Ut a 27 versu versus 28 sejungi queat, sunt qui ad locum S. Marci confugiant, notarique velint promisso antecedere membrum χαὶ ἔλεγεν αὐτοῖς quod est plane aptum ad novam inducendam cogitationem vel aliquid omnino segregatum. Idem proinde apud S. Matthaeum fieri potest. Conferatur v. gr. *Lemonnyer,* «Fin du Monde» (DAFC col. 1934). Argumentum istud in ambiguo

tem Dominum Seitz eo quod promissum in 28 versu inclusum de Hierosolymae eversione intellexerit, «in qua ipse Titus Dei judicium vidit». Quamvis hanc interpretationem scriptores recentes ceteris omnibus anteponant, Rauschen tamen pronuntiare non dubitat: «Ich halte das für an sich unwahrscheinlich und für völlig ausgeschlossen durch den Zusammenhang» (1). Jam magnus ipse Maldonatus eo, quo solebat, subtili sinceroque judicio scripserat: «Quid Christus hoc loco per regnum suum intelligat, interpretum sententiae mirum in modum variant. Nonnulli de ultimo judicio interpretantur, de quo versu praecedenti dixerat: Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui; idque videtur esse valde consequens» (2). Princeps autem illud est nobis quod Sancti Patres sine ulla dubitatione decernunt duo inter se arcte esse connexa et apta quae his duobus versibus continentur: «27 Filius hominis venturus est in gloria Patris sui..., 28 Sunt quidam de hic stantibus...» Paulo post eorum testimonia proferemus. Meminerit interea lector eorum quae in S. Matthaei commentariis a nobis supra descriptis S. Hieronymus clarissima voce profitetur.

versatur, et argute potest retorqueri. Profecto inverti potest hoc modo: locus S. Marci *permittit* utique promissum esse ab antecedentibus sejugatum, at *permittit* etiam esse *conjunctum*. Ambiguum autem, quod S. Marcus patitur, a S. Matthaeo tollitur qui omne membrum, quod sejunctionem permittit, omittit, atque sermonem praebet plane compositum et coagmentatum quem dissuere nefas est. Igitur ad alia confugiendum argumenta.

(1) *Theol. Revue*, v. XII, p. 12.

(2) Lc., col. 388.

Quapropter ecce nobis quaestio primo aspectu inopinata atque mirabilis, cui etiam exitus reperiri posse non videtur. Ex altera parte, promissum in 28 versu inclusum de morte non prius quibusdam obeunda quam «viderint Filium hominis venientem in regno suo» cum transfigurationis narratione, quod supra demonstravimus, arcte conjunctum est, ita ut transfigurationis facto promissum illud efficiatur atque servetur. At ex altera etiam parte, quod modo ostendimus, idem promissum arcte etiam cum proxime antecedenti nuntio junctum est de altero atque glorioso Christi adventu ad homines judicandos, quasi hoc promisso illud tandem promitteretur fore ut quidam venientem Jesum ad judicandos homines prius contuerentur quam ipsi mortem obirent. Ergo quî fieri potest ut in unum redigantur eamdemque promissionem efficiant duo inter se adeo distantia extrema quae cohaerere posse nullo modo videntur: nimirum alter ad extremum tempus gloriosus Domini adventus, et transfiguratio quae adventus Christi non est, aut, si esset, adventus est post sex tantummodo dies?

In hac confusione quae animum prima specie perturbat, iidem Sancti Patres ductores nostri erunt. Neque enim nos aliud faciemus nisi explicationem, quam ipsi nobis tradiderunt, caste et pie, ut sacram quamdam haereditatem, adeuntes colligemus, eamque pro virili parte declarare conabimur. Principio autem factum quoddam erit nobis et affirmandum et probandum; deinde ejus significationem connitemur ut eminere faciamus.

I.—In transfiguratione inest ratio quaedam connexi cum altero Domini adventu.

I

Sacra Scriptura

Sacrae Litterae indicium non contemnendum suppeditant. In ipso jam occasu vitae, paulo ante mortem, quam singulari Salvatoris instinctu mox sibi obeundam esse novit, apostolorum princeps S. Petrus oblatam occasionem vult urgere postremam qua fideles ad vitam sancte traducendam cohortetur. Itaque alterius epistolae initium orditur vehemens hortatio (1) in qua lectores revocat ad potestatis Jesu alteriusque adventus memoriam. «τὴν... δύναμιν καὶ παρουσίαν» (2). Hanc potestatem gloriosumque adventum «notum fecit illis, non doctas fabulas secutus, sed speculator factus magnitudinis Jesu.» Continuo transfigurationem describit apostolus.

Itaque S. Petrus transfigurationem adhibebat tamquam potestatis ac παρουσίας, hoc est, Domini Nostri alterius gloriosique adventus argumentum. Profecto transfiguratio sua vi, sua natura alterum Domini adventum non probat. Ex altera parte. posito Salvatorem Nostrum saepenumero asseverasse extremis se temporibus gloriosum esse rediturum, cuncta Jesu miracula, ut ceterorum omnium quae asserebat, sic alterius adventus erant etiam argumentum; hoc modo transfiguratio est utique argumentum, at simili pacto quo esse potuit miraculum quodlibet. Verumtamen quod ex omnibus Salvatoris factis transfigurationem, tamquam alterius adventus argumentum, S. Petrus elegit, nos recte admonet ut in ea singulare quiddam inesse existimemus. Istud autem singulare contemplari nos in ipsa, quam effi-

(1) I, 3-15.
(2) V. 16:

cit S. Petrus, descriptione debemus. Ergo ille nobis narrat se majestatis Jesu et gloriae testem et spectatorem fuisse. Quamvis autem contracta esse descriptio et astricta videatur, illa tamen omnia insigniter exstare et eminere facit S. Petrus quae Jesum demonstrant Patris gloria et majestate clarum; ¡profecto hac ipsa Patris gloria clarum et illustrem dixerat quondam Jesus «Filium hominis extremo tempore esse venturum et tunc redditurum unicuique secundum opera ejus»! Quapropter singulari prorsus modo S. Petrus gloriam majestatemque Jesu in transfiguratione gloriosa contemplatus est; vidit gloria Dei Patris fulgere Jesum; vidit Jesu tamquam unico filio Deum Patrem delectari. Ergo S. Petro transfiguratio exstitit illius potentiae et gloriae, qua Jesus est extremo tempore venturus, experimentum quoddam. Quare promissionis, quam de suo adventu frequens significaverat Jesus, luce ac splendore circumfusa transfiguratio, pignus erat et quasi anticipatio illius splendoris et gloriae qua divinus noster Redemptor ad homines judicandos erat ipse venturus. Atqui anticipationi seu pignori ratio inest connexi cum ipsa re, propterea via est et instrumentum ad rei cognitionem obtinendam.

II

Sancti Patres aliique scriptores antiqui

Per tria priora saecula Traditio simpliciter asserit promissum illud de morte non prius quibusdam obeunda quam «Filium hominis conspicerent venientem in regno suo», esse transfiguratione servatum. Aurea sapientiae christianae aetate, in Orientis ecclesia, quum tres gravissimi Patres Cappadoces florebant, quum per S. Ephraem, ecclesiae syriacae lumen praecipuumque doctorem,

ecclesia haec mirifice loquebatur, illa tandem, quae congruebat, plena et arcana sententia transfigurationi subjecta est; praecipue vero arcta ratio connexi, quae cum altero Domini adventu in transfiguratione inest, insignis effecta est.

Scriptores ex Oriente

A Magno S. Basilio ordiamur. Ab eo si exordium capiemus, jam inde a principio et tranquillitatem et securitatem in lectorum animos infundere videbimur. Ergo praestantissimus hic vir, prudentiae atque sapientiae insigne specimen, adversis rebus numquam fractus nec debilitatus, quin erecto etiam semper animo ad omnem pro fidei integritate subeundam dimicationem, in principibus numerandus qui non Orientis solum regiones sed universam Ecclesiam judicii firmitate rerumque gerendarum prudentia illustrarunt, clarissimum quacumque ingreditur, tum quum de vita et moribus disserit tum quum res divinas contemplatur, praefert omnibus orthodoxiae lumen, eumque sequi ducem pignus est securitatis.

Itaque quum de transfiguratione loquitur, ita Magnus Basilius: «Εἶδον δὲ αὐτοῦ τὸ κάλλος Πέτρος καὶ οἱ υἱοὶ τῆς βροντῆς ἐν τῷ ὄρει... καὶ τὰ προοίμια τῆς ἐνδόξου αὐτοῦ παρουσίας ὀφθαλμοῖς λαβεῖν κατηξιώθησαν» (1). Quare transfiguratio de S. Basilii sententia alterius ejusdemque gloriosi adventus Jesu prooemium existit, aliquid videlicet quo paratur, introducitur, ostenditur quodammodo quasi extremus actus parusiae quocum est juncta transfiguratio.

S. Gregorius Nazianzenus, Magni Basilii amicissimus, cui Theologo cogno-

(1) Hom. in Psalm. 44; MG 29, 400.

men est ob tutam plane saluberrimamque doctrinam, tanta valet auctoritate ut ejus verba, quamvis pauca et paulo infinitiora, tamquam sacrae reliquiae, magna sint veneratione colligenda. Theologicarum disputationum, quae omnes accuratissima diligentia magnoque ingenii acumine conscriptae sunt, in prima de Filii persona magnus Doctor atque Theologus varia et opposita de humilitate et gloria quae ad Jesum, ut hominem ac Deum, respiciunt, numerando percenset. Quum oppositas has rationes exponit, sententiam quasi arcanum quiddam sonantem enuntiat: «ἐπὶ τοῦ ὄρους ἀστράπτει καὶ ἡλίου φωτοειδέστερος γίνεται, τὸ μέλλον μυσταγωγῶν» (1). Quidnam est futurum istud, τὸ μέλλον, quod significat S. Gregorius, quo *initiamur* (μυσταγωγῶν) a Jesu *transfigurato*, «fulgurante, solis luce splendidiore»? Interpres quidam antiquus et nobilis (saec. IX aut X), a quo decem et novem S. Gregorii orationes notationibus distinctae sunt, S. Doctoris verba clare ac praecise de parusia interpretatur. En ejus interpretatio: «...ταῦτα δὲ τύπος τις καὶ οἷον προμήνυμα τῆς δευτέρας αὐτοῦ φρικτῆς παρουσίας ἐτύγχανε» (2). Id vero est causae quod, ut idem S. Doctor in prima eaque mirabili prorsus ad Cledonium epistola scribit, Christus venturus est corporatus «τοιοῦτος δὲ οἷος ὤφθη τοῖς μαθηταῖς ἐν τῷ ὄρει, ἢ παρεδείχθη, ὑπερνικώσης τὸ σαρκίον τῆς Θεότητος» (3). Itaque Christus parusiae tempore is quidem adveniet qui a discipulis est visus in monte. Cogitatio haec, a S. Gregorio N. leviter significata, rationem illam modumque rei contemplandae cons-

(1) *Orat.* 29, *theol.* III, n. 19 (ad extremum); MG 36, 100.
(2) *In S. Greg. N.*; MG 36, 814. Interpres hic appellari solet *Elias Cretensis*.
(3) *Ep. CI*; MG 37, 181.

tituet quo multi Patres deinceps utentur ad explicandum conjunctionis genus quod transfigurationi cum altero Domini glorioso intercedit adventu.

Nolumus cursum nostrum retardari communi quadam commemoranda significatione quae apud S. Gregorium Nyssenum reperitur, cujus auctoritas a Sanctis Basilio ac Gregorio Nazianzeno sine dubitatione superatur (1).

S. Ephraem audiamus, cujus sententiae illustres sunt et orationis ubertate copiosae. Ejus autem testimonium dignum est quod singulari attentione notetur, quippe cum S. Ephraem non contemplationes nobis inquisitionesve sive philosophicas sive theologicas de suo afferat, sed purum liquidumque reddat quod fidelibus communiter tradebatur. Per amplum igitur ac viridissimum locum, frondibus et arboribus saepius quasi profusa luxurie opacatum et tectum, ubi cantibus, precibus, gemitu, animi permoti multiplici variaque significatione totum mirifice personat, pura fluit atque pellucens fides sensusque communis. Duo exempla, etsi brevia, seligemus. Primum adduximus jam supra, estque de concione quadam super transfiguratione descriptum. Ita se habet: «Viri etenim quos dixit non gustaturos mortem, donec videant figuram adventus ejus hi sunt quos assumptos duxit in montem, et ostendit eis quo pacto venturus sit in die novissimo, in gloria divinitatis et in corpore humanitatis suae (2). Alterum exstat in oratione In Natalem Domini: «Sed et cum hominibus conversantem (Eliam) spectare datum fuit, Moyse et pariter praesente, tunc quando mitissimus ex imis et Zelotes e summis evocati, Filium Dei in medio

(1) Cfr. *Alter. laud. S. Steph.*; MG 46, 732.
(2) *Opera Omnia*, ed. *Assemani*, v. 2 (graec.), p. 42.

stantem praesentemque habuerunt. Nempe mysterium postremi ejusdem adventus repraesentare debebant, sic ut Moyses vita functorum personam ageret, vivorum Elias» (1).

Eusebii Caesariensis, qui auctoritate multo inferior est, testimonium satis illustre descripsimus. Nunc claram, expressam, reique nostrae congruentem promemus edemusque sententiam. Ait Eusebius Christum apostolis in transfiguratione rebus ipsis persuadere voluisse «τὸ μέγα καὶ λανθάνον μυστήριον τῆς δευτέρας αὐτοῦ Θεοφανείας... αὐτοῖς ὀφθαλμοῖς δεικνὺς αὐτοῖς τὴν εἰκόνα τῆς θεϊκῆς αὐτοῦ βασιλείας» (2).

At colligamus jam seu potius in memoriam reducamus S. Joannis Chrysostomi testimonium quod saeculum quartum praeclare concludet eritque quasi triumphalis aditus ad quintum. Illustri brevitate formatum facile in memoria insidet. Ergo secundum S. Doctorem Christus transfiguratione vult «τὴν ὄψιν αὐτῶν πληροφορῆσαι καὶ δεῖξαι τίς ποτέ ἐστιν ἡ δόξα ἐκείνη μεθ' ἧς μέλλει παραγίνεσθαι» (3). Quare transfiguratio docet seu ostendit qua sit Christus Dominus in altero adventu gloria et majestate venturus. Est autem haec eadem illa cogitatio quam S. Gregorius Nazianzenus significavit, quae deinceps posterioribus saeculis apud scriptores, praesertim Occidentis, crebro satis existet.

Clarissime affirmat interdum S. Cyrillus Alexandrinus rationem connexi quae in transfiguratione inest cum altero Domini adventu; praesertim vero, quum S. Matthaeum exponit,

---

(1) Lc., v. 2 (syr.), p 398.
(2) *In Lucam*; MG 24, 548-549.—Cfr. *Est. Ecl.*, t. X, p. 489.
(3) *In Matth. hom.* 56 (al. 57); MG 58, 549.

brevi comprehendit quod est praecipui ad istam conjunctionem insigniter notandam. Tanti Doctoris expositio ita se habet: «In ipsa vero (transfiguratione) quoque secundi adventus dignitatem, et terribile subindicavit prooemium, hanc illius etiam quasi confirmationem ostendens; veniet enim in gloria Dei et Patris...» (1). Patet S. Cyrillum, quod Christus sit Patris gloria venturus, idcirco transfigurationem p r o o e m i u m et c o n fi r m a t i o n e m parusiae vocare.

Majori quidem brevitate, at non minori perspicuitate, T h e o d o r e t u s quoque affirmat vinculum quoddam transfigurationi cum altero Christi adventu intercedere. In celeberrima enim ad Constantinopolis monachos epistola, cujus supra mentionem fecimus, post commemoratam descriptamque praecipuis quibusdam lineamentis transfigurationem, haec adjicit: «ἐδίδαξε δὲ διὰ τούτων τῆς δευτέρας ἐπιφανείας τὸν τρόπον» (2).

S. Cyrilli ac Theodoreti claris apertisque sententiis illustres alii viri non minori vi resonant minorique alacritate decernunt. Notandumque illud est quod non solum in sapientibus libris et commentariis, verum in concionibus etiam ratio illa connexi affirmatur quae cum parusia in transfiguratione inest.

Nobilis constantinopolitanus orator, S. P r o c l u s (446), suo tempore magnopere probatus, quadam in concione asserit Dominum esse transfiguratum «ἵνα ἡμῖν δείξῃ... τὴν ἐσομένην ἐπὶ τῶν

(1) MG 72, 424-425. En graecum «Ἐν αὐτῇ δὲ (transfiguratione) καὶ τῆς δευτέρας παρουσίας τὸ φρικτὸν ὑπεδήλωσε ἀξίωμα καὶ τὸ προοίμιον, ταύτην ἐκείνης καὶ οἷον βεβαίωσιν ἐνδειξάμενος.» Sententias has verbum e verbo, exprimit auctor «Veterum Scholiorum» de S. Matthaeo: MG 106, 1129. Notandum est: quod Christi promissum *ascensione* servatur, id ab hoc auctore proprie refelli.

(2) *Monachis Constant. ep.* 145; MG 83, 1385.

νεφελῶν ἐν φωτὶ μετ᾽ἀγγέλων δευτέραν ἔλευσιν» (1). Itaque alterum supra nubes adventum voluit in transfiguratione Dominus ostendere, se nimirum gloriae ac majestatis plenum, angelorumque choris stipatum extremis temporibus esse venturum.

Lectione dignissima est, quod ad rem nostram attinet, alterius oratoris homilia de transfiguratione, Basilii scilicet archiepiscopi Seleuciensis, cujus supra mentionem fecimus, eloquentis sane viri sed nimis fortasse rhetorice agentis. Post exordium sollemne, quod tamen non omnibus forte probabitur, in quo sermo est de altero et glorioso Christi adventu, ita disserere pergit: «Illius igitur adventus gloriam quum vellet discipulis aperire, ait: Sunt quidam ex vobis qui non gustabunt mortem... &» (2). Deinde exponit quomodo discipuli se difficiliores Domini verbis praebuerint: «Vobiscum de passione disserui, et animus obtorpuit; dicebam in crucem me agendum, et vobis mens terrore fracta est... &» «Quandoquidem igitur inefficax nostra est oratio, res docebunt: Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in gloria Patris sui. Secundi mei adventus tempus nondum est...» Animadvertantur nunc singulari modo consequentia verba, et quidem in graeco.. «...ἀλλ' ὑμῖν, τοῖς ἐμοῖς μαθηταῖς, τῆς παρουσίας εἰκόνα σπεύδω, ἵνα πρόωρον θέαν προχαρίσασθαι τρυγήσαντες ἔχητε πίστιν τῶν μελλόντων τὰ φθάσαντα» (3). Ergo transfiguratio est εἰκὼν τῆς παρουσίας, alterius Christi adventus

(1) *In transfig. Domini, Or.* VIII, n. 2; MG 65, 768.
(2) Lc., n. 2; MG 85, 454.
(3) Lc., col. 456.

imago; θέα πρόωρος, visio rem anticipans hoc est quae prius habetur quam res ipsa contingat: πίστις τῶν μελλόντων, vadimonium seu pignus futurorum.

Sequitur transfigurationis agens, insignita, rhetorica descriptio, in qua tum alia satis singularia tum haec notare licet: «Visio autem, ipso rerum visarum fulgore undequaque spectantes perstringens, venturum universi judicem subobscure signavit» (1). Atque paulo post, jam plus plusque ardens, exclamat: «Beati oculi qui formidabilem judicii diem placidissime conspexerunt. Nam quae tremebundi videbunt alii, ea cum jucunditate viderunt» (2). Tandem judicii postremi descriptionem, incitatam et vibrantem, his verbis, ad nostram rem maxime spectantibus, claudit: «Hujus ergo spectaculi simulacra, τὰς εἰκόνας, Dominus apostolis dedit» (3). Patet igitur Basilium Seleuciensem in transfiguratione rationem videre connexi cum altero Christi judicis adventu, ad eum modum quo imago, signum, pignus, cum ipsa re ac veritate conjungitur.

Etiamsi subsequentibus saeculorum aetatibus nulla jam videremus deinceps emergere testimonia, certum habere possemus Orientem magnorum Doctorum vestigiis, S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, S. Cyrilli Alexandrini constanter institisse. Nova tamen alia e praecipuis viris propria et expressa testimonia majorem nobis conferent securitatem.

S. Joannes Damascenus, in cujus laude illud praesertim ponitur quod traditam a Patribus doctrinam collegerit, ipsas summas rerum ac sententiarum expresserit, ordinarit, homiliam habet acrosticumque longiusculum de transfigura-

(1) L.c., col. 458.
(2) L.c., col. 459.
(3) L.c., col. 462.

tione. Ex homilia quaedam jam antea descripsimus; acrosticum vero has minime obscuras exhibet sententias: «Ut tuam ostenderes aperte arcanam secundam descensionem... apostolis in Thabor cum Moyse et Elia ineffabiliter splenduisti, «ἵνα σου δείξῃς ἐμφανῶς τὴν ἀπόρρητον δευτέραν κατάβασιν...» (1). Vix potest majori vi, vix etiam brevius affirmari arcta quae cum altero adventu inest in transfiguratione conjunctio.

Eamdem quoque mutuam conjunctionem satis aperte confirmat vir sanctissimus, saepe martyr, Traditionis maxime retinens quam incredibili constantia perpetuo defendit: S. Theodorus Studita (826). Eo duce, ad illa tempora proxime accedimus quibus gravissimi Orientis atque Occidentis discidii vestigia prima eruperunt. In ejus XX Catechesi illustrem hanc affirmationem legimus: «At transfigurationis festum futuri aevi apocatastasim depingit. Nam quem ad modum Resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba velut lux (Matth. XVII, 2): haud secus et e caelo quasi fulgur veniet, cum potestate magna et majestate, ut omnia judicet» (2). Quare apocatastasis sive rerum omnium in futurum tempus iterata constitutio transfiguratione describitur. Cur, quaeso? quod talis in transfiguratione Dominus splendet qualis ad omnia judicanda, plenus gloriae ac majestatis, extremo est tempore venturus. Id igitur est causae cur gloriosum Christi reditum ad omnia redintegranda seu ad extremam apocatastasim transfiguratio significat.

Orientis ecclesia, etiam ab Occidente sejuncta,

(1) MG 96, 849.
(2) *Theodori Studitis Praep. Parva Catech.*, ed. *Auvray*, Parisiis 1891, p. 72.

majorum explicationes retinuit. Exempli causa duos nominemus interpretes, in Oriente separato celeberrimos: Theophylactum et Euthymium Zigabenum; uterque S. Joannem Chrysostomum ducem et magistrum fideliter sequitur.

Theophylactus (p. 1090) in S. Marci commentariis haec aperte pronuntiat: «...Sunt quidam ex hic stantibus, nempe Petrus, Jacobus et Joannes, qui non morientur donec ostendero eis in transfiguratione quanta cum gloria venturus sim in secundo adventu. Nihil enim aliud erat transfiguratio quam secundi adventus significatio, προμήνυμα» (1).

Euthymius Zigabenus (p. 1118) in eamdem sententiam ita scribit: «Regnum autem suum... splendorem illum nominavit, tamquam qui sit praenuntius et paradigma, προμήνυμα καὶ παράδειγμα, splendoris illius, cum quo postmodum descensurus est, quando reddet unicuique juxta id quod operatus est» (2).

Scriptores ex Occidente

Serius quam in Oriente vident Occidentis Patres in transfiguratione cum altero Domini adventu rationem inesse connexi. Apud S. Hilarium et S. Ambrosium nondum exstant satis expressa vestigia. Per S. Hieronymum Occidentis Ecclesia cum magnis Orientis Ecclesiae Doctoribus concinere videtur. Ejus verba, etsi antea jam commemorata, de integro oportet afferre. Itaque ut quem discipulis cohortatio ad crucem ferendam

---

(1) MG 123 (1), 578.—Eadem vi loquitur apud *Comm. S. Matth.* lc., cols. 323, 327.

(2) *In Matth.* XVI, 28; MG 129, (II), 475.—Apud Migne deest membrum quod graeco respondeat: «ὡς οὖσαν προμήνυμα καὶ παράδειγμα τῆς λαμπρότητος ἐκείνης...»

terrorem injecisset, eumdem ex eorum animis pelleret, nuntiat illis Jesus alterum adventum «in gloria Patris sui cum angelis suis ut reddat unicuique secundum opera ejus». Quum haec Maximus Doctor exponit, apostolos inducit quasi intimis sensibus ita opponentes: «...Occisionem et mortem nunc dicis esse venturam; quod autem promittis te adfuturum in gloria Patris cum angelorum ministeriis et judicis potestate, hoc in dies erit et in tempora longa differetur. Praevidens ergo occultorum cognitor quid possent objicere, praesentem timorem praesente compensat praemio. Quid enim dicit? S u n t q u i d a m d e h i c s t a n t i b u s... &; ut qualis est postea venturus, ob incredulitatem vestram praesenti tempore demonstretur» Continuo transfiguratio describitur, eaque descripta, S. Doctor adjungit: «Qualis futurus est tempore judicandi, talis apparuit apostolis». Tandem concludit his verbis: «Futuri regni p r a e m e d i t a t i o et gloria triumphalis demonstrata fuerat in monte» (1). Ergo e S. Hieronymi sententia, illius promissi de altero suo ad judicandos homines glorioso adventu fidem apostolis Dominus in transfiguratione facere voluit; fecit autem, quum talem se ostendit in monte, qualis postea ad judicandum redibit. Quare transfiguratio Christi recte vocari potest futuri regni p r o o e m i u m, cujus quidem regni primus est actus alter gloriosus adventus: «Futuri regni p r a e m e d i t a t i o».

Verum tamen S. Hieronymi interpretatio non eo est accepta modo qui praevideri posse videbatur. Itaque quod Salvatoris promissio de morte non prius quibusdam obeunda quam «videant Filium hominis venientem in regno suo» per

---

(1) *In Matth.* l. III; ML 26, 121-123.—Cfr. *Anecdota Maredsolana*, v. III, pars. II, *Tract. sive Hom.*; Maredsoli 1897, pp. 347-348.

transfigurationem explicetur —sive simpliciter, nullaque interposita reconditiori significatione, sive summum transfiguratione sumpta tamquam caelestis gloriae simulacro, at nihil admodum presso vocabulo illo «v e n i e n t e m»—, multo magis frequentatur quam quod in eadem transfiguratione alter Christi adventus splendere aut aliquo saltem modo significatus esse videatur. Ad id fortasse contulit cum S. Augustini silentium, tum S. Gregorii M. interpretatio, quippe qui, nova interpretandi ratione producta, impedire potuerit quominus altior quaedam, at recondita, transfigurationis significatio vestigaretur in animosque penetraret. Non desunt tamen identidem nobiles testes qui Doctoris Maximi interpretationem in memoriam reducunt.

Convenit inter omnes S. P a s c h a s i u m R a d b e r t u m in iis scriptoribus esse numerandum qui, ea aetate f l o r i l e g i o r u m et compilationum tam fertili, minus de aliorum scriptis decerpserint, plusque attulerint de suo. Ergo in nostra causa S. Paschasius interpretationem S. Gregorii M. penitus omittit, nullamque aliam praeterquam transfigurationis explicationem, cui altiorem arcanamque sententiam breviter affingit, cognoscere videtur. Haec autem sunt illius verba: «...hic (scilicet in promissione S u n t q u i d a m &), licet paucis, se firmat ostensurum venientem in regno suo, antequam de proximo mortem gustarent. Et hoc quidem quia in ea claritate se transformavit in monte coram discipulis, quos secum assumpsit, in qua venturum se promiserat in gloria Patris cum angelis suis» (1). Claris apertisque verbis asseritur ratio connexi quae et cum altero adventu et cum trans-

(1) *In Matth.*; ML 120, 575.

figuratione promissioni Salvatoris inest, nimirum cum transfiguratione tamquam pignore, sive anticipatione, sive communiter tamquam signo alterius adventus. Quapropter in S. Paschasii explicatione videamus licet quemadmodum apud S. Matthaeum 28 versus capitis XVI «S u n t q u i d a m &» tum cum superioribus versibus, qui postremum judicium describunt, tum cum consequentibus qui transfigurationem narrant, arcte sit riteque conjunctus. Nihil est igitur apud S. Matthaeum in perpetuitate loci, interprete S. Paschasio, nisi praeclara constantia.

S. A n s e l m u s in homilia quadam de transfiguratione S. Hieronymum fere describit ad verbum. Similiter atque Sanctus hic Doctor, inducit etiam ipse apostolos intimis sensibus ista opponentes sollemni illi Christi promissioni de glorioso suo adventu «ut reddat unicuique secundum opera ejus»: «Occisionem et mortem nunc dicis esse venturam; quod autem promittis adfuturum te in gloria Patris cum angelorum ministeriis et potestate judicis, hoc in tempora longa differetur. Praevidens igitur occultorum cognitor quid possent objicere, praesentem timorem praesente compensat praemio. Subjungit enim: A m e n d i c o v o b i s, s u n t q u i d a m... & Ac si diceret: Qualis venturus est in fine, talis ob incredulitatem vestram praesenti tempore demonstrabitur» (1).

---

(1) ML 158, 603.—S. Anselmi verba alterum adventum clare videntur sonare. Mirum tamen non nihil est nobis S. Doctorem in consequentibus ad alium considerandi modum, aliquantulum diversum et cum superioribus minus congruentem, specie saltem prima transire; quod profecto nonnihil est mirum in viro tanti ingenii tantaeque constantiae. Pristina igitur quadam renovanda cogitatione, ita scribit: «*Venientem* quippe *in regno suo* viderunt eum discipuli sui, qui in ea claritate viderunt fulgentem in monte in qua *peracto judicio* ab omnibus sanctis *in regno suo* videbitur» l.c.—Jam S. Beda in Sanctorum Marci et Lucae commentariis hunc considerandi modum perpetuo retinuit (ML 92, 217, 454); atque ita quidem

De S. Hieronymo similiter decerpit, etsi alio utatur loco, interpres Zacharias Chrysopolitanus: «Transfiguratus est, dicitur, quia talis apparuit apostolis, qualis futurus est in judicio» (1).

Zacharia interprete (c. 1155), ad medium saeculum XII pervenimus. Ingrediamur nunc in aureum philosophiae ac theologiae scholasticae saeculum, etiamsi ideo tantum ut pauca quaedam exempla libemus; imprimis autem S. Thomam audiamus. In Angelico autem Communique Doctore recinit tantum fideliter et resonat quod usque ad ejus aetatem ediderat antiquitas. Itaque tum quum S. Matthaeum, tum quum Sanctos Marcum atque Lucam, productis Patribus, in «Catena Aurea» interpretatur, semper aliquot affert testimonia in quibus transfigurationi significatio alterius adventus adscribitur (2).

S. Alberti Magni diximus initio mentem cogitationemque ditiorem esse atque affluentiorem. Praeter utramque communem et pervaga-

---

ut proprie notaret Dominum ipso judicii tempore non eo se, quo postea, gloriae splendore ostensurum: «...qualis tunc apostolis apparuit, talis post judicium cunctis apparebit electis. Nam ipso tempore judicandi et bonis simul et malis in forma servi videbitur...» (lc., cols. 217, 454). Jam vero de libris S. Bedae alti sunt plurimumque ex iis materiae locosque plurimos, ut illis temporibus mos erat, diversarum aetatum auctores collegerunt. S. Bedam describit Rhabanus Maurus. Rhabanum Maurum describere videtur Walafridus Strabo, scriptor notissimus ac saepe descriptus. Videatur v. gr. ejus *Glossa Ordinaria* (*Ev. Marci*, IX, 1; ML 114, 212; —*Ev. Luc.*, IX, 29; ML 114, 280). Videantur etiam S. Matthaei commentarii a benedictino *Christiano* conscripti (ML 106, 1400-1401).—Qui hujus cogitationis initium pepulit, fuit fortasse S. Joannes Chrysostomus quum in homilia, cujus supra mentionem fecimus, dixit apostolos eam gloriam, qua Salvator adveniet, conspexisse «quantum scilicet capere poterant» (lc.).

---

(1) *In unum ex quatuor*, l. III, cp. 91; ML 186, 291.

(2) *Opera Omnia*, ed. Parmensi, t. XI, pp. 202, 85-386; t. XII, p. 105.—De S. Matthaei commentariis, qui S. Thomae non certo adscribuntur, confer «Est. Ecl.», t. 12 pp. 358-359.

tam explicationem, tertiam affert quae subsequentibus temporibus longe lateque manabit. Quin immo transfigurationis vim significantius S. Albertus exprimere videtur. In eo autem nonnulla est admiratio quod expressior haec significatio in S. Marci commentariis deprehenditur, quamvis S. Marci locus minus est aptus quam S. Matthaei, ut in illo alter Domini adventus significatus esse videatur. In eorum verborum locum, quae mysterii plena exstant apud S. Matthaeum: d o n e c v i d e a n t F i l i u m h o m i n i s v e n i e n t e m i n r e g n o s u o, haec alia sufficiuntur a Sancto Marco: d o n e c v i d e a n t r e g n u m D e i v e n i e n s i n v i r t u t e. Quae ita declarat S. Albertus: «R e g n u m D e i, hoc est, figuram decoris regni in signo et claritate transfigurationis... V e n i e n s i n v i r t u t e, quia secundus adventus Christi non erit in infirmitate, sed in potestate et virtute; et hanc gloriam praemonstravit in transfiguratione» (1). Quapropter, e S. Alberti Magni sententia, gloriam alterius adventus Christus apostolis in transfiguratione p r a e m o n s t r a v i t.

Duobus his maximis antiquitatis magistris atque doctoribus auditis, alium quoque virum auctoritatis gravissimae, quem fere doctorem recentem appellare possumus, testem audiamus. Verba illa S. Matthaei «...i n r e g n o s u o» quum M a l d o n a t u s interpretatur, orditur hoc modo: «Quid Christus hoc loco per regnum suum intelligat, interpretum sententiae mirum in modum variant». Postea vero quam alias interpretationes refutavit, hanc ipse gravissimam audet ferre sententiam: «Itaque vera est omnium veterum auctorum interpretatio... regnum Dei Christi transfigurationem appellari.» Haec est enuntiatio; sequitur pau-

---

(1) *Opera Omnia*, v. XXI, ed. *Vives*, 1894, p. 540 a.

lo post explicatio: «Vocat ergo Christus transfigurationem regnum suum, non quia proprie regnum, sed quia futuri regni imago erat.» At ecquodnam est hoc regnum futurum? Nempe illud est «de quo versu praecedenti locutus fuerat: Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, ante cujus regni visionem non mori magnum profecto quiddam erat». Claudit autem expositionem haec illustri brevitate conformata sententia: «Sed illud ipsum regnum tres illi apostoli non in ipso, sed in figura, non praesens, sed per transennam, ostensum viderunt» (1). Praeclare acuteque dictum! In transfiguratione, non in ipso quidem, at certe tamquam in imagine seu simulacro, tres apostoli conspexerunt «illud ipsum regnum» quod Christus proxime descripserat, quum ad judicandos homines alterum adventum extremis temporibus gloriosumque describeret.

Patet noluisse nos, testimoniis adducendis, neque perfectam interpretum historiam, neque imperfectam scribere, neque eruditionis ergo plura testimonia percensere numerando; sed illud tantum nobis propositum fuit ut aliquot afferremus testimonia, semper fere auctoritatis maximae, quibus manifestum omnino fieret non nova nos excogitare aut de nostro depromere, sed solum vestigiis insistere quae majores nostri clara satis et expressa reliquissent; saltem ita clara et expressa ut nostris etiam temporibus liceat illa persequi, sententiamque, ad Patrum normam directam, vere omninoque habere probabilem; quod quidem est nobis in tota hac disputatione propositum, humile illud quidem, verum ejus modi ut ad totam causam

(1) In Matth., XVI, 27, 28; lc., col. 389.

recte sapienterque dijudicandam non parum conferre videatur.

Itaque, ut brevi comprehendamus: 1) collata cum altero Christi adventu transfiguratio a Sanctis Patribus scriptoribusque antiquis ecclesiasticis appellatur: τύπος, εἰκών, παράδειγμα, βεβαίωσις, πίστις, προμήνυμα, προοίμιον, praemeditatio, signum, imago, figura; 2) idem Sancti Patres scriptoresque asserunt Christum in transfiguratione tribus apostolis praesignificasse qua esset gloria ad judicandos homines ipse venturus.

Itaque multiplici variaque ratione et modo illa res sive factum constanter asseritur: cum altero Christi adventu in transfiguratione rationem inesse connexi. Veniamus tandem ad uberiorem hujus facti explicationem.

II. — Quae in transfiguratione cum altero Christi adventu habeatur ratio connexi.

Arcta illa promissionis, qua Filius erat hominis videndus, cum postremo judicio statuta conjunctione, profecto quidam, antequam morerentur, «Filium hominis venientem in regno suo» ad homines judicandos videre debebant. Verum unam eamdemque rem videre licet aut in se ipsa aut in alia re quae sit tamen illi certo connexa. Velut quum ea, quae fieri possunt, Deus dicitur in se ipse videre, non illud solum significatur Deum se, omnium quae fieri possunt perfectissimam causam, videre, sed id etiam significatur ea ipsa, quae fieri possunt, a Deo videri, quamquam illa in se ipse videt seu, ut ajunt, in «essentia» sua, tamquam in re cum illis certo ac necessario juncta. Quapropter, Christi promissionis vi ac natura quidam, antequam morerentur, alterum Christi adventum conspicere debebant aut in illo ipso Christi ad-

ventu aut in re illi necessarie certoque connexa. Jam vero alterum Christi adventum in re ipsa nemo, antequam mortuus fuit, conspexit. Ergo quibusdam videndus fuit in re aliqua illi certo connexa. Hanc rem transfigurationem fuisse, Traditio demonstrat.

I. Quam sit transfiguratio apta ut alterum Christi adventum in illa secundum ipsius Christi apud S. Matthaeum promissum (XVI, 28) contemplemur.

Re vera, quum Dominus promisit, non praefinivit significanter ecquodnam esse deberet factum in quo, tamquam in imagine, signo, pignore, aut communiter tamquam in re necessario connexa videndus esset quibusdam alter adventus. Ergo istud factum oportebat esse singulare quiddam, quod sua vi suaque sponte, Domini promissione posita, et in apostolorum animis alterius adventus cogitationem excitaret, et simili modo, Domini promissione posita ejusdemque promissionis vi manifesto existeret quaedam quasi imago, signum, pignus, vadimonium, aliquid nimirum quod esset cum altero adventu hac illave ratione conjunctum.

Factum istud transfiguratio est. Nam primum quidem transfiguratio in tota Christi vita singulare factum est; singulare, cum aliis de causis, tum propterea quod, nisi semel in transfiguratione, non constat Christum se ostendisse eo splendore eaque majestate qua ad homines judicandos est ipse venturus. Praeterquam quod hac occasione nusquam, neque quoties Christus a mortuis excitatus apparuit neque quum ascendit in caelum, mentio fit ulla eorum omnium quae splendida, mirabilia, mysterii plena tum S. Petrus tum synoptici tres congerunt, quum

divinum praebent describuntque transfigurationis spectaculum. Praeterea aeternus Pater in transfiguratione, quod quidem jam fuit a nobis notatum quum S. Petri locum explicaremus, Christum magnifico quodam modo «Filium suum dilectum» sive unigenam appellat; et sane in monte Thabor gloria Patris atque majestas Christum manifesto quasi circumdat, totumque perfundit caeleste illud divinumque spectaculum: gloria scilicet illa qua Christus ad judicandos homines adveniet, «Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus». Porro sexto tantum die postquam Christus gravissima haec verba de altero suo «in gloria Patris» adventu pronuntiavit, et iis quidem adjunctis quibus tum ceteri apostoli tum maxime S. Petrus (1) intimo animo permoveri debuerunt, trium apostolorum in conspectu, S. Petri nominatim, Christus transfiguratur.

Jam vero, posito Christum asseverasse Patris se gloria et majestate ad judicandos homines esse venturum, adjuncto etiam ut continuo promiserit fore ut quidam, antequam mortem obiissent, illum essent conspecturi «venientem in regno suo»; transfiguratio in monte Thabor, factum videlicet prorsus singulare si de ostendenda agitur gloria qua Christus est extremo tempore venturus, quin

---

(1) S. Petri aures animusque etiam tunc promissione primatus personare debebant; hujus autem promissionis tempore Christus primo de sua morte suppliciisque clarissima voce loquutus est, atque etiam, occasionem nactus e S. Petri morositate ac difficultate, gravissime omnes admonuit de crucis ferendae necessitate, ipsum sequendi, omnium denique, si ad animi salutem opus fuerit, amittendi: «Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus».—Haec omnia, utpote recentia, gravissima ratione pronuntiata, in S. Petri ceterorumque apostolorum animis alte infixa esse debebant.

immo, Patris ipsius gloria penitus perfusum promissionemque illam proxime consequens qua edixit Christus se Patris gloria esse venturum, contemplantibus illam tribus apostolis evadebat manifesto vadimonium quoddam, pignus, signum certum alterius adventus futuri. Nempe apostoli, quum in monte Thabor Jesum viderunt qualis est postea venturus, tunc velut in imagine et simulacro mirabili venientem eum conspexerunt; montis Thabor splendor et gloria quasi prooemium prolusioque exstitit quae tribus apostolis, in iisque nobis ipsis, id splendoris et gloriae praenuntiavit qua extremis temporibus ad nos judicandos Jesus est ipse venturus.

Atque ita quidem intellexit traditio, cujus sunt omnes istae multiplices variaeque dicendi rationes, quibus adhuc usi sumus. Ita porro intellexit S. Petrus. Si enim non transfiguratio sed aliud fuisset id in quo Christum «venientem in regno suo» quidam conspexerunt, illud profecto elegisset S. Petrus, quum e cunctis Domini factis unum sibi deligendum proposuit quo Christum Patris gloria venturum singulari ratione comprobaret. Hac denique perantiqua explicatione perfectus servatur contextus concinnitasque pellucens toto narrationis tractu cum apud synopticos communiter tum nominatim apud S. Matthaeum; tunc enim versus 28 e capite XVI quasi nodus ac vinculum est quo tum ea quae antecedunt, postremi scilicet judicii descriptio et alterius Christi adventus, tum ea quae consequitur transfigurationis narratio perfecte cohaerent arcteque vinciuntur.

2. Quam sit transfiguratio singulari modo apta ut per eam intelligatur effecta Christi promissio: S. Matth. XVI, 28.

Quae adhuc consideravimus, id utique proban

in transfiguratione esse factum quod Christus promisit de morte quibusdam non prius obeunda quam alterum contuerentur adventum.

Profecto aliis etiam factis promissum Christi effici potuit, velut resurrectione, praecipue autem gloriosa ascensione in qua dixerunt angeli: «Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in caelum» (1). Quin immo, illud etiam libenter damus praesentias omnes Christi a mortuis excitati aut aliquas saltem, potissimumque ascensionem, re ipsa signum exstitisse certum in quo, praelucentibus quae de suo futuro adventu saepius iterata Christus asseruerat, apostoli ceterique discipuli alterum Domini adventum conspexerunt aut conspicere potuerunt. Id tamen impedire nequit quominus transfiguratio re vera tale signum sit; quin etiam, ne illud quidem impedire potest quod transfiguratio s i n g u l a r i m o d o existit apta ut per eam Christi promissum, quod transfigurationi proxime antecedit, factum esse intelligatur, conveniantque in ipsam quaedam ad hunc finem quae aut nullo modo aut minus reperire liceat in aliis quibuscumque factis, vel ipsius vitae Christi gloriosae. Ita exempli causa, neque in Christi Domini a mortuis excitati contemplatione neque in ascensione plane simpliciterque accidit illud «sunt q u i d a m ex hic stantibus...» De qua re perbene Maldonatus: «Quid enim magni erat, nonnullos ex discipulis suis morituros non esse, priusquam ipsum resurgentem viderent, cum non nonnulli, sed omnes viderint? Hoc autem loco cum dicit: s u n t q u i d a m d e h i c s t a n t i b u s, minime obscure significat, non omnes discipulos, sed paucos tantum et electos, eosque singulari privilegio, regnum illud suum, de quo loquebatur,

(1) *Act. Apost.*, I, 11.

priusquam morerentur, visuros esse» (1). —Praeterea totius loci contextus, in transfigurationem —quod supra exposuimus— tam praeclare conveniens, non adeo videtur compositus, compactus, coagmentatus, si versus 28 apud S. Matthaeum de resurrectione aut de ascensione intelligatur. Id autem majorem in modum affirmari sit necesse, si de Spiritus Sancti missione, de Hierosolymae eversione, de Ecclesiae amplificatione idem versus intelligatur; nam illam de S. Joanne nondum mortuo interpretationem penitus omittendam esse censemus. Accedit quod omnes praeter transfigurationem interpretandi formae sero nimis in lucem prodierunt, neque satis Patrum auctoritate fulciuntur; quaedam vero Patribus penitus ignotae sunt (2). Id autem luculenter indicat nullam tam esse perspicuam interpretandi formam quam transfigurationem: in qua Christus singulari prorsus ratione tamquam Filium se dilectum unigenamque Dei Patris ostendit, divina illius gloria et splendore perfusum, ita ut omnia omnino, tum splendida ipsa Christi praesentia tum vox clarissima Patris, in id convenire videantur ut quam maxime exstet atque emineat splendor ille Patris atque gloria qua se venturum Christus proxime affirmaverat, quum scilicet promisit fore ut quidam non antea morerentur quam illum conspicerent «venientem in regno suo».

Quamobrem, ut brevi comprehendamus, si quidem Dominus non praefinivit suae promissionis pignus seu vadimonium, signum videlicet certum in quo alterum adventum quidam essent conspecturi, transfiguratio illud est factum quod Domini promissioni significantius satisfacit, quodque, ea-

(1) Lc., col. 389.

(2) Cfr. quae supra satis copiose disputavimus.

dem posita promissione, planius et apertius pignoris seu signi naturam constituit et ostendit.

Restat ut unum addamus quod nova quadam ratione declarat quemadmodum, si transfiguratione fiat Christi promissum, illius sermo non subtilis aut exquisitus nimis, sed planus apertusque esse videatur. Profecto qui imaginem pignusve videt, is rem ipsam in imagine vel pignore videre dici potest. At vero si pignus vel imago e praecipua futurae ipsius rei maximeque insigni parte constabit, tum multo planius multoque liquidius, quando imago pignusve conspicietur, affirmari poterit ipsam rem veritatemque sive conspici sive esse conspectam. Itaque, quotiescumque aliquem ea omnino forma eoque habitu proprie videmus quibus rem est effecturus, acciditque praeterea ut ea forma habituque constitutus effector praecipua sine ulla dubitatione praestantissimaque sit pars eorum omnium quae sunt postea videnda, ita ut, si cum illo reliqua conferantur, vix minimi momenti instar habeant, pervagato et vulgari sermone dicere solemus videre jam nos hominem agentem reique ipsi operam dantem. Exemplorum magna est copia. Illud autem videtur esse causae quod tunc, etsi integram rem futuram —effectorem videlicet actionemque— in se ipsam non videmus, at quum ipsis oculis partem totius rei praecipuam praestantissimamque cernamus, quae nempe est ipse effector instructus et paratus ad opus, certumque sit nobis ex pignore promissoque dato actionem etiam, quae est pars minoris momenti, postea sine dubitatione futuram, affirmare jure meritoque possumus ac re ipsa usitato more simpliciter affirmamus ipsis nos oculis rem conspexisse. «Ecce Pontifex ad S. Petrum veniens» potest mihi aliquis dicere si Pontificem videmus eo modo habituque quo numquam ad alia loca sed solum ad

S. Petrum venire solet; atque id quidem, etsi tunc forte consistat aut nondum sit incepta profectio. Poterat autem idem dixisse, si forte antea promisisset: «Ostendam tibi ad S. Petrum euntem Pontificem». Verum de exemplo nulla sit controversia. Si cui istud non placebit, facile aliud reperiet.

Hanc similemve cogitationem Sancti Patres agitare animo videntur, quum, ad Christi promissum explicandum causamque afferendam quare ita Dominus promisisse potuerit promissumque fecisse, id insigniter asserunt Christum in transfiguratione eum se tribus apostolis ostendisse qui ad nos judicandos extremo tempore gloriose redibit. Explicatio haec, plana, simplex, moderata, in Occidente dominatur. In Oriente major quaedam varietas succurrit, at simul etiam non deest eadem quae in Occidente simplex interpretandi ratio. Sanctorum Ephraem, Joannis Chrysostomi, Cyrilli Alexandrini, aliorum quos supra testes attulimus, satis fuerit renovare memoriam.

Simile quiddam suggerere videtur Sacra Scriptura. Etenim apud S. Lucam in loco qui S. Matthaei loco respondet, ita Christus decernit: «Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate (=gloria) sua et Patris et sanctorum angelorum» (1): «ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ... etc.» Atqui S. Lucas significanter asserit apostolos tres in transfiguratione «evigilantes vidisse majestatem (=gloriam) ejus (2): «εἶδαν τὴν δόξαν αὐτοῦ». Quo quidem indicio Sanctus ipse Evangelista declarasse satis videtur gloriam futuri adventus tribus apostolis in transfiguratione fuisse patefactam. Ut autem hujus indicii vis perspici melius

(1) IX, 26.
(2) IX, 32.

possit, illud animadvertatur quod Dominus Noster quum gloriam describit qua est ipse venturus, modo «in majestate (= gloria) sua (1), modo «in gorlia Patris sui» (2), modo etiam «in majestate (= gloria) sua et Patris et sanctorum angelorum» (3) se dicit esse venturum.

Totam expositionem brevi quadam notatione claudemus. Sane si quis, nulla adjuncta condicione, assereret se rem quamdam vidisse, nihil aliud intelligendum occurreret nisi quod ille rem in se ipsam vidisset; quod autem in imagine exemplove, id et alte petitum nec satis planum apertumque recte putaretur, etsi illud quoque fortassis accederet quod pars et magis insignis et omnino praecipua in se ipsa visa esset. At vero si de re conspicienda promissio certa fit quae sine ulla est dubitatione servanda, constat porro nequaquam rem in se ipsam esse visam, profecto modus iste videndae rei obvius occurreret, verus ille quidem quamvis solum vicarius; ejusmodi tamen qui jure ac merito ad promissionem servandam satis omnino esse videatur.

III.—R a t i o n e s q u a e d a m o b j e c t a e

Iis, quae hactenus exposuimus, stabilitis et fixis, contrariorum commemoratio supervacanea propemodum videtur. Generatim ab hoc initio proficiscuntur quod transfigurationem considerant ab omni cum altero Christi adventu copulatione disjunctam (4).

---

(1) *S. Matth.*, XXV, 31.
(2) *S. Matth.*, XVI, 27; *S. Marc.*, VIII, 38.
(3) *S. Luc.*, IX, 26.
(4) Rationes contrariae breviter exponuntur a Carolo Weiss in copiosa quadam disputatione de eschatologicis verbis D. N. J. C.: *Exegetisch. zur Irrtumslosigkeit u. Eschatologie J. C.*; B. spezieller Teil, zweiter Abschnitt, II, §. 2, pp. 164-165; Münster i. W. 1916.— De universa hac materia copiose, erudite, subtiliter ibi disputatur. Pro sua parte rerumque considerandarum ratione et modo, laudibus justissimis hic auctor debet ornari. Verum tamen, ut rei conside-

Ex alio fonte manat quod R. P. Knabenbauer aliique non pauci transfigurationi objiciunt. Hi omnes modum premunt quo locutus est Christus. Scribit P. Knabenbauer: «Jam si Christus hoc brevissimum spatium designare voluisset, numquam dixisset: s u n t q u i d a m q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m. Hic enim loquendi modus evidenter longum temporis spatium indicat, intra quod plerique de hic stantibus mortem sunt obituri» (1). Haec nos satis intelligere non posse, aperte fatemur; quin etiam neque majores nostri, nisi omnino fallimur, intelligere potuissent. Omnis ratio causae in eo posita videtur ut quae sit orationis pars, in qua totius sententiae vis atque momentum maximum collocari debeat, recte definiatur. Certe verba illa «s u n t q u i d a m d e h i c s t a n t i b u s q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m...» ejusmodi sunt ut vis praecipua in illo membro «...q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m» possit collocari (2); quod quidem si

randae modum rationemque deligeret, ut securus ingrederetur aliosque etiam per difficillimos locos tuto regeret, fieri posse non putavit ut in universa hac disputatione de Sanctorum Patrum libris sacrum lumen accenderet quod in tantis tenebris praeferre sequentibus posset.

---

(1) *Comm. in Ev. S. Matth.*, ed. *Merk*, II, II, p. 82.—Haec cogitatio in quorumdam mentibus recentiorum scriptorum alte videtur infixa. En quae doctus sane theologus nuper asserebat: «...Il faut bien reconnaître que le texte et le contexte rendent bien peu vraisemblable que N.-S. ait voulu par cette prophétie indiquer sa Transfiguration. Vraiment était-ce bien nécessaire d'être le fils de Dieu pour dire à ses intimes *huit jours* avant l'événement: «Il y en a parmi vous qui ne goûteront pas la mort avant de voir le Fils de l'homme venant en son règne!» L'intervalle est trop court pour justifier les termes employés par les évangélistes». «L'Ami du Clergé», 1939, p. 253 b.—Haec aliave similia probari posse non videntur.

(2) Acute tamen notat eximius interpres R. P. Bover, sermonis tum latini tum graeci litterate peritus: «...neque (Christus) simpliciter dixit *Quidam de hic stantibus non gustabunt mortem*; sed, periphrastice loquens, dixit: «*Sunt* quidam de hic stantibus, *qui...*»; in quae verba, et quia primo loco posita, et quia periphrastice evoluta, tota cadit emphasis». «Verbum Domini», v. 19, p. 37, n. 5.—Hoc loco R. P. Bover ea, qua solet, illustri brevitate et concinnitate sententiam Patrum exponit, tuetur.

fieret, multum fortasse temporis recte videri posset esse requirendum. At vero momentum orationis maximum in alia sententia reponatur: illico totius orationis ratio commutari tibi videatur. Ut id plane perspici queat, aggrediamur ad expositionem, in longiusculi illius membri locum «s u n t q u i d a m q u i n o n g u s t a b u n t m o r t e m d o n e c &» hoc brevius supponentes «s u n t q u i d a m q u i a n t e q u a m m o r i e n t u r &» Erit igitur tota periodus: «S u n t q u i d a m d e h i c s t a n t i b u s q u i, a n t e q u a m m o r i e n t u r, v i d e b u n t F i l i u m h o m i n i s v e n i e n t e m i n r e g n o s u o». Hujus orationis concinnitate perspecta, facilius est et planius vim praecipuam in eo reponere momentumque maximum quod q u i d a m, p r i u s e t i a m q u a m m o r i e n t u r, illud honoris ac felicitatis assequentur quod Christi Regis gloriam intuebuntur. Haec est autem accurate vis atque sententia quam a Traditione acceptam habemus. Ad eam autem penitus indifferens est utrum longum an breve tempus interponatur inter promissionem Christi et factum illud quo promissio servatur; id enim solum attenditur quod quibusdam magnificum illud concedetur omninoque singulare, ut ante ipsam etiam mortem gloriam Jesu, qua est ipse extremo tempore venturus, intueri queant. Solum ea est utriusque orationis, longioris et brevis, differentia quod in hac exstare potius atque eminere videtur Traditionis sententia, quae propterea multo facilius patet consideranti; in longiore autem oratione, si solum verba penduntur et locus solitarius atque sejunctus aestimatur, utraque forte sententia orationi ita subjici potest ut neutra exstare atque eminere videatur. Sint sane ista. Verum aliud est Patris Knabenbauer sententiam verbis S. Matthaei subjici posse, aliud subjiciendam esse necessario. Quin

immo, ex ipsa sola lectione haec vel illa orationis sententia apparere potest, si quis longiori vel breviori mora, majori minorive vi, hanc vel illam orationis partem distinguit et notat. Ergo tandem quaenam sit definita sententia, non e solitario loco eruendum; sed imprimis videndum quo pacto universa concinant, quisnam sit rerum contextus; atque haec omnia, praeferentibus lumen Sanctis Patribus, perscrutanda sunt et explicanda.

Praeclare jam responderat simili objecto argumento Maldonatus. Objiciebatur videlicet nihil esse magnum, nihil insigne, nihil commemoratione dignum quod tres illi apostoli post Christi promissum sex octove dies in vita mansissent. Respondet autem egregius hic interpres: «Respondeo, id ad futurum longe post regnum esse referendum, de quo versu praecedenti locutus fuerat: F i l i u s e n i m h o m i n i s v e n t u r u s e s t i n g l o r i a P a t r i s s u i, ante cujus regni visionem non mori magnum profecto quiddam erat; sed illud ipsum regnum tres illi Apostoli non in ipso, sed in figura, non praesens, sed per transennam ostensum viderunt» (1).

---

(1) Lc., col. 389.

In arcano ac perdifficili loco, de quo adhuc disputavimus, interpretando liberum cuique sit eam probare sententiam quae sibi probabilior esse videatur, dummodo, quod planum est, hac ratione perfectam verborum Domini Nostri veritatem in tuto possit collocare. Verum tamen, quaecumque tandem eligitur sententia, impedire non debet quominus exposita a nobis interpretatio quae, si rerum summam respicias, majorum nostrorum mentem sententiamque fideliter exprimit, *vere* etiam *probabilis* jure ac merito habeatur. Quod si ita est, ad ceteras hujus interpretationis utilitates illa quoque opportunitas adjungitur ut Domini Nostri verba declaret, eo posito quod tum sua sponte maxime occurrit, tum eschatologistis planum atque etiam evidens videtur, scilicet verba illa: *Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo*, ad alterum gloriosumque Domini adventum simpliciter pertinere. Quod autem est omnium sine ulla dubitatione gravissimum, id vel maxime proprium hujus interpretationis videtur ut cum iis, quae majores nostri senserunt, plus —ne quid amplius dicamus— quam explicatio ulla consentiat.

CAPUT ALTERUM

De loco apud S. Matthaeum, cp. X, v. 23

«Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. A m e n d i c o v o b i s, n o n c o n s u m m a b i t i s c i v i t a t e s I s r a e l, d o n e c v e n i a t F i l i u s h o m i n i s.»

Locus, ad quem exponendum aggredimur, scopulosus quoque et certa quadam ratione difficilior forte videatur quam ille quem antea exposuimus. Et re quidem vera, plane videtur sermo haberi de «civitatibus Israel» propria vi ac notione vocabuli; plane de «civitatibus Israel» ab apostolis numquam finiendis sive exhauriendis tamquam locis in quibus, dum eos insectentur, possit esse perfugium; plane de altero Filii hominis adventu; postremo, quod interpretationem perdifficilem reddit, plane sermo non est, ut in loco supra exposito, de Filii hominis adventu dumtaxat videndo, sed de eventu ipso qui, vivis praedicantibusque apostolis, re ac veritate erit: «...n o n c o n s u m m a b i t i s c i v i t a t e s I s r a e l d o n e c v e n i a t F i l i u s h o m i n i s», vel significantius magisque proprie: d o n e c v e n e r i t; neque enim verbum est in «praesenti» sed in «aoristo», ἔλθῃ, ut actionem perfectam significari pateat. Quo quidem omnes aditus intercludi videntur pulchris quibusdam, prima saltem specie, interpretationibus, ad id excogitatis ut dissidentes inter se explicationes in concordiam reducantur, illae videlicet quibus sive resurrectio, sive Hierosolymae eversio, sive Ecclesiae mirabilis amplificatio, alterius Christi adventus ita jam quasi primus actus existunt ut ex eo tempore Dominus adveniat: ἔρχεται.

Itaque nihil mirum si vehementiores eschatologistae in hoc S. Matthaei loco magnopere nituntur, immo si eorum nonnulli in hoc loco vel maxime nituntur quippe quem firmissimum ad sua stabilienda commenta arbitrentur. «...Manifestum est promissionem hanc non esse servatam», pronuntiat Schweitzer ea qua solet confidentia sive potius audacia. «Discipuli redierunt, neque tamen Filius hominis apparuit» (1). Historico hoc facto, quod putat ipse certissimum, constituto, promissionem scilicet Domini neutiquam esse servatam, existimat Schweitzer se habere «d a s Z e n t r a l e r e i g n i s» ad vitam Christi Ecclesiaeque historiam explicandam, quippe quum noster etiam locus contineat «das erste Datum in der Geschichte des Christentums» (2). Eodem modo interpretes catholici salebras loci difficultatemque senserunt. Versus 23, scribit Meinertz, «eine ganz bedeutende Schwierigkeit enthält» (3). De eodem versu Carolus Weiss copiosam conficit disputationem (4); in cujus exordio scribit i n e n o d a b i l i a q u a e d a m urgere ne de altero Christi adventu locus intelligatur (5); et tamen nihilominus, si alterum Christi adventum hoc loco significari ponas, id sine dubitatione pones quod vel maxime planum atque perspicuum jure ac merito esse videatur. Postremo doctissimus theologus, prudentis valde sincerique judicii, R. P. Van Laak, asseve-

(1) *Von Reimarus bis Wrede*, Tübingen, 1906, p. 355.

(2) L.c., p. 366.—Pro sua quoque parte decernit Loisy: Domini promissio «suppose aussi l'imminence de la parousie, et avec une précision que relève la solennité de la formule: «Je vous dis en vérité». La prédiction serait aussi nette qu'invérifiée. Mais elle reflète au moins autant la foi ardent de la première communauté qu'un enseignement formel de Jésus». *Les Ev. Synopt.* I, §. XXXI, p. 884, Ceffonds 1907.

(3) *Jesus und die Heidenmission*, §. 6, ed. 2, p. 120, Münster i. W. 1925.

(4) *Exeget. zur Irrtumslosigkeit und Eschat. J. C.*, pp. 184-199, Münster i. W. 1916.

(5) L.c., p. 186.

rare non dubitat locum S. Matthaei X, 23 «ad obscuriores in toto N. T pertinere» (1).

Quum igitur de obscuro valde et arcano loco sit sermo, nihil mirum inter auctores variari. Neque tamen impedire id potest quominus eorum interpretationes, sive partim sive etiam omnes, vere probabiles esse videantur. Quod solum satis est argumenti temerarios esse eschatologistas, eorumque argumentationem funditus everti, quippe quae ut efficeret quod vult, probabilem omnem interpretationem c e r t o deberet excludere (2). Absit a nobis ut earum interpretationum, quas probatissimi interpretes adhibuerunt et ad nostra usque tempora adhibere perseverant, ullam directo refellamus. Earum probabilitatem libenter concedimus, quamquam nullam putamus apparere necessariam. Sua quaeque commoda et incommoda habet, eritque semper varius sententiarum delectus. Quod ad nos attinet, totam disputationem ad eam normam, quam nobis ab initio sequendam proposuimus, dirigentes, eam interpretationem afferre conabimur in qua nihil eorum negetur, quae maxime perspicua esse videantur; quod quidem in nostra interpretatione erit unum e praecipuis commodis. Volumus igitur ea omnia quae a nostris adversariis tamquam manifesta ponuntur, in nostram recipere interpretationem; duo imprimis, quibus positis, triumphare de nobis eschatologistae certo putant: primum quidem, in loco S. Matthaei X, 23 de «civitatibus Israel» propria vi ac notione vocabuli sermonem haberi; alterum, de glorioso Christi adventu sermonem quoque esse. Utraque hac re a nobis etiam posita libenterque concessa, contendemus, quantum maxime poteri-

(1) *Institut. Theol. Fund.*, tract. III, *de Rev. Christ.*, Prop. 12, n. 67, Obj. 6, p. 83, Prati 1911.
(2) Cfr. primam nostram ad omnes disputationes ingressionem.

mus, ut locum S. Matthaei ea, quae satis illustris sit valeatque, probabilitate, constanter convenienterque explicemus. Quo quidem magis magisque novo patebit aspectu novaque ratione quantum ex omni parte labet vel potius ruat eschatologistarum causa, qui tam facile gloriosi exultant, penitusque triumphare sibi videntur.

Prius tamen quam ad interpretationem aggredimur, quid de loco nostro traditio teneat, enucleabimus. Regiones intramus nulla paene investigatione contritas, ad quas porro investigandas nulla ferme suppetit monumentorum copia. Tamen nihilominus, si quidem gravissima Domini Nostri et arcana verba in disputatione versabuntur, opus erit, majori etiam solicitudine quam umquam alias, quidquid scripti hac super re Patres majoresque nostri reliquerint, id omne pia religione colligere. Si sacris his reliquiis interpretationem componere non possumus ea suffragiorum copia fundatam ut tamquam explicatio plena possit exhiberi, quae cunctas partes complectatur et illuminet, quam demum ceteris omnibus anteferant Patres, videbimus saltem quae Patrum judicio partes emineant, quae singillatim potiora ducantur, atque hoc modo tamquam initia sancta ponemus unde interpretatio tota compacta proficiscatur. Quod si neque ad id obtinendum valebimus, tunc profecto quod magis veri simile nobis magisque perspicuum esse videatur, tuto poterimus exponere.

PARS PRIMA

§ I

Quid doceant ac teneant Sancti Patres

I: ab initio ad saeculum V

Saeculis II-III

Nullum Evangeliorum commentarium T a t i a n u s (fl. 165) reliquit; at per D i a t e s s a r o n commentarios a S. Ephraem conscriptos perspicere possumus qua ratione et via quatuor Evangeliorum concordiam Tatianus confecerit, atque hoc modo interdum ejus sententiam, probabiliter saltem, circuitione quadam invenire. De nostro loco haec habentur. Tatianus demit de S. Matthaei X capite versus 17-22, copulatque versum 23, de quo nunc est proprie quaestio, cum iis qui apostolorum ad tempus missionem exhibent, id est, cum versibus 6-16 (1). Tatianus igitur «civitates Israel» vi ac notione vocabuli propria intelligebat, vicissimque membrum illud «donec veniat Filius hominis» ad alterum gloriosumque Filii hominis adventum retulisse non videtur. Verum quidem est vocabulum I s r a e l ab eodem Tatiano demi; at vocabulum istud, posita ea, quae constituta est, versiculorum conjunctione, plane aperteque succurrit (2). Praeterea in descriptione a S. Ephraem facta, notari oportet vocabulum h a s:

---

(1) Versus 6-15 apostolorum ad tempus missionem certo significant. Quod ad versus attinet 16-17a, sunt qui cum monitis, consiliis, praeceptisve sequentibus, ubi prospectus est amplior, illos conjungant; at, si versus 17b-22, quod Tatianus facit, demuntur, jam nihil est quare missionem ad tempus significare non putentur.

(2) Professor M. Meinertz, quum in disputatione supra commemorata, docta sane et subtili, locum nostrum —S. Matthaeum, X, 23— interpretatur, affirmat jam inde ab initio plane esse perspectum

«Amen dico vobis, non poteritis consummare h a s urbes, donec venero ad vos». Quamvis vocabulum h a s Sancti Ephraem esset additamentum, nihil aliud faceret nisi clare definiret quod totius loci contextus a Tatiano compositus suggerit vel plane indicat. Postremum versiculi 23 membrum «donec veniat Filius hominis», hoc modo reconcinnatum adducitur: «donec venero ad vos»; quae est multo aptior forma ut Jesus post missionem ad tempus apostolos iterum convenire dicatur. Nimia videtur haec mutatio ut Tatiano adscribi queat, cui Evangelii verba, quae ad suos errores non pertinebant, religiose describere cordi esse debebat. At, etiamsi S. Ephraem mutatio sit, profecto demonstrat ita fuisse a Tatiano totum reconcinnatum locum ut planum consentaneumque fuerit a sollemni forma «donec veniat Filius hominis» ad aliam vulgarem vitaeque quotidianae magis propriam devenire (1).

Asper T e r t u l l i a n u s aliqua semper molestia ac solicitudine locum aspexisse nostrum vi-

---

quantum molestiae afferat illud τοῦ Ἰσραήλ, haec autem duo verba a Tatiano simpliciter esse deleta (lc., p. 124). Id ut confirmet, adducit Zahn (*Forschungen zur Geschichte des neutest. Kanons und der altkirch. Literatur,* I, Erlangen 1881, p. 143, not. 11 quae evolvitur in p. 144). Zahn re vera scribit: «Doch ist das Fehlen jeder Spur von τοῦ Ἰσραήλ auch in Commentar auffällig» (lc., p. 144). Fatemur has animadversiones, eo saltem modo eaque sententia, quam eis Meinertz adscribit, a nobis non satis intelligi. Vestigia τοῦ Ἰ. videntur expressa, quandoquidem versus 23 cum iis jungitur qui solum missionem ad tempus respiciunt, praeterea definite additur *has urbes*. Ergo «civitatibus Israel» circumscribitur oratio. In S. Matthaei commentario scribit Zahn: «Die Tilgung von τοῦ Ἰ. durch Tatian war tendenziös (*Das Evangelium des Matth.*, ed. 3, Leipzig, 1910, p. 408, not. 42). Quidquid est de conatu, quem Tatianus forte habeat, omnium detrahendi, quae Israelem sonent, de Evangeliorum narratione (*Forschungen...*, p. 263), hoc tamen loco et quod ad definiendas civitates attinet, detractio nihil valeret.

---

(1) *Evangelii concordantis expositio facta a S. Ephraemo,* cp. 8; ed. *Aucher-Moesinger,* pp. 94-95, Venetiis 1876.

detur, non propter ejus eschatologicam et arcanam naturam, sed quod ibi, si te insectentur, fugam Dominus Noster sive praecipiat sive permittat. Nihilominus, quod ipsam Domini vocem haec verba referebant, idcirco erant religiosissime tenenda. Itaque quum tria praecipua possint in christiana Tertulliani vita tempora notari, in his tribus primum vestigia quaedam significationesve reperiuntur, postea copiosa disputatio, quamquam ea, quae ipsius intererat, ratione.

I. Anno 200 ad 206, quum rigidiores sensus nondum erumpunt multoque minus postremorum temporum rebellio, scribit Tertullianus duos libros «ad uxorem». Ab initio fere, legitimum esse matrimonium aperte pronuntiat, continuoque addit virginalem statum esse superiorem. Hactenus singulare nihil. At Tertullianus, semper ad extrema perveniendi cupidus, incipit deinceps de matrimonii bonitate detrahere. Ejus argumentandi rationem omittamus licet. Notemus solum apertam quamdam nostri loci significationem occasione illius explicandae sententiae: «Melius est nubere quam uri» (1). «Quale hoc bonum est, oro te, —scribit acri vehementique oratione— quod mali comparatio commendat? Ut ideo melius sit nubere quia deterius est uri. At enim quanto melius est neque nubere neque uri! Sed etiam in persecutionibus melius est ex permissu fugere de oppido in oppidum, quam comprehensum et distortum negare. Atque ideo beatiores qui valent beata testimonii confessione excedere» (2). Postrema verba teneamus. Imprimis S. Matthaei loci X, 23 significatio perspicua videtur. Illud «ex permissu fugere de oppido in oppidum» verbis Salvatoris resonat: «Quum autem persequentur vos in civi-

---

(1) I *Cor.*, VII, 9.
(2) I *ad uxorem*, cp. 3; ML 1, 1300.

tate ista, fugite in aliam». Nullus alius exstat locus quem suggerat contracta referendi ratio a Tertulliano adhibita, in quo videlicet directe definitaque oratione id exprimatur quod Tertullianus fugae permissum vocat, alii vero mandatum meramve certi cujusdam modi significationem quo persequentium furor declinetur, sive hic evadendi modus solum permittatur sive etiam praecipiatur interdum. Jam vero utitur isto loco Tertullianus quum universe de persequentibus loquitur; illum neve apostolis neve «civitatibus Israel» circumscribit. Ergo de Tertulliani sententia prima pars versus 23 e capite X S. Matthaei longius provehitur quam ut cum apostolorum ad tempus missione aut generatim cum apostolorum in Palaestina missionibus congruat.

2. Inter annos 206 et 212 vel 213, quo tempore Tertullianus vincula, quibus astringebatur, evellit atque abstulit, Ecclesiaeque catholicae claustra ore superbo refregit, breve temporis spatium est interjectum quo Tertulliani animus plus plusque in dies aegrotat, irritabilis, iracundus, teter, ejusque cum catholicis dissidia paulatim erumpunt in actum. Hoc tempore scribit cum alia, tum etiam opusculum «De corona», occasionem nactus christiani cujusdam militis qui ad imperatorum donativum accipiendum ne laureatus iret, recusavit. Homo natura vehemens et pugnax Tertullianus exardescit ira contra eos qui militem de imprudentia damnarunt, et post animadversiones quasdam pergit porro: «Mussitant denique tam bonam et longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quosdam Scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugae accingi de civitate in civitatem, nullam enim aliam Evangelii memoriam curant» (1). Significatio evidens

(1) *De corona militis*, cp. 1; ML 2, 96-97.

est, ironia etiam qua locus adducitur. Eadem quoque videtur eruenda conclusio quam supra exposuimus quum librum «ad uxorem» excussimus. Sed praeterea notemus oportet quemadmodum illa fuerit apud christianos pervulgata interpretatio, hunc scilicet Scripturae locum, fugam offerentem ad furores insectantium declinandos, id est, primam partem versiculi 23 e capite X S. Matthaei neque apostolis neque eorum ad tempus in Palaestina missionibus circumscribi ac definiri.

3. Decreta annis 212-213 christianorum vexatio de Tertulliano scripta nonnulla ad illud tempus expressit, quorum est unum «De fuga in persecutione». Tertullianus montanista prohibet quominus fidelis christianus tutetur se fuga. Quid porro de verbis Domini? Reperietur exitus. Hic autem in eo consistit quod fugae praeceptum, ad tempus spatiumque quod attinet, circumscriptum est; apostolos solum appellat, finibus Judaeae terminatur; quapropter ne ad totum quidem tempus praedicationis apostolicae provehitur (1). Ut probet fugae praeceptum sola intra Judaeae terminos praedicatione concludi, affert Tertullianus partem alteram versiculi 23 «Non consummabitis civitates Israelis», apponitque hanc notam: «adeo intra terminos Judaeae praeceptum fugae continebatur» (2). At membrum illud «donec veniat Filius hominis», quî tandem Tertullianus intelligit? Sua in cogitatione defixus, ad hoc membrum singulare, notatione dignissimum, Tertullianus vix animum attendit, nisi forte adversari sibi rem sentit, ob eamque causam consulto interpretationem declinat. Quod si in effatis quibusdam, qualia sunt ista: «donec replerent doctrina sua (Judaeos)», vel «...ex quo, saturato Israele, apostoli in natio-

(1) *De fuga in persecutione*, cp. VI; ML 2, 130-131.
(2) Lc., col. 130.

nes transierunt, nec fugerunt de civitate in civitatem nec pati dubitaverunt» (1); explicationis quiddam elucere cuipiam videretur, profecto id esset perquam singulare: «Non consummabitis civitates Israel, donec Israel saturetur!» Sententia quidem vera esse potest; at quo modo membrum illud «donec Israel saturetur» cum eo conveniat «donec veniat Filius hominis», nihil admodum apparet.

Animum gerit maxime a Tertulliano diversum Clemens Alexandrinus, Graeciae germanus filius, natus Athenis circa medium saeculum II. Dum scriptis, generoso quodam animi impetu et bonitate circumfluentibus, jucunde pervagatur, strictim, semel saltem, nostrum locum attingit, quamvis solum primam partem: «Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam». Nihil est cur moremur. Satis fuerit notare locum a Clemente ad omnes referri, nulla circumscriptione neque temporis neque spatii (2).

Dolendum sane est S. Matthaei commentarios ab Origene scriptos magnam partem excidisse; id autem nostri quoque loci expositioni evenisse, nisi forte illius reliquiae dici queunt mutila quaedam apud Cramer edita. Reliquiis istis ac nonnullis etiam significationibus per cetera Origenis scripta dissipatis, aliquantulum jactura tanta compensatur. Ergo primum apud Origenem definitam illius membri «donec veniat Filius hominis» invenimus explicationem. Ait enim: His verbis «significat (Dominus) parusiam, non illam quidem quae manifesta et gloriosa est, universi-

---

(1) I.c., cols. 130-131.

(2) *Stromata*, l. IV, X; CB v. 15, ed. *Stählin*, p. 282.—Brevis quidam locus hac super re, qui exstat apud *Cramer* (*Cat. graec. Patrum in N. T.*, I, p. 78) Clementis nomine —hic autem nullus alius, nisi Clemens Alexandrinus videtur— ad omnes etiam pertinet: «ἐπιτάττει τοῖς ἁγίοις φεύγειν etc.”

tatis absolutionem, sed instinctum (seu adventum ἐπιφοίτησιν) oportuno tempore, per quem (Filius hominis) visus auxilium feret suum, firmans illos eo quod vexentur; rursus vero ad eamdem rem quod attinet, quemadmodum promisit, quoniam veniemus ego et Pater meus ad eum et mansionem apud eum faciemus» (1). Hujus sententia partis «donec veniat Filius hominis» satis patet; de instinctu scilicet sermo est sive de inviso adventu quo vexati roborentur. Quae est ingeniosi hominis interpretatio, a quibusdam nostro etiam tempore retenta. Non ita patet incisum illud «civitates Israel». Quid ergo Origenes his verbis significari putet? Imprimis totius loci contextus, praecipue autem «instinctus ille adventusve invisus», cum apostolorum missionibus vivo Domino apte congruere non videtur; eo potius demonstrari dixeris tempora post ascensionem, ob eamque rem missionum tempora quas, accepto mandato omnium gentium instituendi et docendi, apostoli sunt aggressi. Praeterea nihil est in tota Origenis expositione quare haec apostolis circumscribatur; quin immo in his reliquiis significatio, quae ad omnes pertineat, spirare plane videtur, eamque locus etiam S. Joannis ab Origene adductus satis ostendit. Quod si nunc ad varia Origenis opera, in quibus S. Matthaei locus adducitur, animum attendimus, primam v. 23 partem «cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam», ad omnes communiter christianos ab hoc auctore interdum definite referri, plane aperteque con-

(1) *Cramer*, lc. Paululum immutavimus interpuncta verborum quae apud Cramer parum accurata judicamus. Apud Cramer, clausula finitur post illa verba «...feret auxilium». Praeterea legitur παρ' αὐτῶν, quod manifestum erratum videtur; adhiberi debet παρ' αὐτῷ. Locus ab Origene adductus exstat in Ev. S. Joannis XIV, 23.

stabit. Audiantur pulchra haec ex homilia quadam de Judicum libro deprompta: «Licet tamen etiam hoc in militia Christi, ut si forte aliquando inferiorem te viribus senseris in persecutionibus et non aequum tibi adversum crudelitatem tyranni per fragilitatem corporis videris esse certamen, dare locum irae et fugere de loco ad locum, nec tibi in hoc adscribitur militare commissum. Designatur enim etiam hoc in legibus Christi dicentis: «si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam; quod si in alia, fugite et in aliam». Summa namque rei est Jesum, quem semel confessus es, non negare. Certum est enim quod confiteatur eum ille, qui propterea fugit, ne neget» (1). Itaque ab Origene id demum habemus S. Matthaei locum ad omnes communiter pertinere, adventumque Filii hominis adventum esse invisum auxiliumque quo fideles suos roboret.

Saeculis IV-V

Saeculis IV et V litterae christianae, ad omnem excellentiam progressae, tum in Oriente tum in Occidente mirabiliter florent. Ab Occidente capiamus exordium, ubi, etsi monumentorum non tanta sit copia, interpretationum varietas major existit.

---

(1) *Hom.* IX; CB v. 30, ed. *Baehrens*, p. 519.—Videre licet hos locos: *In lib. Jesu Nave Hom.* VIII, lc., p. 341.—*In Joann.* t. 28, n. 23; CB v. 10, ed. *Preuschen*, p. 418. — *C. Celsum*, I, 65; CB v. 2, ed. *Koetschau*, p. 118.—*In Matth.*, t. 16,1; CB v. 40, ed. *Klostermann*, p 463.—In una «*Exhortatione ad martyrium*» ex omnibus quae exstant Origenis operibus versus integer 23, sine explicatione tamen, adducitur: n. 34; CB v. 2, ed. *Koetschau*, p. 29.—Notandum est ita versum afferri quasi totum quoddam efficiat cum antecedentibus 17-22 Etsi affirmat rem de martyrio non a Domino in vulgus effundi, sed solum apostolis tradi, id tamen idcirco tantum dici videtur ut doctrinae excelsitas emineat; itaque paulo post dicit nos, si hanc doctrinam audierimus, apostolorum similes futuros vel etiam in apostolis numeratum iri.

Mittamus quatuor Juvenci (c. 330) versus hexametros, expolitionem quamdam versiculi 23 e capite X S. Matthaei (1), quoniam parum est in illis definita et colorata interpretatio; sententia vero magis definita erui potest, interpretationibus accurate inspiciendis quae tum ferebantur.

Quod si nunc totum Occidentem animo lustramus, tres reperiemus praestantissimos viros qui tum sapientia tum sanctitate ceteris omnibus facile antecellunt: S. Hilarium, S. Ambrosium, S. Hieronymum, tres Sanctos Patres, tres quoque universae Ecclesiae magnos Doctores.

Primum S. Hilarium (c. 367) adeamus. Ineunte Pontificatu, annis fere 353 ad 356, prius quam in exilium pulsus Orientis litteras degustaret, Commentarium scripsit Evangelii S. Matthaei. Primus hic Commentarius ad nos latino sermone pervenit; et quae in eo exstat interpretatio, interest nostra quam maxime. Post explicatos versus 19 et 20, pergit Sanctus Doctor: «Ex una deinde in duas urbes fugam suadet. Quia praedicatio ejus primum a Judaea effugata transit ad Graeciam, dehinc diversis intra Graeciae urbes apostolorum passionibus fatigata, tertio in universis gentibus demoratur». Hactenus explicatio, satis mira et singularis, primae partis v. 23 quam S. Hilarius longiore forma legere videtur: «Si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam; quod si in alia, fugite et in aliam». Ut alteram versiculi partem explicet, novae jam rationis novique instru-

(1) «Profugite ex tectis, quae vos sectabitur, urbis; / Inde aliam, mox inde aliam conquirite sedem. / Nam vobis urbes semper superesse necesse est, / Istrahelitarum quae dent sub nomine plebem.» *Evangeliorum* l. II, vv. 471-474; CV v. 24, ed. *Huemer*, p. 63.

menti ad interpretandum pellit initia, cogitatione quadam adhibenda cujus ortus factum est insigne in interpretandi historia; cogitatio ista in populi judaici conversione sive mutatione continetur. «Sed ut ostenderet, gentes quidem apostolorum praedicationi credituras, verum ut reliquum Israel crederet, esse adventui suo debitum, ait Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis: post plenitudinem scilicet gentium, quod erit reliquum Israel, ad implendum numerum sanctorum, futuro claritatis suae adventu in Ecclesia collocandum» (1). His S. Hilarii dictis integra aut vix non integra totius loci interpretatio continetur. «Donec veniat Filius hominis» parusiam aperte demonstrat; «civitates Israel» significant populum Israel, sive, ut ait S. Doctor, «reliquum Israel»; verbum «consummabitis» sonat fere «in fidem Ecclesiamve reducere» (2).

S. Hilarii interpretatio diem demonstrat quem in perpetuum historia consecravit. Multi deinceps illam sive ex toto sive saltem ex parte sibi assument; quin immo, nostro etiam tempore S. Hilarii interpretatio locum nobilissimum obtinet, quamquam aliae etiam interpretationes, quod notabimus postea, plura sibi in dies recentiorum suffragia comparant.

Tamen S. Hilarii interpretatio per totam Patrum aetatem neque in Oriente neque in Occidente sibi fecit audientiam. Orienti prorsus ignota est; in Occidente ipse S. Hieronymus, quamvis S. Matthaei commentarios a S. Hilario conscriptos bene cognoscat ad amicosque mittat (3), quasi velle

(1) ML 9, 971-972.

(2) In expositione Psalmi 126 eamdem interpretationem S. Hilarius indicat, etsi obscurius et adductis sententiis quibusdam «spiritualibus», quas in Oriente inter exilium didicisse eum dixeris: *In Ps.* 126, nn. 8-10; CV v. 22, ed. *Zingerle*, pp. 618-620.

(3) *Hom. in Luc.*, prol.; ML 26, 220.—*In Matth.*, prol.; ML 26, 20.

videtur ne hanc interpretationem sibi esse notam appareat. Non unam ipse proponit explicationem, sententiam aliquam suggerit «spiritualem», satis obscuram: S. Hilarii interpretationem magno semper silentio praeterit Haec igitur eminet tamquam monumentum, in mera solitudine per integra octo saecula quibus Patrum aetas continetur. Usque ad octavum saeculum venire nemini videtur illius in mentem. At deinceps magna fit inclinatio temporum, et S. Hilarii interpretatio signum in posterum evadit gloriosum in quod complures Occidentis interpretes animos oculosque convertunt.

E S. Ambrosii (397) verbis pauca habemus quae proponamus. Adducit quidem totum v. 23 e capite X S. Matthaei in libro «De fuga saeculi» (1), at nulla apposita explicatione; aut ea saltem explicatione quae quarumdam notationum moralium flumine ita diluitur ut nobis integrum non sit illam satis dilucide et explicate proferre. In Psalmi 118 interpretatione primam versiculi 23 partem adducit, intra contextum quoque moralium quarumdam notationum; id autem unum erui potest eam Sancti Doctoris judicio ad omnes respicere et ad omnium temporum vexationes. Scribit enim: «Sed quia futurum erat ut, cum ad plenitudinem Ecclesia pervenisset, persecutionibus variis tentaretur, ideo... &; ideoque scriptum est ut de civitatibus ad civitates fugiamus, et, si nos in hac civitate fuerint persecuti, fugiamus in aliam» (2).

Si «Expositio quatuor Evangeliorum» bis a Migne edita (3) Fortunatianum, Aquilejensem medio saeculo IV Epis-

---

(1) IV, nn. 17-18; CV, v. 32, ed. *Schenkl*, pp. 178-179.
(2) XXII, n. 44; CV v. 62, ed. *Petschenig*, p. 509.
(3) Primum in operibus S. Hieronymi (ML 30, 531 sqq.), deinde in operibus Walafridi Strabonis (ML 114, 861 sqq.).

copum, haberet auctorem, in Occidente etiam ad eum modum, qui apud Orientis scriptores usitatus ac tritus fuit, sententia quaedam «s p i r i t u a l i s» nostro loco coepta esset affingi, qua quidem sententia adversarius primo aspectu impetus ac vis loci e S. Matthaeo declinaretur atque etiam retunderetur. Fortunatiani interpretatio, aut cujusdem tandem illa est, brevissime tantum sententiam suggerit: «P e r s e c u t i o n e s, hoc sunt haereses; d e c i v i t a t e i n a l i a m, id est, per singulas quaestiones librorum» (1). «Spirituali» hac intelligentia loci perfacile est explanationem quamdam ad «civitates Israel» accommodatam invenire. S. Hieronymus excogitatum istud assumet, idque reddet affabre dolatum et aptum.

«Maximus Doctor», S. H i e r o n y m u s (419-420), IV saeculum claudit, aperitque gloriosum V saeculo cursum. Id autem vel maxime fecisse dicendus est, quum anno 398 S. Matthaei scripsit commentarios; via et modo praesertim «litterali» et historico, permixtis tamen interdum iis, quos ipse Sanctus appellat «spiritualis intelligentiae flores» (2). Dupliciter interpretatur S. Doctor. Interpretatio p r i m a «litteralis» est, locumque simpliciter de apostolorum missione ad tempus explanat: «Hoc ad illud tempus referendum est, cum ad praedicationem apostoli mittebantur, quibus et proprie dicitur: I n v i a m g e n t i u m n e a b i e r i t i s &». Hoc posito, membrum illud «donec veniat Filius hominis», Salvatoris ore prolatum, significare debet quasi «donec vobis obviam veniam», vel «donec iterum ad vos me jungam», vel alia id genus. Id tamen S. Hieronymus proprie definiteque non asserit; nec mirum, quum istiusmodi in-

(1) ML 30, 550, et ML 114, 878.
(2) *In Matth.*, prol.; ML 26, 20.

terpretatio parum perspicua, immo nonnihil contorta esse videatur. —Altera interpretatio tota «spiritualis» existit; in ea S. Hieronymus vexatos ipsos inducit ad istius interpretationis vim atque regulam loquentes; hoc enim pacto minus videtur offendere. Verba ipsa describamus: «Spiritualiter autem possumus dicere: Cum persecuti nos fuerint in una civitate, hoc est, in uno Scripturarum libro vel testimonio, nos fugiamus ad alias civitates, id est, ad alia volumina. Quamvis contentiosus fuerit persecutor, ante praesidium Salvatoris adveniet, quam adversariis victoria concedatur» (1). Profecto interpretatio haec flos est spiritualis intelligentiae qui solum post explicationem propriam florere ac probari potest. Perplacuit tamen, multumque trita ac celebrata fuit, aevo praesertim medio. Tandem notare iterum volumus quantum admirationis moveat quod S. Hieronymus, cui notus erat S. Hilarii commentarius, qui etiam de futura populi Israel mutatione non raro animadversiones inculcat (2), nullam tamen de S. Hilarii interpretatione mentionem facit, nullam illius dat significationem.

Ignorare etiam videtur S. Hilarii interpretationem Magnus Augustinus (430); certe quidem nusquam illam vel significat tantum; reperire saltem nos nihil potuimus. Fortasse ad acerrimam cum Donatistis controversiam, in qua S. Matthaei locum utraque pars frequentavit, vir peracutus et prudens ista S. Hilarii cogitatione minus habebat instrumenti; at potuit in aliis saltem disputationibus aliquam significationem dare. Nusquam id fecit; quod indicare videtur aut illi ignotam esse aut non satis placere.

(1) *In Matth.*, X, 23; ML 26, 65.
(2) Exempli causa: *Ep.* 36, n. 17, ad Damasum; ML 22, 246; &.

S. Matthaei locum donatistarum Episcopi ad se defendendos saepius adhibebant. Petilianus «quem, ait S. Augustinus, solet fama praedicare quod inter eos doctrina atque facundia maxime excellat» (1), hoc modo argumentabatur: «Jubet nobis Dominus Christus. Cum vos persecuti fuerint homines...»; adjungitur continuo totus v. 23, statimque additur: «Si de Judaeis et Paganis nobis praemonet, tu qui christianum te memoras, dira facta gentilium non debes imitari» (2). In hac Petiliani argumentatione haec possunt notari: 1) Domini mandatum ad omnes de Petiliani sententia pertinere; 2) de ejusdem sententia civitates, ad quas sit confugiendum, non esse tantum «civitates Israel», saltem si primum respicitur versiculi membrum.

Dat Petiliano S. Augustinus locum non ad apostolos solum Palaestinaeque urbes pertinere. Definit vero ipse ad quos pertineat, atque incertum relinquit praeceptumne sit an permissio: «Fugere de civitate in civitatem a facie persecutionis, non haereticis vel schismaticis praeceptum sive permissum est, quod estis vos; sed praedicatoribus Evangelii cui resistitis vos» (3). Nondum aggreditur S. Doctor ad alteram v. 23 partem explicandam, ad illa videlicet difficilia verba: Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. Occasionem dabit multis post annis habita cum alio Episcopo Donatista, cui nomen Gaudentius, controversia (4).

Petilianum urserat hoc modo S. Augustinus: «Proinde si persecutionem patimini, quare non

---

(1) *Contra litt. Petil.*, l. I, cp. 1; CV v. 52, ed. *Petschenig*, pp. 3-4.
(2) Lc., 1. II, cp. 18, n. 42; p. 45.
(3) Lc., n. 43.
(4) S Augustini ad Petilianum responsio inter annos 400-402 collocatur; controversia cum Gaudentio anno fere 420.

dimittitis civitates in quibus estis, ut impleatis quod ex Evangelio commemoratis?» (1). Hac fortasse responsione eruditus, argumentationem sic immutat Gaudentius, quum novam orditur defensionem: «Fugam mihi quasi ex lege persuades»; primum rationem quamdam non fugiendi proponit, tum adjungit: «Deinde quae loca erunt, quae in hac persecutionis procella undique perturbatos tranquillitati servandos tamquam in portum recipiant sacerdotes, quando Dominus dixerit: cum vos persequi coeperint in hac civitate, fugite in aliam... Tute tunc fugiebant apostoli, quia neminem pro eis proscribi jusserat imperator. Nunc vero christianorum receptores proscriptionibus territi, pericula formidantes, non solum non recipiunt, verum etiam videre tment quos tacite venerantur» (2). S. Augustini responsio maximi est momenti ad id quod agimus; quare dabitur nobis ut locum integrum, etsi longiorem, proferamus: «...Quomodo enim es auditor Christi, cum ille suis auditoribus, hoc est sectatoribus, promittat usque in finem saeculi, quandocumque persecutionem passi fuerint, non defuturas ad quas confugiant civitates, dicens: cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis? Tu autem in hac persecutione, quam vos querimini perpeti, jam deesse vobis dicis loca, quo fugere et ubi tamquam in portu possitis ab hac tempestate requiescere, loquens contra promissionem Christi, qui dicit non defuturas civitates, quo fugiant sui qui persecutionem patiuntur, donec veniat, id est

(1) L.c., p. 44

(2) *Contra Gaudentium*, l. I, cps 16, 18; CV v. 53, ed. *Petschenig*, pp. 211-213.

usque ad consummationem saeculi. Quia ergo ille hoc promisit suis quod vos non invenitis, profecto ille mentitur, si vos ejus estis; sed quia ipse non mentitur, vos ejus non estis» (1). In hoc manifesto loco atque in aliis, qui proxime consequuntur (2), perspiciamus licet quemadmodum S. Doctor totum S. Matthaei versum 23 interpretetur quasi vox I s r a e l plane deesset. Profecto si illa defuisset, nemini umquam versus 23 scopulosus difficilisque visus esset. Adest tamen vox I s r a e l. Porro illam S. Augustinus ita describit ut ad propositum finem impedimentum sibi nullum videatur inferre. Diceturne, posito Donatistam Episcopum versu 23 tamquam ad universos spectante nixum argumentari, nullum jam esse incommodum hanc S. Augustini responsionem valere tantum «ad hominem», scilicet iis niti quae concessit adversarius? Verum animadverti debet primam solam versiculi 23 partem a Gaudentio adduci, altera parte penitus omissa. Et tamen in libro ad praesentem acerrimamque controversiam composito, omniumque censoriae severitati exposito, S. Augustinus, ut argumentum concludat prematque adversus Donatistas, non dubitat alteram versus 23 partem, sententia ei subjecta ad universos spectante universumque tempus, tamquam tormentum contra illos aperto ac plano modo eodemque gravissimo adhibere. Nihil ad id eum cogebat, non verba, non res quas ponebat adversarius. Ergo S. Augustinus eorum verborum «Non consummabitis civitates Israel» circumscriptionem nullam videbat, sive «civitates Israel» translata esse verba latiusve patentia judicabat, sive in illis definitum tantum exemplum ad modum cujusdam «verbi gratia» quod latissime patentem vim atque sententiam minime

(1) l.c., cp. 18, p. 214.
(2) l.c., cp. 20, p. 221; cp. 26, pp. 227-228.

coercebat, contineri arbitrabatur. Nihil igitur mirum si late hanc patentem orationis sententiam S. Doctor exprimeret etiam tum quum concionaretur: «Nam corpore fugere licet, concessum est, permissum est, Domino dicente S i v o s p e r s e c u t i f u e r i n t i n u n a c i v i t a t e, f u g i t e i n a l i a m...» (1).

Ipsi quoque catholicorum Episcopi, quum S. Augustinum consulebant, S. Matthaei locum usurpabant latius patentem quam ut ejus saltem prima pars posset ullo modo apostolorum in Palaestina missionibus circumscribi. Quum ab irrumpentibus vandalis incendia, caedes, direptio, omnia denique mala impendere Africae videbantur, Honoratus Episcopus de modo quo Episcopus et clerus se gerere debeant, S. Augustinum consulit. Cogitasse videtur Honoratus fugam esse eligendam, nostroque nitebatur loco, quod ex his S. Augustini verbis colligitur: «Sed hoc consilium (de permansione in loco) tibi propterea non sufficit, ut scribis, ne contra Domini praeceptum vel exemplum facere nitamur, ubi fugiendum esse de civitate in civitatem monet» (2). Honorato Sanctus Episcopus Hipponensis, morti jam proximus, responsum dedit celeberrimum. Excelsa mens, mirum in modum subtilis et acris, prudentia quoque singularis, flagrans denique in animorum salutem vis studiumque societatem coierunt ut responsum istud exprimerent. Quod ad nos attinet, hoc unum insigne faciemus, videlicet illud semper a S. Augustino, tamquam rem manifestam exploratamque, poni quod Domini Nostri verba, in quibus sive praecipitur sive permittitur fuga, non tantum ad apostolos et ad prio-

(1) In Ps. 141, n. 11; ML 37, 1840.

(2) *Ep.* 228; CV v. 57, ed. *Goldbacher*, p. 485.—Ibi etiam, paulo post, (lc., pp. 486-487) alterius Episcopi refertur opinio similiter existimantis fugam esse eligendam.

res in Palaestina missiones sed ad omnes omnium temporum homines pertinent (1).

Adductis hactenus monumentis si perbreves apud Sanctos Petrum Chrysologum (c. 450) et Maximum Taurinensem (p. 465) significationes adjungimus, quarum etiam vis latissime patet (2), de tota nostra re quidquid per saecula IV et V in Occidente novimus, id totum erit penitusque reseratum. Itaque ad Orientem accedamus.

Pauca solum multoque temporum intervallo disjuncta licet nobis de Oriente testimonia proferre. Cursim imprimis eos auctores commemoremus qui primam versiculi 23 partem volunt patere latissime, proinde apostolorum missione aut missionibus ad tempus locum minime circumscribunt. Hi sunt quatuor saltem iidemque clarissimi: S. Athanasius (373), S. Basilius Magnus (379), S. Gregorius Nazianzenus (c. 389-390), Theodoretus (c. 457-460) (3).

Theodoro Heracleensi (c. 355), Episcopo semiariano, mutilus quidam locus adscribitur in quo Origenis interpretatio de illis ver-

(1) Lc., pp. 484-495.—Videri possunt alia opera in quibus breviter significatur idem locus: *Contra Faustum*, l. 22, n. 36; CV v. 25.—I, ed. *Zycha*, p. 630.—*In Joann.*, tr. 46, n. 7; ML 35, 1731. In hac homilia explicat S. Doctor modo populari et agenti que pacto et noster locus et locus S. Joannis X, 11-12, ubi fugam Dominus tamquam mercenarii propriam demonstrat, apte inter se cohaereant.—*De Civ. Dei*, I, 22; CV v. 40, ed. *Hoffmann*, p. 41. Hoc postremo testimonio locus ad apostolos refertur, at fortasse forma sit affirmandi, non excludendi.

(2) Apud S. Petrum Chrys.; *Serm.* 151; ML 52, 604.—Apud S. Maximum Taur.: *Serm.* 67; ML 57, 668.

(3) *S. Athan.*; *Apol de fuga sua*, n 11; ed. *Opitz*, p. 76.—Cfr. *Ep. encycl.*, n. 5; MG 25, 232.—*S. Basil. M.*; *Praevia instit. ascet.*, n. 2; MG 31, 621.—Cfr. *Moralia*, *Reg.* 62, cp. 3; MG 31, 800.—*S. Greg. Naz.*; *Contra Jul.* I; MG 35, 617.—*Theodor.*: *Ep.* III; MG 83, 1177.—Contra *S. Cyrillus A.* primam v. 23 partem, nisi ad discipulos, hoc est, ad apostolos, non refert: cfr. v. gr. *Ad reginas de recta fide* orationem alteram, cp. 40; MG 76, 1389.

bis «donec veniat Filius hominis» breviter iteratur. Est autem ille: «Non alterum suum (Christus) significat adventum, sed oportuno tempore futuram per ipsum Sanctorum consolationem» (1).

Videamus nunc quaenam sit a S. E p h r a e m (373) in Tatiani Diatessaron commentariis facta interpretatio. Commentarii, ab Aucher-Moesinger in latinum conversi, nonnulla utique exhibent aliquantulum obscura; contextum scilicet totius loci non satis dilucidum videmus. Satis tamen patere videtur duplex ista asseveratio: P r i m a est Salvatoris verba de S. Matthaeo deprompta non ad omnes homines sed ad solos spectare discipulos, idcirco Domini mandatum ad omnes aetates minime pertinere (2); a l t e r a declarat eum, ad quem ibi Dominus spectat, adventum gloriosam esse ejus resurrectionem (3). Atqui hoc est totius rei caput, eoque posito, secundarium videtur definire utrum de S. Ephraem sententia apostolicae missiones, quas Dominus significat, illis tantum circumscribantur resurrectioni antecedentibus, an alias etiam comprehendant (4).

Primus S. Ephraem, quantum vestigare potuimus, Filii hominis adventum, de quo sermo est apud S. Matthaeum X, 23, per resurrectionem interpretatur. Haec tamen interpretatio nullam

---

(1) *Cramer, Cat. graec. PP. in N. T.*, I, p. 78.

(2) «...quod non ad omnes homines extendit, sed de solis dixit discipulis, quia initium erat novae praedicationis et illi pauci erant numero... Ast si Dominus in omnes generationes hoc suum mandatum extendisset, quis inveniretur qui martyrium propter ipsum subiret?: ed. *Aucher-Moesinger*, cp. VIII, p. 94.

(3) «Quia post resurrectionem venturus erat, ait: «*Non poteritis consummare omnes urbes, donec ego venero ad vos*» ...post resurrectionem suam, quae est adventus ejus»; l. c., p. 95.

(4) Forte prima v. 23 pars, qua fugae mandatum proprie continetur, ad missiones etiam post resurrectionem habitas de S. Ephraem sententia spectat; altera vero pars ad eas solas quae antecedunt. Securitas igitur, a Domino promissa, ad id usque tempus provehitur quo ipse a mortuis excitatus advenerit; deinceps ille

sibi in Oriente fecisse videtur audientiam. Multo serius, octavo scilicet saeculo, in Occidente nascitur. Hic profecto latissime pervagata est; per aliquot saecula gloriosum locum obtinuit, neque desunt nostro etiam tempore qui ei suffragentur.

Utinam magnus ille Orientis catechista, S. C y r i l l u s H i e r o s o l y m i t a n u s (386), locum sibi nostrum explicare proposuisset; eo, quo solet, prudenti judicio interpretationem demonstrasset, omni semper consideratione dignissimam. Nunc autem nihil aliud facit nisi locum levissime attingit, atque ea quidem ratione ut rem cogitationis multae relinquat. Utique in parte illa «donec veniat Filius hominis» alterum Christi adventum agnoscere videtur, atque etiam «civitatibus Israel» vim notionemque, ut videtur, propriam subjicit; at simul nova quaedam adjungit, quorum illud est unum quod nostro utitur loco quum de postremis temporibus disserit, quin immo proprie quum de tribus illis annis dumtaxat dimidiatoque alio disputat, quos annos S. Doctori terribile Antichristi regnum duraturum videtur. Sane postea quam S. Cyrillus exposuit quam sit futura terribilis, quamvis brevis, illius temporis vexatio, addit: «Propter hoc occultari oportet et fugere: fortassis enim non absolvemus civitates Israel donec veniat Filius hominis» (1). Existimabatne S. Cyrillus versum 23 ad postrema s o l u m tempora

---

curaverit. Primam partem ad futuras quoque post resurrectionem spectare missiones, indicare videntur haec verba quibus S. Ephraem Christi mandatum exponit: «Si apostoli non fugissent, quo tempore Stephanus lapidabatur, ne ipsi quidem supplicium evasissent» (lc., p. 94; videantur etiam antecedentia).—Hujus versiculi expositionem claudit S. Ephraem notatione sane mira et obscura qua indicare videtur Dominum sibi primum proposuisse apostolis se usque ad tempus multo resurrectione posterius non ostendere lc., p. 95).

---

(1) *Catech.* XV, n. 16; MG 33, 893.

spectare quippe qui locum eschatologicum consequatur proximeque cum illis verbis cohaereat: «...eritis odio omnibus propter nomen meum; qui autem perseveraverit... &», in quibus color etiam eschatologicus inest? Si ita esset, interpretationis n o v a e, ne dicamus unicae, S. Cyrillus initium pepulisset; quandoquidem cuncta interpretationum genera aut angusto priorum missionum apostolicarum tempore continentur, aut ad omne tempus provehuntur quod ad perpetuam apostolorum successorumque missionem spectat. Praeterea mirum omnino esset, si totum locum interpretaretur sive de apostolorum successoribus sive fortasse de omnibus fidelibus, at intra solos Palaestinensis regionis terminos. Tandem maximam admirationem moveret quod illius affirmationis in locum, gravissimae ac definitae, a Domino Nostro prolatae: A m e n d i c o v o b i s, aliam attenuatam valde seu potius dubitantem: f o r t a s s i s e n i m, ἴσως γάρ, S. Doctor vellet substitutam. Haec omnia nos impellunt ut credamus S. Cyrillum proprie ex S. Matthaeo nequaquam describere, sed Domini verba colore quodam, ad formam sententiamque quod attinet nonnihil diverso, accommodare, unde periculosum est aliquam eruere conclusionem (1).

(1) Ut ea, quae dicimus, melius perspici possint, animadvertatur hic cogitationum cursus in tota perpetuitate sermonis: 1) «Quum irruperit maxima illa postremorum temporum vexatio, parum aberit sive Christi adventus sive mundi absolutio; — 2) oportet igitur abdere se et fugere; — 3) quoniam fortasse *civitates Israel* non prius fugiendo finiemus quam Filius hominis advenerit». Haec speciem prae se ferunt cujusdam potius accommodationis quam descripti loci (in quo Domini verba corrigerentur). Proinde locus sonat quasi diceretur: «Vel ob solam temporis quo vexabimur brevitatem, veri simile est civitates Israel a nobis non prius finitum iri quam Filius hominis advenerit». Jam vero, imprimis notetur S. Cyrillum cum Palaestinae habitatoribus loqui. Tamen quaesierit fortasse quispiam: Quare S. Doctor eam rationem omittit quae ad firmandos auditores firmissima esse deberet, scilicet Christi promissum, contra ad alias confugit rationes? Idcirco fortasse quod Christi

Sperandum utique erat fore ut vir interpretandi scientia praestantissimus, S. J o a n n e s C h r y s o s t o m u s (407), si ad exponendum S. Matthaei locum directo aggrederetur, viam demonstraret, quoad rei natura pateretur, claram et definitam, in qua verborum etiam vis accurate retineretur. Ita profecto est; paucisque potest verbis S. Joannis Chrysostomi interpretatio explicari. Prima versiculi 23 pars «cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam» non ad eas respicit, quae deinceps erunt, vexationes, sed ad eas «quae crucem et passionem praecessere» (1). «Atque hoc indicavit, ἐδήλωσε, (Christus Dominus) cum dixit: N o n e n i m c o n s u m m a b i t i s c i v i t a t e s I s r a e l, d o n e c v e n e r i t F i l i u s h o m i n i s. Ne dicerent enim: Quid si persequutores fugiamus, et illi nos inde etiam pellant? hunc metum ipse tollens ait: Non circuibitis Palaestinam totam, nam ego vos statim excipiam». Et paulo post: «Non dixit enim, Vos eripiam, et persequutiones solvam; sed quid? N o n c o n s u m m a b i t i s c i v i t a t e s I s r a e l, d o n e c v e n e r i t F i l i u s h o m i n i s. Satis enim erat ad consolationem illorum, quod illum viderent» (2).

Nova non eget expositione interpretatio haec, aperta sane ac definita. Per eam magnus ille Orientis interpres, ad summam rei quod attinet, cum Doctore Maximo congruit. Uterque enim in

---

promissum praedicatorum universitatem, minime vero singularia quaedam exempla respicit; contra S. Cyrillus ratione utitur quae apud omnes qui eo tempore in Palaestina habitabunt, potest generatim singillatimque pondus et vim habere.

---

(1) *In Matth. hom.* 34, n. 1; MG 57, 397.

(2) L.c., cols. 397-398.—Qui «Scholia vetera in Matth.» scripsit, S. Joannis Chrysostomi interpretationem ad verbum expressit: MG 106, 1104.

S. Matthaei loco tempus inesse putat passioni antecedens, a Sancto quidem Hieronymo prima apostolorum ad tempus missione circumscriptum, a Sancto vero Joanne Chrysostomo ad omne ante crucem vexationum tempus provectum. Aliud praeterea animadverti potest. S. Hieronymus quid illi membro «donec veniat Filius hominis» respondeat, minime expressit; contra S. Joannes Chrysostomus id definite notavit:«Οὐ φθήσεσθε περιελθόντες τὴν Παλαιστίνην, καὶ εὐθέως ὑμᾶς καταλήψομαι.» Dicendi forma bene accommodatur; immutationem tamen hanc delectae jam interpretationis coactu erutam esse constat et expressam. Quidquid autem id est, hujus interpretationis vestigia, etsi magna semper fuit S. Joannis Chrysostomi auctoritas, multo solum posterius reperire licet.

II: a saeculo VI ad saeculum VIII

In toto Occidente per tria saecula de nostro loco quasi factum silentium videtur, si commentarios quosdam satis notos interim omittimus. quorum tamen est non solum auctor incertus, sed etiam ipse ortus, quamvis probabiliter nono saeculo adscribendus esse videatur. Vix circuitione quadam et anfractu aliquid saeculo VII reperimus in Hispania, saeculo autem VIII in Britannia

Egregius scilicet Episcopus Toletanus, S. Julianus (690), duobus libris plura congessit quae ex utroque Testamento difficilia possint videri, ac dein, adductis fere Patrum monumentis, singula objecta dissolvit. Itaque hanc sibi interrogationem proponit: «Quomodo Christus in Evangelio utrumque dicat Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam (Matth. X, 23), et e contrario Pastor bonus animam suam dat pro

ovibus. Mercenarius autem..., videt lupum venientem et dimittit oves, et fugit... (Joann. X, 11-12)?» Antequam S. Julianus de S. Augustino multa depromit, responsum brevi comprehendit. «Has, inquit, duas Dominicas verasque sententias ita intelligere debemus ut contrarias inter se nullo modo praedicemus. Etenim ut breviter exponatur, sine culpa quisque corporaliter fugit, qui se a persecutoribus non timore sed utilitate necessario subtrahit... Haec est fuga licita et a Domino nobis permissa &» (1). Postrema sententia manifesto demonstrat primam versiculi 23 partem ita a S. Juliano intelligi ut ad omnes omnino homines pertineat, vel saltem ad omnes apostolorum successores. Posita autem religione qua Hispanorum ecclesia eo tempore vestigia S. Augustini premebat, veri simile fit cum S. Julianum tum ceteros Patres in altera etiam v. 23 parte interpretanda a S. Augustino non recessisse.

Apud S. Bedam Venerabilem (735) tenue licet reperire vestigium. Loquitur S. Doctor de pueri Jesu fuga in Aegyptum, atque hanc nactus occasionem ita disserit, traducta quaestione ab exemplo ad universi generis rationem: «Ubi simul exemplum datur fidelibus ne dubitent rabiem persequentium, ubi oportunum fuerit, declinare fugiendo, cum hoc Deum ac Dominum suum fecisse meminerint. Si quidem ipse qui erat suis praecepturus: Cum vos persequuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam prius fecit quod praecepit &» (2). Ecce igitur prima pars versus 23 ita adhibetur ut ad omnes, nequaquam vero ad solos apostolos, spec-

(1) *Antikeimenon libri duo*; l. II, *Interrog.* V; ML 96, 666-667.
(2) Hom. IX, *In die festo Innocent.*; ML 94, 51.—*In Marci Ev. expos.* III, 8; ML 92, 157

tare videatur; quare neque de missionibus tantum ad tempus ibi sermo habetur.

Plura suppetunt in Oriente monumenta; auctores tamen quasi plebeji sunt, praeter S. Maximum.

Atque imprimis apud Procopium Gazaeum (c. 529) Origenis interpretationem quodam modo renovatam invenimus, nonnullis additis quae satis rara sunt. Videlicet in Isaiae commentariis indicat Procopius huic verbo παρουσία non unam semper subjici notionem. Id ut probet, locum affert ex S. Matthaeo X, 23, et quidem alteram versiculi partem Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis, «quod dixit (Jesus), ait Procopius, non suam quidem gloriosam parusiam ostendens, sed suum ad illos (Judaeos) per actionem adventum (ἐπιφοίτησιν, seu instinctum)» (1). Itaque de Procopii sententia «donec veniat Filius hominis» non parusiam gloriosam significat, sed τὴν κατ' ἐνέργειαν αὐτοῦ πρὸς αὐτοὺς ἐπιφοίτησιν. Verba haec Origenem clare sonant. Praeterea indicare videntur Origenis interpretatione nonnullorum animos aliquantulum esse commotos, siquidem illam assumit sexto etiam saeculo Procopius. Hoc tamen Origenes et Procopius differunt quod Procopius τὴν κατ' ἐνέργειαν ἐπιφοίτησιν —qui est adventus Filii hominis secundum istam interpretandi rationem— ad Judaeos videtur accommodare.

Antequam progredimur, strictim attingamus pauca quaedam verba, ex multis amissis reliqua, notissimi quondam scriptoris qui dux fere et princeps monophysitarum jure optimo potest appellari; Severum dicimus Antiochenum (538). Per haec residua verba satis dilucide

(1) *Comm in Is.*, cp. LXVI; MG 87 (2), 2717.

perspicere possumus sententiam quamdam «spiritualem» quam nostro loco affinxit vir ille subtilis atque perpugnax qui, semper oppugnans semperque oppugnatus, numquam se victum ese confessus est. «Civitates Israel, inquit, sunt divina prophetarum oracula» (1). Posia hac explicatione, perfacile est congruentem aliam atque illi membro «donec veniat Filius hominis» accommodatam interpretationem reperire ea fere ratione quam S. Hieronymus aliique tenuerunt.

Maximus saeculo VIII in Orientis Ecclesia theologus, fortissimus fidei athleta, S. Maximus (662), in opere Quaestiones, Interrogationes et responsiones &, versum 23 singulari ratione declarat. Egregius hic theologus, doctrinae salubritate, sententiarumque gravitate et pondere praestantissimus, interpretationibus tamen delectatur subtilibus, alte petitis, translationes frequentantibus; nisi vero si quis dixerit S. Maximum non tam velle Scripturae locos interpretari, quam oblatam ab illis occasionem urgere ad graves sententias mysticas, asceticas, theologicas exponendas, tuendas. Nostra in re idem accidit. Primum breviter S. Maximus declarat quodnam sit civitati propositum. Deinde civitatem definit κατὰ τὸν τῆς ἀλληγορίας τρόπον, atque ad hunc modum locum integrum exponit. Tandem eadem via rationem aliam tentat: «civitates, inquit, vocat hominum animas». Postea vero quam locum ad hanc sententiam accommodavit, ita pergit: «...Talesque adeo civitates Israelis non consummarint (apostoli)... donec Filius hominis venerit cuncta secundum gloriosam suam parusiam adimplens» (2). Interpretationem illius membri

(1) *Beiträge zur Gesch. u. Erklärung des N. T.—V, Des Petrus von Laodicea Erklär. des Matthäusev.*; ed. *Heinrici*, 1908, p. 112.

(2) *Interrog.* 54; MG 90, 825, 828.

«donec veniat Filius hominis» ex altero Domini adventu fieri manifestum est; reliqua tamen omnia ita explicantur ut extra propriam verborum vim contorta et deflexa pervagentur. Forte S. Maximus alterum quidem incisum «donec veniat Filius hominis» perspicue intelligebat fieri non posse quin ad gloriosum spectaret adventum, qua tamen ratione posset cohaerere cum primo, si primum ad propriam verborum vim notionemque exponeretur, fortasse non satis exploratum habebat.

Medio fere saeculo VII S. Matthaei commentarios scribit Petrus Laodicensis, colligendo potius et compilando quam de suis edendo. Disjunctione quadam duplicem sententiam proponit, quarum altera «litteralis» et historica, «spiritualis» altera existit. Quum earum, quae «spirituales» sententiae appellantur, infinita paene possit esse varietas, excogitata a Petro sententia tum ab iis quas in Oriente vidimus, tum ab iis quas in Occidente, penitus discrepat. Illud animadvertamus oportet quod, quotiescumque sententiam «spiritualem» eliges, facilius semper ad nostrum arbitrium flexibilem et commutabilem, toties illius membri interpretatio «donec veniat Filius hominis» in eam partem inclinabit quae, si verborum vis fideliter accurateque retinetur, perspicua magis videri solet, scilicet in alterum Domini adventum. Idem nostro Petro Laodicensi accidit (1).

Cujus tamen «litteralis» sententia, omissis aliis, nostra nunc interest. Itaque interpretandi forma eadem fere est atque illa quam Theodorus Heracleensis usurpat qui, Origenis vestigia premens, de auxilio loquitur quod Christus oportuno tempore sanctis feret. Immutationes leves sunt prae-

---

(1) *Beiträge zur Gesch. u. Erklärung* &., lc., pp. 111-112.

ter unam quae rei summam attingit, continenturque adjunctione membri πρὸ τοῦ σταυροῦ. Hoc additamento iisque verbis continuo positis ἐγὼ γὰρ ἐπικαταλαμβάνω ὑμᾶς, quae in memoriam reducunt illa ex sancto Joanne Chrysostomo ὑμᾶς καταλήψομαι, quaeque non ad invisum adventum sed ad obviam itionem adventumve aspectabilem manifesto respiciunt, Petri interpretatio interpretationi resonat S. Joannis Chrysostomi (1).

Mittamus «Quaestiones» Anastasio Sinaitae (c. 700) adscriptas, quarum quaestio 122 primam v. 23 partem modo late patenti, qui ad omnes pertineat, intelligere videtur (2); proinde a graecis ad alios Orientis scriptores accedamus.

Non ante saeculi V finem, VI aut VII saeculo, S. Gregorii Illuminatoris praedicationem narrat ignotus quidam auctor cui fictum nomen Agathangelus. In hac historia cum alia multa tum fuga in Armeniam narratur Sanctarum Virginum Ripsimiae, Gaianae, sociarum, quae Romae degebant. Eas autem, prius quam in fugam se conferant, sic Deum precantes inducit Agathangelus: «...Domine Deus Noster, qui misisti unigenitum Filium tuum ut veniens impleret (ἐμπλήσῃ) omnes mundi fines scientia spiritali ut in nomine Israel omnes faceret Deum videre; nos quoque audivimus dicentem Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non complebitis (πληρώσητε) civitates Israel usque ad meam parusiam ...Post haec sancta Gaiana cum Ripsime et reliquis cohabitantibus ... egressae, discedunt fu-

(1) l.c., p. 111.
(2) MG 89, 773

gientes &» (1) Totus locus est dignus qui attente consideretur, atque haec saltem in eo notanda succurrunt: 1.—Postremum v. 23 membrum «donec veniat Filius hominis» ita effertur ut parusia claris apertisque verbis sine ulla dubitatione monstretur: ἑώς τῆς ἐμῆς παρουσίας. 2. — Incisum illud Non complebitis (πληρώσητε) civitates Israel significat «non finietis fugiendo» aut aliquid hujus generis, recessum atque fugam sonans ab una in aliam civitatem, ita ut earum numerus numquam exhauriatur seu compleatur. Id re ipsa indicari videtur. Etenim de fuga quaestio est, propterea post preces continuo adjungitur: «Post haec... egressae, discedunt fugientes». Praeterea Domini mandatum neve apostolis neve Israel civitatibus circumscribitur, sed quasi ad omnes pertineat adducitur, ad illas quoque virgines quae Diocletiani temporibus Romae sic precabantur: «...Nos quoque audivimus dicentem Cum persequentur vos in civitate, fugite in aliam &». Quibus roboratae precibus, confestim ad fugam se contulerunt. Metaphrastes quidem, a quo tota haec historia refecta contrahitur, tum primam tantum v. 23 partem commemorat, tum cuncta refert ad fugam, neque dat locum diversae interpretandi rationi (2). Itaque, VI probabiliter saeculo habemus in Oriente scriptorem qui ad S. Augustini modum ac regulam integrum 23 versum et fugam significare doceat et ad omnes pertinere.

(1) Cp. VI, nn. 63, 65; ed. *Stilting*, apud *Acta SS.*, Sept., t. VIII, p. 349, 350.

(2) *Vitae SS.*, Sept., *Vita S. Gregorii Illuminatoris*, n. XVIII; MG 115, 964-965.—Quum in opere Agathangeli proxime ante allato v. 23 ita legatur: «Domine Deus Noster qui misisti Unigenitum Filium tuum ut veniens *impleret* (ἐμπλήσῃ) omnes mundi fines scientia spiritali... nos quoque audivimus dicentem *Cum persi-*

Animadvertenda communiter

Ad ea, quae diximus, nihil fere alicujus momenti ex Patrum aetate novimus quod adjungendum esse videatur. Monumentis igitur, quae Sancti Patres ceterique auctores antiqui suppeditant, nulla potest regula constitui ad quam versiculi 23 e capite X S. Matthaei i n t e g r a et p l e n a dirigi possit interpretatio, ut, quamvis auctoritate sua non obruat, tamen ceteris omnibus singulari ratione antecellat. Quamobrem haec solum animadvertenda judicamus: 1)—Judaeorum in fidem commutationem seu «conversionem» u n u s S. Hilarius ad nostrum locum interpretandum adhibet; reliqui, hoc illove modo, majori minorive perspicuitate, omnes ad unum putant de «civitatibus Israel» Dominum loqui tamquam de perfugii locis, quaecumque demum est horum verborum significatio, numquam finiendis. 2)—Quod ad interpretationem attinet illius membri «donec veniat Filius hominis», u n u s quoque S. Ephraem verba ista explicat per resurrectionem seu adventum Jesu resurgentis. Ceterae explicationes, paucis exceptis.

---

quentur in civităte ista, fugite in aliam. Amen dico vobis non implebitis (πληρώσητε) *civitates Israel usque ad meam parusiam...»*: suspicari forsitan quis potest verbo πληροῦν notionem subjici «reducendi seu convertendi ad fidem», hac nempe sententia: «Non implebitis civitates Israel, scilicet scientia spiritali» seu «non convertetis» Si ita esset, ecce alius in Oriente scriptor S. Hilarii interpretationem teneret, hac tamen differentia, ut videtur, quod S. Hilarius versum 23 populo judaico circumscribit, Agathangelus vero vult locum latius patere atque ad omnes homines pertinere. Verum tamen quae supra disputavimus, in aliam interpretationem inducunt. Praeterea ipsa verba graeca differunt satis: ἐμπλήσῃ =*impleret* πληρώσητε =*compleveritis*, ita ut alterum verbum πληρόω optime adhiberi possit ad significandum numerum aliquem finiri, compleri. Cfr. in iisdem *Actis SS. Gregorii* &., cp. V, n. 57; lc., pg. 346.—Tandem verbum armenum quod respondet verbo graeco —id autem a viro sermonis armeni bene perito accepimus— significat *consummare, finire,* &.

quum «Filii hominis adventum» interpretantur, nihil aliud intelligunt nisi aut alterum Christi adventum gloriosum aut meram obviam itionem qua redeuntibus e missione vel missionibus ad tempus apostolis Christus obviam processit. Solum Origenes cum Procopio Gazaeo et semiariano Theodoro Heracleensi adventum Jesu non aspectabilem seu auxilium intelligunt. Itaque illud affirmare possumus quod totam Patrum aetatem «adventus Filii hominis» per aspectabilem ipsius Christi adventum paene ab omnibus explicatur. 3)—Denique verba illa «civitates Israel», si sententias, quae «mysticae seu spirituales» dicuntur, missas facimus, facile explanantur ab iis qui apostolorum missiones ante passionis tempus hoc loco inclusas volunt. Sin autem, toti loco quasi caligo quaedam offundi videtur. Quodcumque autem eligitur explicationum genus, nullus existit qui «civitates Israel» velit esse quaslibet, ubi israelitae habitent, civitates, sed his verbis potius sive «populum Israel» sive aliud quiddam quod non omnino perspicitur, scriptores hujus temporis significari volunt.

Tempore consequenti haec interpretationum initia majorem eminentiam soliditatemque adipiscentur, atque alia etiam nova excogitabuntur. Id quo magis appareat, quaedam ad nostrum lectorem breviter summatimque referemus.

II

Interpretationum cursus atque progressio ad nostra usque tempora: brevis quaedam adumbratio

Praetereamus Orientem; reliquum enim tempus usque ad ejus secessionem vestigia in eo nulla reperimus. Posthac illustres Orientis jam

segregati interpretes, Theophylactus (1), et Euthymius (2) vestigiis S. Joannis Chrysostomi insistunt; doctus etiam interpres syrus, Dionysius Bar Salibi (3), similiter ejusdem tanti Doctoris interpretationem ceteris anteponit.

His quasi per transennam dictis, redeamus ad Occidentem.

IX-XII.—Paulo antea S. Matthaei commentarium quemdam praetereuntes significavimus, cujus tamen, ut dicebamus, non solum est auctor sed etiam ortus incertus et probabiliter IX saeculo adscribendus. Commentarius hic inter S. Bedae opera receptus, huic Doctori solet attribui; verum rationes sat firmae impellunt ut illum medio saeculo IX scriptum esse credamus (4). Ergo hujus commentarii auctor S. Hilarii interpretationem, etsi oppido immutatam, sive instaurat sive modo instauratam probat. Mittamus sententiam quamdam «spiritualem» e S. Hieronymo ad verbum paene descriptam. Expositio «litteralis» hujus modi est: «Amen dico vobis, non consummabitis... &. Id est, non ad fidem perducetis, antequam resurrectio erit perpetrata et in toto orbe praedicandi Evangelium concessa potestas» (5). Dixeris in hac expositione tum S. Hilarii tum S. Ephraem interpretationes, quod attinet ad ea quae singulorum sunt propria, in unum esse collatas. Explicarat S. Hilarius membrum illud «non consummabitis civitates Israel» nova quasi introducta cogitatione illa de populo judaico ad

---

(1) *Enarrat. in Ev. Matth.*, X, 23; MG 123, 241.

(2) *Comm. in Matth.*, X, 23; MG 129, 337.

(3) *Corpus script. christ. orient.*; *Script. Syri*, Versio, series 2, t. 98, *Dionysii Bar Salibi comm. in Ev.*, X, 23; fasc. II, pp. 216-217, Romae 1922

(4) Ne disputationem nimis longa notatione oneremus, rationes ad extremum apponemus, appendicis instar.

(5) *In Matth. Ev.*, l. II, cp. X; ML 92, 54.

fidem Ecclesiamve deducendo; putaverat S. Ephraem illis verbis «donec veniat Filius hominis» adventum Christi resurgentis contineri. Atqui de his duobus, quae utriusque Sancti sunt propria, vox tam illustrium Doctorum quasi in desertissimam solitudinem missa fuerat. At ecce tandem vir ex Occidente, quae utriusque Sancti sunt propria, sive primum in unum redigit, sive jam paulo antea in Occidente redacta sibi assumit, perfectamque exhibet explicationem quam deinceps ad nostra usque tempora non pauci auctores sequentur (1).

Per gloriosam Carolinae renovationis aetatem non parum etiam varietatis advertitur. R h a b a n u s M a u r u s (856) vel primus S. Hilarii Sanctique Ephraem interpretationes in unum redigit, ut nobis quidem probabilius videtur, vel cum primis de ignoto illo S. Matthaei commentarii auctore describit (2). Ejus discipulus W a l a f r i d u s S t r a b o (849), quum in celeberrima G l o s s a o r d i n a r i a totum versum 23 summatim interpretatur, S. Hieronymi vestigia religiose persequitur (3). Monachus benedictinus C h r i s t i a n u s (medio fere saeculo IX) in eodem versu missionem illam ad tempus, quum Christus dixit haec verba, videt expressam: «De praesenti missione loquebatur»; ad alteram vero v. 23 partem «Non consummabitis &» quum propius accedit explanandam, adjungit: «De hoc dicit, quia ipse erat venturus ad praedicandum, quo

(1) Commentariorum S. Matthaei auctorem ex S. Hilario libasse, si primus ipse interpretationem composuit, simillimum veri videtur; ex Sancto vero Ephraem satis veri simile non videtur. Itaque resurrectionis species, quae est propria S. Ephraem, a quonam in eum fonte manavit?

(2) *Comm. in Matth.*, l. III; ML 107, 899.—Sententiam quoque «spiritualem» S. Hieronymi describit ad verbum.

(3) Ev. Matth., cp. X; ML 114, 119.

eos tunc mittebat» (1).—Contra, S. Paschasius Radbertus (860) S. Hilarium sequitur. At totam rem —quod de viro tam perspicaci et attento sperandum erat—, suo modo retractat. Itaque de communi explicatione, secundum quam «non consummabitis» significat perfugii urbes fuga non esse finiendas, sic pronuntiat: «omnino non stat» (2). De interpretatione, quam eligunt Pseudo-Beda et Rhabanus Maurus (3) sic opinatur: «violenta videtur ista interpretatio» (4), subjicitque rationes. Quod ad explicationem «litteralem» attinet quae ipsi magis probatur, S. Paschasius Radbertus vim illarum vocum «civitates Israel» paulo magis suo modo expendit et enucleat; de illius sententia «civitates eorum (Israelitarum) ipsi sunt appellati recte qui simul commorantur ut concives fiant» (5); videlicet, «civitates Israel» cives sunt Israelitae qui semper erunt usque ad eorum in Ecclesiam introitum ante gloriosum Christi adventum. Quae quidem est interpretatio subtilis, conatu quodam studioque expressa, ut propria vis atque sententia, quae per totum saeculorum curriculum valeat, «civitatibus Israel» infixa esse videatur. Nihil est quare animadvertamus «spiritualem» quoque S. Hieronymi interpretationem, suo quodam proprio modo refectam, ad extremum a S. Paschasio adhiberi (6).

Ad saeculum usque XIII eaedem frequentantur explicationes. S. Bruno Astensis (1123)

(1) Ut pater, ad illud membrum «donec veniat Filius hominis» explicandum iis verbis utitur Christianus quibus S. Lucas (X, 1) 70 discipulorum missionem narrare orditur: *Exposit. in Matth.*, cp. 27; ML 106, 1349.

(2) *Exposit. in Matth.*, l. VI, cp. X; ML 120, 425a.

(3) Eam exponit leviter immutatam: «Labor non complebitur praedicandi, donec veniat vobis Filius hominis in adjutorium post resurrectionem a mortuis» (lc).

(4) Lc.

(5) Lc.

(6) Lc., 426.

in summa ipsa cum S. Hilario congruit (1). Nobilis ille Anselmus Laudunensis (1117) in Glossa interlineari Rhabani Mauri ac S. Hilarii interpretationes disjungendo proponit (2). Zacharias Chrysopolitanus (c. 1155) «spiritualem» quidem explanandi modum de S. Hieronymo depromptum, etsi magna brevitate contractum, non praetermittit; at praeterea de apostolorum in Palaestina missionibus locum interpretatur. Id unum exhibet singulare, nimirum quod, quamvis de his missionibus locum explanet, tamen membrum illud «donec veniat Filius hominis» hac notatione «per impensum vobis auxilium» declarat (3): qui modus aptior ad adventum non aspectabilem quam ad adventum aspectabilem sive ad meram obviam itionem significandam jure ac merito videri potest. Quod si re vera Zacharias his verbis adventum sive auxilium, quod sensibus percipi non potest, significare voluisset, id in Occidente novum quiddam futurum fuit; in Oriente enim jam erat ab Origene in aspectum lucemque prolatum.

Novam sane interpretationem, XII saeculo ineunte, reperimus. Rupertus Tuitensis (1135), notus abbas benedictinus, «vir magnae doctrinae et sanctitatis» (4), propriam «civitatum Israel» vim notionemque rejicit, in ejusque locum translatam aliam inducit. «Civitates Israel» innumerabiles illae dici debent «per orbem terrarum civitates sive ecclesiae meo nomini dicatae, qui sum verus Israel» (5). Hac explicatione refractus patet orbis ille ferreus quo omnes ad illud usque tempus inter-

(1) *Comm. in Matth.*, pars II, cp. X, n. 39; ML 165, 162.
(2) *Enarr. in Matth.*, cp. X; ML 162, 1344.
(3) *In unum ex quatuor*, l. I, cp. 44; ML 186, 162.
(4) *Hurter, Nomencl. litt.*, II, 25-29.
(5) *Comm. in Matth.*, l. VII; ML 168, 1496.

pretationes, quae ad universos universumque tempus respicerent, circumclusae videbantur; nam, ea stabilita et fixa, reliquorum fluit libera ac perlucida interpretatio: «Nemo quippe tamdiu in ista peregrinatione vivit aut vivet, ut fugiendo pertransire possit omnes, quae in me crediturae sunt, civitates &» (1). In praeclaro opere «De inspiratione Sacrae Scripturae» hanc Ruperti Tuitensis interpretationem R. P. Pesch dignam judicabit quam sub disjunctione proponat (2).

XIII-XVI.—Vir eximius, vere M a g n u s, aditum nobis ad haec quatuor saecula patefaciet ac muniet quorum extrema caelum ipsum quasi videntur attingere.

S. A l b e r t u s M a g n u s (1280) nihil novisse videtur e S. Hilarii interpretatione; tres ipse proponit, in quibus tamen Judaeorum in Ecclesiam introitu ad interpretandum non utitur, immo neque illum commemorat; quare neque Pseudo-Bedae Maurive vestigiis dici potest insistere. In triplici autem interpretatione eam nostro loco subjicit sententiam qua solum ad filios Israel mitti significentur apostoli; illius vero membri «non consummabitis» in eo proprie vis ponitur quod apostoli «civitates Israel» fugiendo non finient. Itaque in explicando inciso «donec veniat» tota consistit interpretandi varietas. Est autem ista: «N o n c o n s u m m a b i t i s, fugiendo in ista missione, c i v i t a t e s I s r a e l... d o n e c v e n i a t post resurrectionem ad vos F i l i u s h o m i n i s, et tunc erit generalis missio in omnem terram. Vel d o n e c v e n i a t F i l i u s h o m i n i s, et assumat vos vocando ad regnum suum. Vel d o n e c v e n i a t, in auxilium vo-

(1) Lc.

(2) L. II, cp. IV, art. III, p. 504, n. 494, not. 3.

bis succurrendo —I ad Cor. X, 13—» (1). Prima interpretatio vocari potest ad summam n o v a in Occidente; nullam antecedentem proprie refert, atque ad S. Ephraem confugiendum est ut istius sententiae principem in Oriente reperiamus (2). Tertia, tum ob adhibitam dicendi rationem, tum ob allatum locum ex epistola ad Corinthios, adventum non aspectabilem significare potius videtur; illam in Oriente proposuit Origenes, eamdem in Occidente Zacharias Chrysopolitanus videtur adhibuisse. Tandem interpretationem alteram satis intelligere non possumus; quod si mortem significat, quum Dominus ad gloriae regnum vocat, hujus modi interpretationem a nobis neque in Oriente neque in Occidente repertam esse recordamur.

Locuples est S. Alberti M. interpretatio; quin immo ditior nobis et affluentior quam S. Thomae videtur. Contra A n g e l i c u s D o c t o r tuto semper ac sobrie docet. In «Catena aurea» (3)

---

(1) *In Ev. Matth.*, X, 23; *Opera Omnia*, v. 20, ed. Vives, 1893, p. 464a.

(2) *Hugo a S. Charo* (1263) adumbrare illam videtur in doctis piisque *postillis* de S. Matthaeo, obscurius tamen; neque satis dilucide apparet utrum *consummare* significet «convertere» an «fugiendo praedicandoque finire», quamquam hoc postremum probabilius videtur: *Ugonis de S. Charo... t. VI, In Ev secundum Matth.* &., ed. Coloniae Agrippinae 1621, fol. 41r.

(3) *In Matth. Ev.*, X; *Opera Omnia*, t. 11, ed. Parma, 1860, pp. 135-136.—In S. Matthaei commentariis, si *mysticam* sententiam de S. Hieronymo depromptam omittimus, eam interpretationem videtur S. Thomas (si ejus tandem sunt isti commentarii) praecipue et ut propriam adhibere quam S. Albertus primam proponit et quae ad summam *nova* nobis visa est in Occidente, quippe quae tum ab ea, quam S. Chrysostomus et S. Hieronymus usurparunt, differat, quum «donec veniat F. h.» per resurrectionem explicet, tum ab ea etiam discrepet quam Pseudo-Beda et Rhabanus Maurus attulerunt, quum «consummabitis» ad mutationem non referat Judaeorum. Haec enim scribit: «Dico, dato quod ab una civitate expellant vos, *fugite in* aliam; et non poteritis peragrare civitates Judaeae, *donec veniat F. h.*, id est, donec resurgat a mortuis, &» (Opera Omnia. t. X, ed. Parma, p. 102a). Postea S. Thomas sive commentariorum auctor S. Hilarii interpretationem inducit, at quasi seccundariam et alienam; introducit enim eam simplici hac ratione: «Hilarius aliter exponit; dicit enim &» (l.c.).

cuncti a S. Doctore allati loci revocantur sive ad propositam a S. Hilario interpretationem, sive ad eam quae ad priores spectat apostolorum in Palaestina missiones vel eo modo quem indicant S. Joannes Chrysostomus, S. etiam Hieronymus, vel eo quem adhibet Pseudo-Beda et Rhabanus Maurus. Ecce interpretationes de sancto augustoque traditionis fonte manantes.

Uterque S. Doctor, S. Albertus M. et S. Thomas, populi Israel deductionem in fidem non multum eminere facit, neque sub prisca S. Hilarii ratione neque sub recentiore Pseudo-Bedae, variasque simul interpretandi formas proponit, quarum alias alius magis insignes facit. Iis autem, quae uterque tantus Doctor affert, cunctae in posterum interpretandi rationes constitui ac contineri videntur. Multa igitur prius effluent tempora quam novi existant interpretandi modi; deinceps enim singuli scriptores modo ad hanc modo ad illam inclinabunt interpretationem, aut etiam praecipuas sub disjunctione proponent (1).

---

(1) Exempli causa haec adjuvare possunt: Notus ille *Nicolaus Lyranus* (1340) sub disjunctione proponit interpretationes Pseudo-Bedae atque Ruperti Tuitensis (Super libros Matth., &., ed. Balilcae, 1507, fol 37 v.)—*Dionysius Ryckel*, «Carthusianus» (1471) S. Thomam sequitur ducem (*Opera Omnia*, t. XI, Monstrolii, 1900, p. 128) — *Tostatus* (1455) S. Hilarii interpretationem affert, at probabiliorem videtur illam habere quae membro «donec veniat F. h. exprimi putat «adventum in morte vel resurrectione» (Venetiis, t. 20, fol. 253r).—*Cajetanus* (1535) primam solum S. Alberti M. explicationem affert: «...Intendit enim quod, antequam discurrerent praedicando seu fugiendo omnes civitates populi Israel, veniet ipse Jesus immortalis, resurgendo a mortuis, &.» (*In quatuor Ev. et Act. Apost. Comm.*; t IV, Lugduni 1639, p. 52a).—Contra, *Cornelius Jansenius*, Episcopus Gandavensis (1576), postquam copiose et erudite, ipsa Ruperti Tuitensis nova interpretatione non omissa, disputavit, concludit S. Joannis Chrys. interpretationem sibi probabiliorem videri: «At ut verum fateamur, Chrisostomi sententia simplicior videtur et verior» (*Cornelii Jansenii Ep. Gandav. Comm. in suam Concordiam ac tot. Hist. Ev. partes* IV, cp. 55, Moguntiae 1612, p. 364b).—Tandem *Salmeron* (1585) interpretationem eligit Pseudo-Bedae, quam ille S. J. Chrys. adscribit. In hoc erudito auctore unum notare volumus, eam scilicet, quae ab ipso eligitur,

At necesse est tempus ostendere quod ad S. Hilarii sententiam accessionem demonstrat insignem. Enimvero magnus ipse Maldonatus (1583) post expositionem, temperatam illam quidem, sed acutam et perspicacem, quae solent esse ejus disputationes, a Doctoris sententia sibi standum esse plane aperteque declarat: «...cujus sententia hoc mihi magis placet, quod nihil in ea coactum esse video, et quod adventus Filii hominis nusquam, quod sciam, alius quam supremus ille, quo ad judicium venturus est, appellari soleat. Quamquam Bedae (scilicet Pseudo-Bedae) interpretatio non displicet» (1).

Maldonati suffragium fieri non potuit quin posteriores interpretes maxima sua auctoritate perculeret; quapropter S. Hilarii interpretatio temporibus subsequentibus tamquam potior saepenumero deligetur; quin immo, vel nostra aetate non pauci theologi et interpretes eidem suffragantur. Profecto non multis annis post editos Maldonati commentarios, notissimus interpres Corne-

significationem verbi graeci τελεῖν. Sic enim scribit: «Non sacris initiaveritis, vel non sacra docebitis civitates Israel, &.» (*Alfonsi Salmeronis Tolet. e Soc. Jesu Theol. Comm. in Ev. Hist.*, &.; t. IV, pars II, tract. XVI *De fuga in persecutione*, pp. 478-479; ed. Matriti, 1599. Volumen hoc IV postremum est eorum quae S. Robertus Bellarmino recognovit).

(1) *Joannis Maldonati Soc. Jesu theol. comm. in quatuor Ev. tomus I Praefationem in quatuor Ev., et Matthaeum et Marcum continens*, Mussiponti, 1596, col. 254.—Insigne est hoc Maldonati pro S. Hilarii interpretatione suffragium. At illico id occurrit quaerendum: Si de Maldonati sententia nihil non planum atque expeditum in S. Hilarii interpretatione invenitur, quaenam tandem «civitatibus Israel» subjicienda erit notio? Etenim una ex rationibus quae adversus S. Hilarii interpretationem premuntur, ea est quod in hujus modi interpretatione a «civitatum Israel» plana et aperta notione recedendum est, atque alia eligenda quae contorta, primo saltem aspectu, videtur, scilicet «civitates Israel sunt illae in quibus dissipati Israelitae ad extrema usque tempora reperiantur.» At ecce Maldonatus, rem profecto mirabilem!, fidenter affirmat: «...dubium non est Christum de illis loqui civi-

lius a Lapide (1637), aliis enumeratis explicationibus, haec de S. Hilarii interpretatione plane aperteque scribebat: «Quarto et genuine... &», quasi velit hoc modo significare S. Hilarii interpretationem esse simpliciter veram (1).

XVII-XX.—Difficile admodum aut etiam vix fieri posse videtur ut novae existant interpretandi formae. Existunt tamen. Una imprimis, ineunte saeculo XVII aut proximo fere vertente, se extollit, eo saltem modo qui notatione dignus esse videatur (2). Ejus ortus, quamvis adeo recens, involutus obscuritate latet; at ita sensim pedetentimque haec interpretatio progressa est, ita scriptorum mentes occupavit ut nostra quidem memoria majori interpretum theologorumque parti, multis utique atque selectis, potissima sine dubitatione videatur. Vult autem istius modi explicatio «Filii hominis adventum» in eversione Hierosolymae populique judaici dissipatione consistere

tatibus ad quas Apostolos tunc mittebat, non autem mittebat nisi ad civitates Judaeae» (lc.). Quare apparet «civitates Israel» de Maldonati sententia in ipsa etiam S. Hilarii explicatione «civitates esse Israel» *vi ac notione omnino propria.* Qui possunt duo haec extrema conjungi? Maldonatus id non declarat, sed tota ejus scribendi ratio ponere videtur hanc conjunctionem planam expeditamque esse. Utinam nihilominus eam declarasset. Nobis haec concordiae ratio occurrit. Israel seu Judaeorum natio existere potest sive dispersa sive coacta, sub hac illave forma; semper tamen eadem res est sub vario statu atque forma. Jam vero ut id, quod alicui rei sub qualibet forma convenit, affirmare possis, nihil est necesse rem illam infinita ratione demonstres; satis est si eo modo singulari et proprio, quo tunc existit, eam ostendas, praesertim quum vulgari popularique dicendi genere uteris. Atqui id proprie Dominus fecit. Nimirum quum ipse loquebatur, Israelis natio re et veritate in urbes existebat coacta; quare nomen «civitatum Israel» modus erat popularis, proprius, planus, ostendendi populi seu nationis Israel. Id atque id solum e verbis Salvatoris potest colligi. Itaque haec verba designationem constituunt illius similem qua Jesus utitur quum sermonis facit initium: «...ite ad oves... *domus Israel*» (*S. Matth.* X, 6).

(1) Ed. *Crampon*, Paris, 1874, p. 270b.

(2) *Salmeron* perbrevem quamdam significationem jam ipse habet: lc., p. 479b.

Et de altero membro haec est interpretationis summa. Quod autem ad illud membrum attinet: «non consummabitis civitates Israel», alii S. Hilarium interpretem sequuntur, in civitates alii fuga non finiendas rem accipiunt.

P. Sebastianus Barradas (1615) in Scripturae commentariis varias ad illud usque tempus propositas interpretationes accurate colligit. Eas jam novimus. Verum praeterea tres alias adjicit. E quibus duae nobis videntur parvi esse momenti; eas dixeris excogitata quaedam esse, matura parum, nonnihil rara atque contorta, flores videlicet solitarios, qui ne vestigium quidem ullum reliquerunt (1). Tertia locum explicat per Hierosolymae eversionem. Nullum Barradas adducit auctorem, remque breviter hoc modo declarat: «Tertius: Non percurretis omnes civitates Judaeorum, donec ego veniam ad sumendas de illis poenas, evertendamque Vespasiani ac Titi opera Israeliticam Rempublicam» (2). Carmelita lusitanus Joannes de Sylveira, mortuus anno 1687 aetate jam decrepita ad quintum et nonagesimum annum, novam hanc interpretationem ipse etiam affert, sed ita ut notet auctores pro illa non frequenter adduci: «Tertia explicatio communiter allegatur sine auctore a recentioribus; ac si Christus dicat: Non peragrabitis civitates Israel, donec ego veniam tamquam vester ultor et vindex per Titum et Vespasianum ad sumendas poenas de ipsis civitatibus easque destruendas» (3). Postea, XVIII saeculo ineunte, vir eruditus Calmet (1755) auctores jam

(1) *R. P. Sebastiani Barradii, Olisiponensis e Soc. Jesu* t I-II *Comm. in concord. et hist quatuor Ev.*, ed. Moguntiae 1605, pp. 613b-614-a.

(2) Lc., p. 613b.

(3) *R. P. D. F. Joannis da Sylveira, Comm. in Textum Ev.* t. III; l. V, cp. IX, q. VII, Lugduni 1698, p. 130b.

afferebat; verum duo, quos nominatim appellat, sunt protestantes: gallus Le Clerc et anglus Hammond, videlicet iidem ipsi quos una cum gallo Cappel pro eadem explicatione producit, quum versum 28 e capite XVI S. Matthaei interpretatur (1). Allatorum haec auctorum inopia satis aperte indicat illius membri interpretationem «donec veniat Filius hominis» per eversam Hierosolymam gravibus auctoribus tempore Calmet nondum probari, aut saltem nondum ita probari ut eam auderent tenere ac proprio suffragio roborare.

Ut mutari vertique res solent! exclamet nunc quispiam qui ad ea existimationis benevolentiaeque signa attenderit animum quibus haec tam nova majoribusque nostris prorsus ignota interpretatio nostris temporibus saepe decoratur. Unam vero e praecipuis, quibus illa nititur, rationibus jam supra tum declaravimus quum de S. Matthaei loco XVI, 28 disseruimus. Est autem summa haec: Hierosolymae urbis eversionem populique judaici exilium vero quodam modo quasi adumbrationem quamdam seu prooemium extremi judicii existere (2).

Hoc major auctorum pars contenta est. Sed quidam, subtili ingeniosaque via, longius progredi volunt. Ab eodem hoc initio profecti, Hierosolymam videlicet simulacrum quoddam esse seu adumbrationem postremi judicii, interpretationem sane ingeniosam excogitaverunt. Constat nempe utrumque membrum «civitates Israel» et «Filii hominis adventum» cunctis interpretationibus

(1) *R. P. D. Augustini Calmet O. S. B. Comm. litt. in omnes libros N. T. latinis litt. traditus a J. D. Mansi,* Wirceburgi 1787, t. I, pp. 244-245.

(2) *Dieckmann, De Eccl.*, trac. I, cp. II, q. I, Assert. 4, p. 96; n. 127, ubi aliquot afferuntur auctores.

« litteralibus » quasi infestam Charybdim et Scyllam existere, seu potius quasi duo extrema, quae, si propria vi ac notione simul assumantur, nulla jam ratione conjungi componique posse videantur. Et re quidem vera, «civitates Israel» assumas ad vim notionemque propriam: nequeas jam, ut videtur, «Filii hominis adventum» intelligere eo modo quem, primo saltem aspectu, maxime proprium manifestumque dixeris, ita scilicet ut alter ad postremum judicium adventus intelligatur; vicissim simile quiddam accidit si sub «Filii hominis adventu» eam subjicias, quae maxime propria videtur, vim atque sententiam. Atqui nonnulli duas verborum illorum «Non consummabitis &» proprias «litteralesque» notiones tuentur, non eas quidem dissolutas et quasi mutuo sejugatas, sed connexas et aptas et quae se mutuo compleant. Haec igitur Salvatoris verba «Non consummabitis &» certa quadam propria et quasi proxima notione apostolos appellant, significantque «non prius ab apostolis civitates Israel esse finiendas quam ad eas judicandas diruendasque, earum praesertim caput Hierosolymam, adveniat Ipse». At eadem verba simul etiam apostolos proprie appellant quatenus personam gerunt omnium Ecclesiae catholicae futurorum apostolorum; tunc autem vim habent communem et ad omne tempus pertinentem; proinde significant Israelis populum non prius ab apostolicis praedicatoribus in fidem esse deducendum quam Filius hominis extremis temporibus advenerit. Quod priore verborum notione exprimitur, id effigies est et imago — τύπος — illius quod altera notione continetur, et eatenus exprimitur quo hujus modi imago est; quapropter duas simul locus ille Salvatoris expressas verborum continet propriasque notiones. Duplex haec «litteralis» no-

tio (1) efficit ut in earum altera, quae τύπον exprimat, incisum «civitates Israel» vim habeat notionemque maxime perspicuam; vicissimque, in qua res ipsa seu ἀντίτυπος significetur, notio maxime perspicua verbis illis «donec veniat Filius hominis» potissimum convenire videatur.

Subtilis haec ingeniosaque interpretatio novam constituit rationem ad demonstrandum quaenam sit duobus illis membris «civitates Israel» et «donec veniat Filius hominis» verborum vis manifesta quam maxime. Hac etiam ratione patet quam sit optabilis interpretatio quae, servata litterali significatione, eaque non composita sed simplici, utrumque extremum ita conjungat ut verba retineant vim notionemque prae ceteris maxime propriam (2).

Advenerunt demum ea tempora quum omni catholicae interpretationi nefarium quoddam bellum, omni imbutum odio, Ecclesiae hostes intulerunt. Eschatologistae, quippe qui soli tunc viderent ac porro nunc etiam soli videant, opinabantur vel potius decernebant unam posse, eamque manifestam, e verbis Christi elici exprimique sententiam: nimirum «Christum intra unius aetatis terminos ad homines judicandos gloriosum esse venturum.» Tam temerarium decretum plurimas, ut rectum erat, apud catholicos pepulit defensiones. Non veteres solum iteratae, verum no-

---

(1) Si hujus interpretationis auctores praeclaram R. P. Vaccari disputationem «La θεωρία antiochena» legere meditarique potuissent, forte scripturi non erant de duplici *litterali* notione, verum de una dumtaxat composita atque plena: *Biblica*, v. I, 1920, p. 28.

(2) Interpretationem hanc breviter atque dilucide exponit *Bisping* (*Erklärung des Ev. nach Matthäus*, Münster, 1864, pp. 236-237). Knabenbauer et Filion aliquot alios auctores afferunt. Recentissimo tempore suffragati sunt etiam graves quidam auctores. Cfr. *Eminentissimum Card. Isidorum Gomá, El Ev. explicado*, v. II, 75, p. 329, Barcelona, 1930; *Simón H., Prael. Bibl. N. T.*, v. I, III, pars altera, sect. I, art. VI, 2, n. 234, pp. 271-272.

vae etiam exortae sunt explicationes, dignissimae quae accurate diligenterque aestimentur. Omnes fere eo contendunt ut sive ex parte sive etiam ex toto aspectabilis Filii hominis adventus obscuretur, vicissimque illud emineat quod et Filii hominis personam ipsam minus exprimat et magis insigne regni faciat adventum; quem quidem regni adventum illustri quadam Ecclesiae claritate, amplificatione, confirmatione, ex parte causae effectusve perspectis, contineri volunt.

Itaque anno 1906, quum, occasione operis Von Reimarus zu Wrede a Schweitzer hoc eodem anno editi, eschatologismus aestu quodam effervescebat ingenti, R. P. Lagrange, cujus acerrimo ingenio tot tamque fecundae cogitationes debentur, ingeniose notat ad S. Matthaei locum explicandum oportere illud ante oculos ponere quod «Filius hominis» simulacrum seu σύμβολον est quoddam de Daniele depromptum, propterea S. Matthaei verba in ore Jesu eamdem possunt habere sententiam quam in ipso Danielis loco (1). Quapropter «Le Fils de l'homme signifie d'abord le royaume des saints du Très-Haut, et en même temps son fondateur, le Messie...; le règne de Dieu, d'ailleurs inauguré par les miracles que font les apotres, viendra avant que, chassés de ville en ville, ils en aient achevé le tour. Jésus exprime ainsi sa certitude de l'avènement prochain du règne de Dieu en sa personne. Il l'exprime sans faire allusion ni à sa résurrection, ni à la ruine des Juifs, ni au jugement dernier, mais par une image traditionnelle et vague qui ne vise précisément aucun fait» (2). Aliquot post annis, in S. Matthaei commentariis, anno 1923

(1) VII, 13.
(2) *Revue Bibl.*, 1906, p. 562.

editis, P. Lagrange, ea re penitus seposita de imagine ex Daniele deprompta, hoc unum affirmabat quod adventus, de quo est sermo, «n'est pas nécessairement la parousie qui termine l'histoire du monde. Le Fils de l'homme vient lorsqu'il exerce un grand jugement surtout tel que la ruine de Jèrusalem» (1). At, prius quam ille S. Matthaei commentarios edidisset, primam illam cogitationem jam alii sibi assumpserant sive describendo sive perpoliendo et absolvendo.

E quibus R. P. Lemonnyer breviter dilucideque declarat quam ille putat «la seule interprétation qui soit vraiment compatible avec le contexte». Sic autem scribit: «Tout dépend du sens à attribuer à l'expression Fils de l'homme et venue du Fils de l'homme. Le sens est à déterminer d'après Daniel, VII, 13, où il est manifeste que Fils de l'homme, avant de désigner le Roi-messie, le chef du royaume, symbolise ce royaume lui-même, le règne des saints. Il est extrêmement vraisemblable que S. Matthieu prend ici l'expression dans ce dernier sens et que, par la venue du Fils de l'homme, il entend cette magnifique et soudaine extension du règne messianique que constituera la conversion des Gentils» (2). Eodem anno 1913, R. P. Ives de la Brière similem proposuerat explicationem, quae ipsa etiam de Patris Lagrange fonte manaverat (3).

---

(1) *Ev. selon S. Matth.*, París, 1923, p. 205.

(2) DAFC, *Fin du Monde*, col. 1924.—Anno 1928 P. Lemonnyer locum de integro interpretatur; et, quamquam occultius et cautius, plane tamen et graviter eschatologicam negat inesse sententiam: «Matth X, 23 s'entend sûrement d'une parousie historique, c'est-à-dire d'une spéciale intervention, dans le cours historique des événements, de Jésus exalté en Fils de l'homme..»: *Théologie du N. T.* (apud «Bibliothèque catholique des sciences religieuses»), première part., cp. IV, § 2, p. 69.

(3) Lc., *Eglise*, cols. 1234-1235. — Alii atendunt magis animos ad eam partem qua significantius exprimitur regni messianici

Alia interpretationis species, quae apud protestantes trita, nunc demum postremis his temporibus inter catholicos videtur exorta (1), Filii hominis adventum per Spiritus Sancti die Pentecostes adventum exponit. Haec interpretandi ratio Professori Seitz, Doctoris Schnitzer sententiam refellenti, potissima videtur (2). At eam Rauschen, quum de Professoris Seitz opere fert judicium, censoria severitate carpit. Postea enim quam de interpretatione S. Matthaei, XVI, 28, ab ipso Seitz per Hierosolymae eversionem proposita, judicium facit plane aperteque contrarium, adjungit: «Mit noch weniger Recht bezieht der Verf. die Worte Jesu bei Matth. X, 23... auf die Herabkunft des Hl. Geistes» (3). Et sane interpretatio haec nequedum fuit in secunda fortuna, neque eam in posterum futuram jure optimo praevideri potest.

Allati isti auctores, quibus certe comitatus non deest, rati sunt eum cum eschatologistis dimicandi modum potius valere qui eschatologicis locis ubi «adventus Filii hominis» exhibetur, propterea nostro etiam loco, universe neget de altero gloriosoque Filii hominis adventu ullum esse sermonem. His adjungantur oportet complures illi theologi atque interpretes, qui ad nostra usque tempora iisdem locis Hierosolymae eversionem tamquam «Filii hominis adventum» significatam volunt, quippe quae, de eorum sententia, verus fuit adventus in quo Christus judex splendidum manifestumque se ostendit. Ad eamdem fere rem multo jam antea scripserat Mangenot non deesse scriptores quibus

---

confirmatio: Cfr. *Beraza, Tract. de Deo elev.*, &.; *de Noviss.*, sect. II, cp. III, a. I, n. 1526, p. 667, Bilbao, 1924.

---

(1) Schanz, opere et loco infra adducendis, pro hac explicatione tres affert protestantes: Calvinum, Grotium, Bleek.

(2) *Modernistische Grundprobleme*, I Abschnitt, cp. I, § I, pp. 6-7, Köln 1912.

(3) *Theol. Revue*, v. XII, p. 42.

explicatio «la plus simple et la plus radicale consiste à nier le fait et à dire que tous les passages du Nouveau Testament desquels on prétend l'inférer (explicationem eschatologicam) ne concernent pas le dernier avènement visible du Sauveur, mais seulement son avènement invisible par la destruction de Jérusalem et la fin de la nationalité juive» (1). Modum hunc dimicandi simplicem esse, eoque totius quaestionis fundamenta subduci negaverit nemo. At vero caput est, nostra quidem sententia, studiose diligenterque perpendere detne hic dimicandi modus majorem inveniendae veritatis spem pignusve majus; certe quidem periculum creat ne nimium «a priori», ut dicitur, excogitatus esse videatur; atque hac ratione eos, qui diversa sentiunt, et difficiliores reddamus et sine causa lacessamus, quippe quibus contraria sententia evidens esse videatur.

Quare prudentissimi theologi atque interpretes nostro loco de altero gloriosoque Filii hominis adventu sermonem esse constanter affirmare perseverant. Ex interpretibus R. P. Knabenbauer (2) ad exemplum afferri potest; e theologis, praeclari duo scriptores, omni commendatione digni: Lercher (3) et Van Noort (4).

Rudem hanc imperfectamque interpretationum enumerationem concludat oportet subtilis quaedam alia, quae, primo saltem aspectu, animos allicere et quasi trahere videtur; in eam confluere dixeris quae fusa per alias fere omnes interpretationes atque dispersa pervagantur. Itaque sunt quibus et visa est et videtur nunc etiam potissima. Breviter a

(1) DB, *Fin du Monde*, col. 2268.

(2) Ed. *Merk*, pp. 455-456.

(3) *Institut. Theol. Dogm.*, l. I, *De Vera Relig.*, cp. II, th. 15, Schol. II, n. 163, p. 173, Innsbruck, 1927.

(4) *Tract. de Vera Relig.*, sect. II, cp. IV, *Appendix* II; ed. 4.ª a *Verhaar* composita, n. 181, pp. 238-239.

Schanz dilucideque proponitur: «Die Ankunft des Menschensohnes nimmt ihren Anfang mit der Auferstehung und erhält ihr Ende bei der Parusie» (1). Sit sane certo quodam modo res in se ipsa vera. At utinam fieri posset ut eam loco ipso significatam videremus! (2).

Animadvertenda generatim

Nunc ea, quae post VIII saeculum de interpretandi via et modo stabilita et fixa sunt, ante oculos breviter summatimque ponamus conferamusque cum iis quae Sancti Patres nobis et antiqui scriptores tradiderunt. Profecto quaecumque dicemus historica, nihil erunt aliud nisi timidae affirmationes, sive potius accedendi ad ipsam rem veritatemque studia quaedam atque conatus qui sapientiores ad ea confirmanda corrigendave stimulare atque excitare possit. Caput nobis est locum ipsum interpretari.

1. Ex antiquis sententiis immutata quaedam.—1. Populi judaici in fidem deductio solius S. Hilarii desinit esse sententia, constituitque jam quasi publicum patrimonium. Illustris quaedam continuatio seriesque scriptorum, quae ad nostra usque tempora pervenit, eorum etiam qui in «Filii hominis adventu» alterum gloriosumque adventum non agnoscunt, eam sibi tenendam judicavit.

2. Similiter solius S. Ephraem desinit esse sententia, quae «Filii hominis adventum», per re-

(1) *Comm. über das Ev. des Hl. Matthäus*, Freiburg i. B. 1879, p. 298.—Cfr. etiam: *Van Laak, Institut. Theol. Fund.*, tract. III, *de Rev. Christ.*, prop. 12, n. 67, obj. 6, p. 83, Prati 1911.—*Durand, Ev. selon S. Matth.* (apud «Verbum Salutis»), p. 172, Paris, 1923.—*Schultes, De Eccl. Cath.*, cp. 2, art. 6, VIII, n. 3, pp. 45-46, Paris, 1925.—*Bainvel, De Eccl. Christi*, pars prior, cp. I, th. I, Schol. n. 3, p. 38, Paris, 1925.

(2) Cfr. praefationem hujus alterius capitis.

surrectionem explicat. Jam inde ab VIII saeculo per multorum auctorum opera nullis impedimentis pervagatur; summam consequitur gloriam quum a S. Alberto Magno et ab Angelico Doctore assumitur, atque in hac eadem gloria per diuturna tempora perseverat. At nostra tamen aetate explicationes aliae anteponuntur, atque vix ullus existit qui S. Ephraem interpretationem satis valere defendat, quamvis nonnulli eam tamquam partem explicationis assumant: sunt autem ii qui «Filii hominis adventum» a resurrectione exordiri putant ipsaque parusia terminari.

3. Contra, illa paene omnium absoluta consensio qui per totam Patrum aetatem locis eschatologicis «Filii hominis adventum» non invisum esse sed aspectabilem atque ipsius personae Christi asserebant, leviter inclinat quum Origenis Procopiique interpretatio aliquot auctoribus ut Zachariae Chrysopolitano, S. Alberto Magno, Lucae Brugensi probatur; contrahitur porro magis magisque quotidie, progredientibus seque latius in dies fundentibus eorum interpretationibus qui adventum non aspectabilem tuentur: sive proponenda Hierosolymae eversione, sive aliis interpretandi modis recenti tempore, in pugna praesertim contra eschalotogismum, exortis.

4. Imprimis vero nostra aetate in nihilum paene interiit unum e duobus illis extremis intra quae Patrum explicationes movebantur et quasi fluctuabant quum «Filii hominis adventum» per aspectabilem ipsiusque personae Christi proprium adventum interpretabantur: videlicet obviam itio seu iterata Christi ad apostolos adjunctio post missionem aut missiones ad tempus. Itaque S. Joannis Chrysostomi interpretatio, antiquis scriptoribus usitata ac trita, similesve explicationes, vix ullum nostra memoria discipulum habent et asseclam

(1). Quapropter duo extrema, circum quae interpretatio nunc omnis torquetur et vertitur, sunt alter Christi gloriosus adventus et alius quidam qui nec proprius nec aspectabilis adventus est.

II. Nova quaedam.—Nihil loquimur de compositionibus novis; e quibus illa videtur praecipue notanda quae Pseudo-Bedae vel Rhabani Mauri tempore excogitata est. Ejus ope quasi componuntur inter se et apte cohaerent S. Hilarius et S. Ephraem, judaeorum scilicet in fidem deductio atque Filii hominis in resurrectione gloriosus adventus. Praeter has compositiones, ecce novarum initia, quae nobis quidem sint nota.

1. Ab VIII saeculo ad XVI saeculum. a) Rupertus Tuitensis in «civitatibus Israel» ponit «civitates sive ecclesias Christo dicatas qui est verus Israel»; facile est inde ad aliam exponendi formam abire, quae potior est visa posteris, scilicet ad «civitates christianorum qui sunt veri israelitae». —b) S. Albertus M., praeter duas alias interpretationes, tertiam affert quae in «Filii hominis adventu» ejusdem ad apostolos adventum in morte ut eos secum ad caelum ducat intelligere videtur.

2. A XVI saeculo ad nostra usque tempora.—Ipso etiam XVI saeculo vertente, ut videtur, utique saeculo XVII, cogitatio exorta est studiumque «Filii hominis adventus» per Hierosolymae eversionem explicandi; quae nova

(1) Eam exempli causa tenet *Maitre* in opusculo satis raro: *La ruine de Jérusalem et la fin du Monde d'après les prédictions de Jésus au mont des Oliviers... par l'Abbé J. Maitre*; Paris-Beaune, 1901, pp. 74-75, not. 1 quae incipit in p. 74.—Postea quam dixit Filion opinionem sibi probabiliorem videri quam Patris Knabenbauer, adjungit: «On pourrait beaucoup mieux encore rapporter ces mots: *donec veniat F. H.*, à la predicaction personelle de Jésus en Judée (cf. Luc. X, 1... *misit illos binos in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus*). C'est là, croyons-nous, le sens véritable de ce texte si discuté». Ibid., p. 75, not.

interpretandi ratio sensim pedetentimque ad nostra usque tempora multorum animos mentesque occupavit. At recentissimo tempore nova praeterea inter catholicos extiterunt aut ab iis suscepta, et diffusa sunt interpretandi genera, quae omnia eo contendunt ut «Filii hominis adventus» non aspectabilis intelligatur.

At tempus est jam ad ipsius loci interpretationem aggrediendi, ac nostri tandem judicii fideliter sincereque aperiendi.

PARS ALTERA

Primus ad interpretationem aditus et ingressio

Declaravimus supra: 1) Sanctos Patres, praeter S. Hilarium, ad versum 23 e capite X S. Matthaei explicandum, deductione illa populi Judaeorum ad fidem neutiquam esse usos; 2) Sanctos etiam Patres, omnes fere ad unum, in «Filii hominis adventu» aspectabilem ipsius Christi personae adventum reposuisse; 3) inter eos autem non plane convenire de certa quadam ac definita notione «civitatibus Israel» subjicienda; convenire solum, tacita saltem assensione, de excludenda notione illa qua efficiatur ut «civitates Israel» ac «civitates in quibus Israelitae habitant» unum atque idem esse dicantur.

Quod ad primum attinet, si «consummare civitates Israel» non significat ad fidem illas deducere, illa remanet huic inciso subjicienda sententia quae sola videtur eschatologistis plana atque expedita, scilicet civitates Israel numquam esse finiendas tamquam perfugii urbes quo vexatis praedicatoribus integrum sit confugere ut majori cum probabilitate fructus munus ibi expleant praedicationis.

Si ad alterum respicimus, restat ut quaera-

mus quisnam sit adventus iste aspectabilis, ipsius personae Christi proprius. Sanctorum Patrum auctoritate res dijudicari non potest, quippe qui modo hunc modo illum adventum, nostro explanando loco, demonstrare videantur. At si diligenter animos attendemus, perspiciemus profecto nostra jam aetate paene in nihilum interiisse interpretationes illas quae, etiamsi S. Matthaei loco aspectabilem Christi adventum agnoscere potius judicant, tamen adventum istum alium esse arbitrantur atque est gloriosus alter adventus. Quapropter in praesentia scriptores catholici re ipsa de his duobus eligendis fere ambigunt: nempe de altero Christi glorioso adventu et de alio adventu nec proprio neque aspectabili neque ad ipsam Christi personam singulariter pertinente. Eschatologistae vero pro sua parte eam explicationem solam planam et expeditam arbitrantur quae in «Filii hominis adventu» alterum Christi gloriosumque ponit adventum.

Denique si tertium attendimus, eschatologistae, hac re cum Sanctis Patribus multisque ad hodiernum diem catholicis scriptoribus in summa ipsa congruentes, exclusam manifesto penitusque putant a «civitatibus Israel» sententiam illam: «civitates in quibus habitant Israelitae». Longius progredientes, iidem interpretationis catholicae hostes eam quoque solam «civitatum Israel» planam et apertam notionem existimant quae «eas proprie urbes oppidaque commonstret ad quae discipulos tunc Christus mittebat», quae videlicet ingenti illa populi judaici calamitate, anno 70 incipiente et aliquot post annos ad exitum perducta, interiisse notum est. Sanctorum etiam Patrum pars fortasse major qui S. Matthaei locum interpretati sunt, atque ad hodiernum usque diem catholici scriptores

multi eamdem in «civitatibus Israel» includi affirmant exprimique sententiam.

Itaque tria saltem existere fundamenta, quibus S. Matthaei locus manifesto nitatur, propterea ab omnibus sine dubitatione agnoscenda, eschatologistae docent: p r i m u m «civitates Israel» easdem illas esse civitates, ad quas discipulos Christus mittebat; s ec u n d u m, in «Filii hominis adventu» alterum gloriosumque Christi adventum ad judicandos homines esse ponendum; t e r t i u m denique, Christum asseverare easdem has civitates, dum Evangelii praedicatores inimici Ecclesiae insectentur, non prius ab ipsis Evangelii praedicatoribus tamquam perfugia esse finiendas, quam Ipse gloriosus adveniat ad homines judicandos.

Tribus his jactis simul quasi fundamentis, eschatologicae sectae adstipulatores sine ulla prorsus dubitatione triumphare se putant. Quaelibet catholica interpretandi ratio—ut illi quidem affirmant—ex his tribus fundamentis modo istud modo illud, quo nitatur, vacillanti assumit animo; multiplici compositionum formarumque varietate pro singulis singillatim fundamentis firmiter atque constanter propugnat, tria simul tueri audet numquam; id esset, sic illi putant, in apertam perniciem incurrere mortemque certissimam.

Ergo, ut interim omittamus excluseritne semper catholica interpretandi ratio tria illa simul quae dicuntur fundamenta causae, nos quidem cogitato consilio ea simul suscipimus, omnino, plane, aperte. Prudens vero lector dijudicabit numquid hac nostra voluntate in interitum certum ruamus. De reliquo, id fixum stabilitumque, quod jam pridem notavimus, exoptamus ut maneat, nos non eo contendere ut ex his explicationibus quae inter catholicos proponuntur, ullam refellamus, multoque minus ut nostram audeamus tamquam certam, aut etiam probabiliorem exhibere. Satis nobis erit, si

explicatio *vere prudens atque probabilis* videbitur; hoc autem modo efficiemus ut nova iterum ratione plane constet quantum auctoritatis habeant quantamque fidem faciant chirographa et nuntii mortis quos tam facile ad nos mittunt sectae eschatologicae sapientissimi adstipulatores.

Prius tamen quam interpretationem aggredimur, quaedam de totius loci continuatione conjunctioneque declarari oportet.

I

Nonnulla ante ipsam interpretationem declaranda

Ea quae decimo S. Matthaei capite continetur oratio in qua Christus apostolos ad missiones erudit, in duas magnas partes dici potest distributa. Prior a versu 5 ad 15 usque pertinet; altera a 16 versu ducit initium (1). Illa eruditionem manifesto continet ad eam quae ilico erat apostolis suscipienda brevique tempore conficienda missio. At, incipiente 16 versu, prospectus latius patet; summa cohortationum consiliorum praeceptorumve, e quibus altera pars constat, ultra progreditur quam id quod prior apostolorum missio permittit. Sane futurarum rerum imago, versibus 16-23 depicta, eas exhibet acerbas apostolorum vexationes quae tum a priore missione tum a reliquis omnibus in vita Salvatoris abfuerunt: «Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos: et ad praesides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus» (vv. 17-18). Locus hic memoriam renovat eorum quae in oratione eschatologica, quo modo

(1) Sunt qui velint priorem partem versu 16 terminari, alteram vero a v. 17 ordiri. Discrepantia minima est ad propositum.

eam S. Marcus affert, Dominus protulit. Et re vera, versus 17-22 e X capite S. Matthaei atque versus 9-13 e XIII S. Marci, ubi sermo exstat eschatologicus, ita inter se congruunt ut ipsa fere omnia verbis verba respondeant. Hac de causa scriptores recentes opinantur non pauci locum illum de vexationibus, qui X S. Matthaei capite continetur, e propria sede demotum, in oratione eschatologica tamquam in proprio domicilio a S. Marco esse collocatum. Quaestio haec ad propositum vix minimi momenti instar habet; at rem controversam, de qua nonnihil notemus oportet, exstare magis et eminere facit.

I. Versus 23 e capite X S. Matthaei cum antecedente loco, scilicet cum versibus 16-22, quibus vexationes describuntur, conjungendus est.—Dixerit fortasse quispiam: Si vexationum descriptio, vv. 17-22, locus est apud S. Matthaeum de propria sede demotus, et cum praeceptorum consiliorumque summa, ad missiones spectantium, artificiose conjunctus, id efficitur ut versus 23, cui nullus par in S. Marco respondet, cum iis versibus, 5-16, quibus prima apostolorum missio continetur, nullo interjecto medio, cohaereat sitque eorum mera continuatio. Hac re totius quaestionis nodus expediri videtur; verba sequimur, et quamvis eorum vis accurate religioseque servetur, tamen «Filii hominis adventus» esse is nequaquam potest quem eschatologistae volunt, alter videlicet Christi atque gloriosus adventus. Quin immo —pergat idem dicere— quamvis vexationum descriptio e proprio loco non migraverit, potest fortasse esse quaedam abs re proposita digressio, data ex eo occasione quod Dominus praedicationis rejectionem commemoraverit tamquam id quod apostolis possit in hac prima missione contingere. Hujus rejectionis occasione, quae vix

vexationis instar habet, futura tempora Dominus praecepit, quando apostoli veris iisdemque gravissimis jactandi erant vexationibus. Digressione autem finita, redit Dominus ad propositum per versum 23, qui tamen, digressionis antecedentis causa, quasi pictus jam est aliquo descriptarum vexationum colore. Ita in summa ipsa totum intellexit locum S. Hieronymus atque sub majori quodam prospectu S. Joannes Chrysostomus, qui ad apostolorum in vita Christi missiones versum 23 asserit pertinere.

Tota haec interpretandi ratio, vendibilis profecto variis de causis atque speciosa, sensim —quod jam antea notavimus— obscurata est ac paene evanuit, adeo ut nostra memoria vix jam ullus existat qui pro ea propugnet (1). Quod ad nos attinet, probabilitatem non denegamus, nolumus tamen eam tueri. Certe gravis illa affirmatio «donec veniat Filius hominis» non satis congruere videtur cum mera Christi obviam apostolis itione post primam ad tempus missionem aut post aliquam ex missionibus ante Domini mortem. Vel ipsum S. Hieronymi silentium generatim tantummodo locum explicantis, ipsae quoque simplices vulgaresque sententiae, quas in interpretando usurpat S. Joannes Chrysostomus, indicio sunt aliam existere, quam Domini verbis subjiciamus

---

(1) Mirum est illius quemdam rumorem apud H. Monnier, scriptorem acatholicum, audiri (La notion de l'Apostolat..., cp. III, § I, p. 114, Parîs, 1903). Idem scriptor Professorem Harnack objurgat quod hanc interpretationem ante oculos suos non proposuerit tamquam quae fieri possit (lc., not. 2; vox *impossibilité* mendum esse debet, utpote repugnans iis quae supra ab eodem Monnier scripta sunt). Protestans quidem *Larfeld* in docta sua *Synopsi* seu *Concordia* (Tübingen, 1911, p. 62), quamvis totum de vexationibus locum e capite X S. Matthaei demoveat, et ad caput XXIV transferat, versumque 23 in capite X relinquat, illum tamen cum antecendentibus vv. 5-15 minime conjungit, sed ab eo ducit exordium ut una cum vv. 24-33 orationem efficiat quae latius prospicere videtur.—Cfr. etiam Resch: TU, Band 10 (I).

oportet, perspicuam maxime planamque sententiam. Constat praeterea ejusmodi interpretationem ab eschatologistis violentam putari neque ullo modo ferendam, quippe nihil aliud esse planum, nihil expeditum existimantibus praeter alterum Domini gloriosum adventum. Hanc autem judicandi rationem jam ante ipsos magni interpretes catholici tenuerant. Maldonati haec est aperta sententia: «...adventus filii hominis nusquam, quod sciam, alius quam supremus ille, quo ad judicium venturus est, appellari soleat» (1). Recentiore memoria ita decernit Knabenbauer: «...donec veniat Filius hominis: haec locutio ex synopticis non potest intelligi nisi de secundo Christi adventu» (2); eademque firmitate atque constantia paulo post asserit: «At dictio illa donec veniat Filius hominis est adeo constans de altero Christi adventu glorioso ut aliter accipi nequeat» (3).

In eamdem ingredi viam nobis deliberatum et constitutum est: itaque sic interpretationem moderabimur ut versu 23 alter Christi gloriosus contineatur adventus. Nihil igitur habent quod ex hac parte nobis opponant interpretationis eschatologicae adstipulatores.

At ex alia tamen parte modus, quo versus 23 connectitur, melius intelligitur si est in antecedentibus de vexationibus sermo, quippe quum versus 23 ad earum tempus admoneat. Jam vero, quum prima Duodecim missio versibus 5-15 describitur, de vexationibus proprie sermo non habetur; quod enim apostolis indicat Dominus evenire posse gravissimum, id demum est praedicationis repudiatio.

(1) *Joannis Maldonatis S. J. theol. comm. in 4 Ev.*, &.; lc., col. 254.
(2) Ed. *Merk*, p. 455.
(3) Lc., p. 456.

Profecto si versus 16 «Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum» cum antecedentibus, quod nonnulli volunt, propterea cum universis iis animadversionibus monitisque ad primam Duodecim missionem spectantibus jungitur, possit fortasse quispiam ex iis jam suspicari fieri posse ut violentia quadam homines insectentur apostolos. At, praeter quam quod sermo definitus non est sed communis, propterea ad varias significationes ita flexibilis ut graves significari vexationes, ad quas praeceptum consiliumve fugae detur, nihil admodum sit necesse. tamen totum id, quidquid est, rem hanc verissimam non tollit, a S. Matthaeo ita orationis partes ordinari ut versum 23, nullo interposito medio, acerbissimarum antecedat vexationum dolorumque descriptio; qua posita, Domini ad fugam cohortationes ac monita plane intelliguntur, neque explicatu opus est. Quapropter melius quam in quacumque alia diversarum partium serie et compositione, expedite, sine ullis salebris, versus 23 aut efficit aut efficere potest totum quoddam una cum versibus 17-22, in quibus verarum imago vexationum depingitur; atque id quidem, sive tota haec pictura ad orationem eschatologicam, capite XXIV S. Matthaei descriptam, est transferenda ut propositae a S. Marco orationi eschatologicae perfecte respondeat —quod in sua Synopsi seu Concordia praestat R. P. Lagrange—; sive in capite X retinenda est integra, —quod in sua quoque Concordia mavult R. P. Bover—; sive illud demum admittitur quod, posito vero quodam facto, Dominum videlicet Nostrum, occasionem nactum primae Duodecim missionis capite X descriptae, de veris in futurum tempus vexationibus loquutum esse, tamen S. Matthaeus ad hunc exprimendum Domini sermonem iis usus est dicendi formis quas Dominus Noster postea in oratione eschatologica

adhibuit —quod indicat Professor Meinertz (1). Quidquid est de hac opinandi varietate, sequemur profecto ordinandi modum planum, expeditum, tam legitimum quam quivis est alius, si versum 23 ita jungemus quasi totum quoddam efficiat una cum vexationum loco, quem ipse S. Matthaeus, nulla aliorum versuum intercapedine, antea collocavit (2).

II. Vexationum descriptio, vv. 17-22, Palaestina non circumscribitur, sed universum prospicit mundum.—Cogitationem hanc atque sententiam quae prima occurrere videtur, brevi comprehendit R. P. Dieckmann eo quo solet intelligenti prudentique judicio: «Instructio, quam Christus apostolis suis dat ante praeviam eorum missionem (Matth. 10,5 sqq.; cf. Marc. 6,8 sqq.; Luc 9,3 sqq.; cf. 10,4 sqq.), apud Matth. continet alteram partem, quae respicit missionem definitivam, futuram (Matth. 10,16 sqq.), quaeque iterum occurrit in sermone eschatologico (24,9 sqq.). In utroque loco missio haec describitur ut universalis. Persecutiones enim apostolos exspectant non solum ex parte Judaeorum (synedrii et synagogae), sed etiam a legatis romanis (ἡγεμόνες) et regibus gentium (βασιλεῖς) et quidem in testimonium illis (Judaeis) et gentibus (10,18)» (3).

---

(1) *Jesus und die Heidenmiss.*, § 6, *Missionsgedandken Jesu*, p. 122, ed. 2, Münster i. W., 1925.

(2) R. P. Durand aliam addit notationem: «A ne tenir compte que du cadre des événements auxquels il est fait ici allusion, le Discours peut se diviser en trois parties: ...5-15, ...16-23, ...24-42. Chacune de ces trois séries se termine par la formule familière à Jésus: *En vérité, je vous le dis (Ev. selon S. Matthieu,* apud Verbum salutis, cp. X, pp. 160-161, Paris, 1924).—Noster igitur versus 23 alterius partis clausula esset, loci videlicet in quo vexationes describuntur.

(3) *De Eccl., Tract. I, De Regno Dei,* cp. II, q. 5.ª, pars II, n. 218, Frigurgi, 1925, p. 170.

Postremum hunc locum idem auctor illustrat, ex apostolorum Actibus adductis illis verbis: «...et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae» (I,8); nam re vera Salvatoris haec verba quasi distincta quaedam expositio videntur duplicis illius vocabuli: «...illis (Judaeis) et gentibus».

Primam hanc cogitationem atque sententiam diligens consideratio firmat. 1) Primum quidem vocabulis illis ἡγεμόνας καὶ βασιλεῖς significantur magistratus seu tribunalia gentium. —Id orationis series indicat: «Tradent enim vos in conciliis (=in synedria, εἰς συνέδρια) et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad praesides et ad reges (καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς) ducemini &». Primis duobus membris tribunalia judaeorum communiter exprimuntur; quapropter subsequenti membro, quod, vi orationis progrediente, antecedentium significationem provehit, alia tribunalia indicantur, gentium videlicet tribunalia et magistratus. Praeterea vox ἡγεμών ita in Novo Testamento ad significandum magistratum seu munus exhibetur ut magistratu gentium exprimendo constanter circumscribatur. Locus unus, in quo id non servatur (S. Matth. II, 6), contra legem valere non potest; isto enim loco nec de munere nec de magistratu nec de persona ulla sermo habetur.

2) Verum tribunalia ista magistratusque gentium non sunt gubernatores tantum regesve intra Palaestinam.—Indicio jam esse potest ipse modus loquendi neque distinctus neque definitus quo simpliciter nullaque circumscriptione pronuntiatur: καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε, etc. Tamen ut de hac re certiores esse possimus, locum S. Marci, XIII, 9-13, qui perfec-

te S. Matthaeo respondet, imprimis perpendamus: Locus S. Marci, XIII, 9-13, atque locus S. Matthaei, X, 17-22, ita similes sunt inter se ac propemodum pares ut verba verbis perfecte fere absoluteque respondeant, excepto inciso uno in quo id non adeo apparet expressum. Post verba «...in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me, in testimonium illis» (XIII, 9), adjungit S. Marcus: «Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium» (XIII, 10). Postrema haec sententia perspicue ostendit u n i v e r s u m hoc loco p r o s p i c i m u n d u m. Probe animadvertatur; de prospectu non loquimur eschatologico, sed de interminato atque ad omnes mundi partes, aut ad alias saltem praeter solam Palaestinam, pertinente; scilicet Dominus hoc loco non in solam Palaestinam sed in alias gentes nationesque extra illam, seu potius in omnes nationes intuetur: εἰς πάντα τὰ ἔθνη. Apostolis in gubernatorum regumque conspectu testimonium est dandum; imprimis vero Evangelium cunctis est gentibus praedicandum. Sive vox πρῶτον rationem habet antecedentis et connexi cum rerum omnium fine et absolutione —vel absoluta omniumque postrema vel certis quibusdam factis, ut Hierosolymae eversione, circumscripta—, scilicet cum τῷ τέλει, quo de loquitur S. Marcus in versu 7; sive eadem vox simpliciter, nulla facta collatione, assumitur quasi idem valeat atque i m p r i m i s, p r i n c i p i o, p r i m u m (1), sermonis vis ad

(1) Est qui πρῶτον ad vexationes referat de quibus est sermo in v. 9, quasi Evangelii praedicationem vexationes istae consequantur (cfr. *La ruine de Jérusalem et la fin du monde d'après les prédictions de Jésus au mont des Oliviers*, par l'Abbé J. Maitre, Paris-Beaune, 1901, p. 46, not. 1).—Profecto nihil id nostra refert. Tamen bene notat P. Beda Rigaux: «Le πρῶτον ne signifie pas que cette prédication doive précéder les persécutions; les deux sont synchroniques &..: *L'Antéchrist...*, 2 part., chap. I, p. 229.

significandum praedicationem in omnes partes esse spargendam manifesta prorsus est: «Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium». Hac etiam ratione vis antecedentium verborum: ante praesides et reges, illustrata patet. Itaque isti non tantum sunt magistratus seu tribunalia gentium intra Palaestinae terminos collocata, sed magistratus ac tribunalia gentium in omnibus sita nationibus ad quas deferre debent apostoli Evangelii praedicationem.

Aggrediamur nunc ad S. Matthaei locum qui S. Marci loco respondet. Ibi S. Matthaeus sermonem contrahit atque haec solum dicit: «...in synagogis suis flagellabunt vos: et ad praesides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus» καὶ τοῖς ἔθνεσιν (vv. 17-18). Non omnibus patet quae sit in postremo membro distinctio inter verbum illis et verbum gentibus; potest enim fieri ut vox illis judaeos appellet; potest quoque fieri ut proxime antecedentia significet: praesides videlicet et reges; quod potius indicare videtur locus qui apud S. Marcum respondet. Quidquid est de quaestione hac parva, in omni summa locus S. Matthaei vim quoque habet ad omnes mundi partes, non ad solam Palaestinam, pertinentem. Profecto membrum illud, in quo verba verbis apud Sanctos Matthaeum et Marcum non plene perfecteque respondent, conclusum omnino est in magnam quamdam orationis seriem utriusque Evangelistae communem, quae velut totum efficit compactum et coagmentatum. Totius loci continuatio seriesque membrorum eadem est; eadem antecedentia eademque consequentia. Praeterea contracto S. Matthaei sermoni ea potest omnino subjecta esse sententia quae ad universum mundum pertineat; haec una fortasse sit plana et aperta sententia, aut certe omnium saltem planissima et apertissima. Ergo si

S. Marci oratio universum prospicit mundum, S. Matthaei oratio universum quoque mundum prospiciat necesse est.

Perspexit Harnack quae S. Matthaei affirmationi: «in testimonium illis e t g e n t i b u s» subjicienda sit vis; sensit profecto ex his verbis quasi prospectum colligi interminatum atque ad universos pertinentem; quare omnes has cogitationes, quae in alias extra Palaestinam nationes spectent, a synopticis abesse desiderans, explicationis quiddam anquirere coactus est. Explicatio, hac in re, quemadmodum saepe alias, ad earum genus pertinet quas singulari ratione et amore cum initiatis communicat ea quae vulgo appellatur «critica superior seu sublimis»: deorum regio serena quo mortalibus pervenire non licet. Haec igitur scribit perdoctus criticus, divino quodam ductus afflatu: «der bei Matthäus (nicht bei Marcus —¡apud S. Marcum membrum, quod S. Matthaeo respondet, majorem habet perspicuitatem! —) zu den Worten εἰς μαρτύριον αὐτοῖς sich findende Zusats «καὶ τοῖς ἔθνεσιν» kann schwerlich anders verstanden werden denn als eine Hinzufügung im Sinne von Matth. 28, 19 f.» (1). ¡Quid hujus modi verba significent, profecto capimus! Interdum s u b l i m i s h a e c c r i t i c a pervia mortalibus etiam redditur, atque ut ipsis mysteriorum quiddam aperiatur, permittere audet.

Hic quasi immensus interminatusque prospectus

(1) *Die Mission und Ausbreitung des Christentums,* I, 1. 1.°, cp., 4, p. 43, not. 2, ed. 4, Leipzig, 1924.—Jure notari potest similem ab ipso Harnack explicationem dari perspicui illius loci, S. Marc. XIII, 10, quem supra commemoravimus Nimirum hoc datur responsi: «Diese Stelle legt ein geschichtliches *Theologumenon* in den Mund Jesu, welches schwerlich von ihm stammt» (lc., p. 44). Verba Doctoris Harnack afferri nullo adjuncto commentario, satis esse arbitramur. Vel hoc solo perspexerit lector totum hoc explicationum genus, quod «sublimis critica» non modo non recusat, verum etiam adhibet libenter.

singulare quiddam apud S. Matthaeum explicare potest. Scilicet tum ipse S. Matthaeus tum S. Marcus longiore eo, quem commemoravimus, loco, utriusque communi, scribunt: «...et eritis odio omnibus propter nomen meum» (Matth. X, 22; Marc. XIII, 13). Ita quidem scribit S. Matthaeus capite X, ubi longa de missionibus tradita apostolis eruditio continetur. At quum in oratione eschatologica institutionem ad missiones capite X descriptam in summa capita redigit, vel potius quaedam ex ea tantummodo iterat, tunc verba illa, supra commemorata, singulari quadam notabilique ratione ita rursus adducit ut pro membro sua natura obscuriore «eritis odio omnibus» definite distincteque adhibeat «eritis odio omnibus gentibus» seu nationibus: ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν. Si memoria tenetur quod antea dictum est, explicatio planissima videtur. Eo nempe loco, utriusque communi, S. Matthaeus et S. Marcus, ante quam ad haec verba «eritis odio omnibus» pervenerant, de praedicatione jam dixerant seu de testimonio quod gentibus laturi erant apostoli. Quapropter hujus declarationis luce penitus illustrabatur definitumque manebat quaenam esset illis verbis subjicienda sententia, propterea eumdem in his verbis inesse prospectum qui in toto inerat loco, scilicet interminatum et ad universas mundi regiones pertinentem. Contra, quum in oratione eschatologica sententiam hanc «eritis odio omnibus» S. Matthaeus exprimere aggreditur, nondum de testimonio seu de praedicatione ad gentes habenda loquutus est. Notavit utique «audituros esse apostolos proelia et opiniones proeliorum... consurrecturam gentem in gentem, et regnum in regnum» (vv. 6, 7); at hoc solo definiri satis non videtur locus de ipsa apostolorum praedicatione in nationes dispergenda; ex ipsa enim Palaestina, atque in sola Judaeorum institutione occupati, po-

terant etiam apostoli bella concitationesque nationum contra nationes audire. Quia tamen reapse totius loci vis atque prospectus interminatus esse debebat, idcirco S. Matthaeus, ante quam ex hoc loco egreditur novaque inducit quae ipsius sunt propria (v. 10 sqq.), membrum illud non satis explicatum «eritis odio omnibus», hoc modo enucleat atque explicat: «et eritis odio omnibus g e n t i b u s»: ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν; quae est oratio sua vi suaque sponte manifesta, habetque eamdem vim, vel potius, ad sententiam quod attinet, in contracta illa oratione «eritis odio omnibus» sine dubitatione continetur, modo distincte definiteque in contextu ad omnes nationes pertinente contracta haec constituatur oratio.

Sanctus quidem Lucas eo loco, qui Sanctorum Matthaei et Marci communi loco respondet (XXI, 12-19), scribit etiam «eritis odio omnibus» (v. 17), quamvis de praedicatione ad gentes habenda non tam definite loquutus fuerit quam S. Matthaeus Sanctusque Marcus. At idem S. Lucas usus jam erat illis saltem verbis: «Sed ante haec omnia injicient vobis manus suas, et persequentur tradentes in synagogas et custodias, trahentes a d r e g e s e t p r a e s i d e s propter nomen meum &» (1), quae verba, si maxime perspicua vi et notione adhibeantur, latius patentem, quemadmodum initio diximus, prospectum ostendere videntur quam ut intra angustos possit Palaestinae terminos contineri.

Ut ea quae dicimus, alicujus Sancti Patris auctoritate firmemus, unum nominemus qui interpretandi scientia praestantissimus est, S. Joannem Chrysostomum. Sanctus hic Pater, quamvis celebrem 23 versiculum «non consummabitis civitates

(1) XXI, 12.

Israel» Palaestina circumscribat, tamen quasi nullo conatu nulloque studio vim antecedentis loci, vv. 16-22, ad universos pertinere confitetur; praesertim vero de v. 18 haec scribit: «Nam non Palaestinam modo, nec mala, quae ibi passuri erant, praenuntiavit, sed bella per orbem futura praedixit: Ad reges, inquit, et praesides ducemini; ostendens illos ad gentes etiam deinde praecones esse mittendos» (1). Planum denique est eaque de causa supervacaneum fuerit notare totum locum intra immensum interminatumque prospectum ab iis potissimum Sanctis Patribus intelligi qui ne ipsum quidem versum 23 angustis Palaestinae terminis circumscriptum esse patiuntur.

II

Versus 23 e capite X S. Matthaei interpretatio

Perfecto et concluso versum 23 cum antecedenti loco ad vexationes spectante, vv. 17-22, ita esse arcte connexum ut quasi totum quoddam efficiat; perfecto etiam et concluso eam in toto hoc loco inesse vim eumque ambitum qui angustis Palaestinae terminis nullo modo possit circumscribi, ad ipsam interpretationem aggrediamur necesse est. Verum sensim pedetentimque progrediemur.

I. Primus ad interpretationem aditus

Primum quidem, si arcanum illud verbum Israel parumper cogitatione deleremus, versiculi 23, ad summam ipsam quod attinet, plana esset et aperta sententia: «Cum autem persequentur vos

(1) Hom XXXIII (aut XXXIV), n. 3; MG 57, 391. — In latino apud Migne omittuntur quaedam verba, velut illud: *praecones*, κήρυκας.

in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates..., donec veniat Filius hominis». Nam re vera, post vexationes concitationesque descriptas quae, dum ministerio funguntur, apostolis erunt perpetiendae, versus 23 admonitio esset prudens, ac simul cohortationis, incitamenti, partim etiam consolationis quiddam, implicite saltem, contineret, quatenus fugam ostenderet tamquam id quo majori posset probabilitate insequentium furor declinari. Proinde quasi Dominus apostolis diceret: «Quum persequentur vos in civitate aliqua, animo ne deficiatis, neque existimetis vos ad permanendum teneri; quin immo, si fieri poterit, in aliam urbem fugite. Profecto, quamvis ita faciatis, non deficient vos civitates... ad quas confugere et in quibus vestri ministerii munus majori cum fructu explere possitis donec venerit Filius hominis».

Omnia ista plane, expedite dici videntur. Adjungamus nunc definitum verbum «civitates Israel»: Quid? Numne jam totum perierit quod in oratione purum liquidumque erat? In summa ipsa id ita esse minime putamus, modo recta notio propriaque vis totius sententiae clare constanterque teneatur. Id ut perspicue apparere possit, imprimis interpretationem ipsam simpliciter proponamus; deinde connitemur ut eam probemus plausibilemque faciamus.

II. Interpretatio ipsa

1. Interpretationis expositio

a) Imprimis constituenda videtur i n t e r p r e t a t i o n i s v i s a t q u e s e n t e n t i a. —Quid ipsa in se valeat interpretatio, omissa interim ejus veritate, poterit, nisi fallimur, hac declaratione comprehendi: «Quum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam; etenim vere

affirmo vobis, non explebitis civitates ad quas confugere possitis, NE IPSAS QUIDEM CIVITATES ISRAEL, donec venerit Filius hominis». Videlicet, «quum in aliqua civitate persecuti vos fuerint, nolite hac de causa animum demittere, nolite putare fore ut aliae vos deficiant civitates ad quas confugere possitis, dum praedicationis munere fungamini; quippe quum NE IN ISRAEL QUIDEM defecturae sint vos tales civitates tamquam perfugii loca, quamdiu ibi praedicaveritis, in vestroque ministerio fueritis occupati.» In hac interpretatione, plana sane et aperta, definitum illud membrum «civitates Israel» potest esse merum exemplum, singulare documentum quod variis quibusdam propriisque de causis explicate statuitur, quo etiam generalis affirmatio majorem vim habet emineque distinctius.

Quaenam vero propriae istae causae esse potuerunt? Profecto illae, si vera est interpretatio, retrusae atque abditae non videntur, sed manifestae potius atque perspicuae. Et re vera, antecedentibus proxime verbis de asperis vexationibus, quae inter judaeos apostolis erant perpetiendae, dixerat definite Dominus; Israel vero civitates, praeter quam quod civitates erant propriae nationis, immo vero civitates in quibus tunc versabantur apostoli, praeterea futurae etiam erant primum stadium curriculumque proximae post Salvatoris mortem praedicationis. Quapropter posito futuras inter praedicationem vexationes a Domino proprie definiteque esse praedictas, consentaneum utique erat apostolorum mentem cogitationesque ad civitates Israel imprimis convolare, circumque eas praecipue illorum curas sollicitudinesque torqueri atque verti. Vicissim hac eadem de causa recte intelligitur civitates Israel a Domino distincte definiteque monstrari; tamquam proprium exemplum adhiberi; iis nominatim appellandis Dominum affir-

mare, si apostolos insectarentur, civitates in Israel, ad quas confugerent, numquam esse defuturas. Quod si verum est, profecto liquet rem a Domino affirmatam in reliquas civitates eodem aut etiam firmiore jure convenire. Quamobrem vis atque sententia loci ea demum esset quam supra expressimus: «...non explebitis civitates, ad quas confugere possitis, NE CIVITATES QUIDEM ISRAEL, donec venerit Filius hominis.»

Unum deest quod ad interpretationem intelligendam notemus. Scilicet necessarium non est futurarum vexationum descriptionem, vv 17-22, imprimis versum 23, apostolis circumcludi. P o t e s t jure optimo tum apostolos tum eorum etiam successores significare eodem prorsus pacto quo similes Scripturarum loci apostolos eorumque successores significant, velut ille quo S. Matthaei clauditur Evangelium: «...Euntes ergo docete omnes gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi». Quemadmodum igitur hoc loco Dominus, in posterum prospiciens ad postrema usque tempora, apostolos quidem alloquitur, at simul in eis omnes etiam successores quibuscum apostoli unam quasi personam efficiunt, sic nostra in re potuit Dominus apostolos omnesque successores appellare, cunctosque tunc simul ad universum futurarum missionum genus accommodate monere.

b) V e r i t a s q u a e i n e s s e p o t e s t, e t v e r i t a s q u a e r e a p s e i n e s t, antecedenti interpretatione posita, in ea Domini affirmatione versu 23 expressa.

«Quum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non explebitis civitates ad quas confugere possitis, n e i p s a s q u i d e m c i v i t a t e s I s r a e l, donec venerit Filius hominis». Primum quidem, si civitatibus Israel exceptis alias respicimus, Salvatoris verba liquent;

scilicet Evangelii praedicatoribus civitates deerunt numquam ad quas vexationum tempore confugiant et in quibus possint majori cum fructu praedicandi munus explere.

Jam ad ipsas Israel civitates accedamus licet. De quibus si loquimur, Salvatoris affirmatio in se ipsa, vel, ut verbo scholae proprio utamur, in sua *significatione formali* considerata, multis poterat modis ad rem veritatemque traduci. Poterat scilicet aut Jesu celeri adventu; aut celeri occasu interituque civitatum Israel; aut aliis factis quae non necesse habemus enumerare; aut ideo demum quod reapse, quotiescumque apostoli eorumque successores in Israel mansuri essent in praedicationis munere occupati, numquam futurum esset ut, si eos insectarentur, civitates deficerent ad quas confugere possent. De modo ipso quo *re ac veritate* affirmatio sua evenire deberet, Dominus nihil indicavit; rerum futurarum cursum variasque vicissitudines, quae civitatibus Israel essent subeundae, voluit in incerto et ambiguitate relinquere; satis erat ad propositum sibi finem, si apostoli pro certo habebant, quotiescumque sive ipsi sive successores in Israel essent praedicaturi, civitates ibidem futuras ad quas integrum esset vexationum tempore confugere. Perpetuone civitates erant istae futurae? Finem erant aliquo fortasse tempore habiturae? Futurum erat ut delerentur vicissimque restituerentur, sive ex toto sive ex parte, quemadmodum quondam accidit, quum in exilium pulsus est Israel? Poterant singula esse vera; Dominus tamen nihil eorum proprie definiteque asserebat.

At *veritas resque ipsa* necessario definitum quiddam est ac determinatum. Itaque, quod ad civitates Israel attinet, reapse ad perfectam usque populi Israel dissipationem, scilicet usque ad annum fere 135, Domini praedictio tum in

apostolis tum in successoribus manifesto veritatem obtinuit. Quod si extremo tempore, quae res multis videtur esse praedicta, Israel cogetur atque in civitatibus habitabit quae erunt etiam verissime «civitates Israel» —prorsus eodem jure quo illae quondam eversae «civitates Israel» fuerunt, propterea quodam modo quasi eaedem illae, quae ante populi judaici dissipationem extiterunt, ad vitam rursus vocatae—, Domini praedictio illo etiam futuro et arcano nimis tempore, cujus neque initium neque longitudinem novimus, veritatem obtinebit. Denique veritatem semper obtinuit Domini praedictio, semper obtinet, semper obtinebit, quatenus id quod Dominus affirmate promisit fore ut numquam suos praedicatores perfugii civitates deficiant quocumque tempore contingat ut sive extra terminos sive intra terminos Israel officii sui munere fungantur, integrum semper verissimumque permanebit. Quamdiu igitur consistet haec veritas, quidquid civitatibus Israel accidet, sive existent sive aliquando non existent, Salvatoris verba plenam perfectamque veritatem obtinebunt Quin immo, si eorum vis sive, ut ajunt, significatio formalis bene notatur, manifesta prorsus videntur; manifesta enim esse potest alicujus facti affirmatio quod neque sit ipsum in se definitum et multis possit modis ad rem veritatemque traduci.

Quaesierit fortasse quispiam quî possit haec Domini promissio intelligi, fore scilicet ut Evangelii praedicatoribus numquam desint perfugii civitates, quum tamen tot praedicatoribus nulla saepe fuerit aufugiendi facultas, quin potius ipsa praedicatio fuerit illis obsignanda martyrio.

Huic animadversioni respondere debent interpretes omnes qui neque de Israel ad fidem deducendo verba illa «...non consummabitis civitates Israel» interpretantur, neque Filii hominis adven-

tum antecedens tempus angusto spatio circumscribunt, velut prima ad tempus missione aut generatim missionibus ante Domini mortem. Etenim satis est ad 70 usque annum, quum Hierosolyma est eversa, istud provehi tempus, ut jam verum sit lapidibus eo tempore S. Stephanum esse percussum, S. Jacobum Majorem, S. Jacobum Minorem, alios quoque apostolos esse affectos morte violenta.

Responsio tamen prudenti cuique viro plana videbitur. Nempe Domini verba non meram continent consolationem, multo minus securitatis promissum quae pro singulis Evangelii praedicatoribus certissima sit. His verbis Christus, quod paulo antea significavimus, praedicatores prudenter admonet ac simul stimulat, excitat, hortatur ad fugam, vel saltem illam permittit, certioresque praeterea facit fore ut numquam civitates desint ad quas confugere possint, ubi etiam majori cum utilitate praedicationis munere fungantur. Id tamen minime idem est atque asseverare certum singulis praedicatoribus evadendi modum fugam esse necessario futuram. In fugam utique se dare conentur tum ut e furore insequentium evadant, tum ut in aliis civitatibus minus impediri possint ne praedicationis munere fungantur; fugiant quotiescumque poterunt atque fugam expedire judicabunt; novae civitates, tamquam perfugii loca, propterea novae praedicationis sedes profecto non deerunt. His tamen omnibus ut e vexationibus aut ex ipsa morte evadant, non semper assequentur (1).

2. Interpretationis defensio

Constat ex iis, quae antea diximus, si exposita interpretatio vera esset, fore ut versus 23, sic explicatus, cum proxime antecedenti loco, ubi de

(1) Cfr. *Est. Ecl.*, t. 13, p. 413; ubi quaedam alia adduntur.

vexationibus est sermo, penitus cohaereret. Itaque, ut hanc interpretationem tueamur, ordiamur exponere quid de inculcato illo verbo **n e q u i d e m**: «...non consummabitis n e civitates q u i d e m Israel», judicandum esse videatur. Nostro quidem judicio, vocabulum istud l e g i t i m e intelligi atque l e g i t i m e etiam adhiberi potest.

1.° Imprimis, ad leges grammaticae atque sermonis, l e g i t i m e intelligi atque adhiberi potest. Vel in ipsis linguis quae locupletiores sunt multaque habent instrumenta verborum ad varios cogitationum modos exprimendos, saepe omittuntur ista orationis adjumenta: articuli conjunctionesque sermonis. Ipsa totius orationis series atque contextus crebro definit vel potest definire sententiam; quod si quid pronuntiatur, tunc multa quae scribi nequeunt, velut vocis mutationes atque flexiones, cogitationem certo patefaciunt. Exempla quaedam seligamus, quorum quidem tanta varietas, tanta etiam est copia ut ipsa electio difficilior esse videatur. En unum vel duo. Sint viatores quidam de via languentes ac fessi, fontem aliquem ad explendam sitim invenire cupientes; est in iis junior qui celerius ingredi debet ut una cum aliis iter conficere possit. Ecce praetereuntem incolam de proxima aqua interrogant; intuens autem hic in juniorem, respondet: «Pergite porro; mille passus juvenis hic non ambulabit, et habebitis jam profluentem aquam, eamque gelidam atque uberem.» Planus hic vulgarisque sermo implicitum quiddam reapse habet quod jure optimo p o t e s t hac similive ratione explicari: «...n e mille q u i d e m passus juvenis hic ambulabit, et habebitis jam aquam.» Aliud exemplum proferamus in quo, simili prorsus modo atque in ipso versu 23, explicatrix vocula adhibeatur. Urbem ponamus aestuoso loco, ubi fontes non sunt, esse aedificatam, praeterea longa etiam obsidione afflictam atque

prostratam. Aquae pluviae vel etiam aquae ex puteis, quibus sine delectu et ordine cives communiter reficiuntur, sensim deficere coeperunt; suppetunt interea receptacula nonnulla, quorum est unum et alterum angustius, faciliusque potest exhauriri. Quae quum ita se habent, ecce unus aliquis advenit et bonos nuntios perfert: «Nihil est, inquit, cur animo angamur, timeamusque ne aqua deficiat. Receptacula duo minora non exhaurientur ante quam obsidio finem habebit.» Sermonis vis manifesto haec est: «...ne duo quidem receptacula minora exhaurientur, ante quam obsidio finem habebit.» Perspicere potest lector in his, quae allata sunt, magnam exemplorum copiam, magnam etiam varietatem suppetere.

Quod si ita res se habet, etiamsi de copiosiore lingua est sermo, multo majori ratione id accidet, quum inops est lingua, velut hebraea et aramaea. Idcirco autem id proprie notamus, quia perbrevis versus 23 cum ob ejus novitatem, tum ob priscam vetustatem quae etiam ipso «Filii hominis» vocabulo sentitur, tum denique, quemadmodum multi putant, ob ejus, primo saltem aspectu, obscuritatem, nihil aliud videtur nisi sermo et in re et in modo ab ipso Jesu ore perceptus.

Jam vero in lingua hebraea et aramaea, quippe quae verborum modorumque loquendi inopes existant, crebrius verba illa desint necesse est quae sua vi suaque natura varios sententiae modos rationesque definiunt. Quaerentibus hac super re ita rescripsit nobis eximius Scripturarum interpres hebraeaeque linguae bene peritus, R. P. Andreas Fernández, Professor quondam Instituti Biblici Pontificii: «El matiz expresado por ne quidem (=ni siquiera las ciudades de Israel, &) puede ciertamente estar incluído en la frase escueta. Son muchos los matices que se hallan realmente en la frase hebrea —y aramea—,

pero no expresados, e. d. sin que haya voz o voces particulares que les correspondan: las indica el contexto: basta recordar las varias significaciones temporales del imperfecto.» Ex aliquo saltem Scripturae libro promamus exemplum. Quum in libro Job crocodilus mirabili pictura describitur, de ejus squamis, quae scutorum instar corpus contegunt, haec dicuntur: «Altera cum altera jungitur, et aer non ibit seu non penetrabit per eas» (41,8). Patet hanc esse sine ulla dubitatione sententiam: «...et n e aer q u i d e m per eas penetrat», sive «et v e l ipse aer per eas minime penetrat». Exemplum est hoc singulari ratione notabile, quia sua perspicuitate percellit, quum materies ipsa ad definiendam sententiam valeat. Quare ipsa Vulgata sic vertit: «...et n e spiraculum q u i d e m incedit per eas» (41, 7).

2.° Sed est aliud praeterea in ipsa sententia quod notari oportet. In vexationum descriptione versibus 17-22, quibuscum versus 23 jungitur, comprehensa vim inesse diximus disputationis initio prospectumque non Palaestinae terminis circumscriptum sed ad omnes nationes pertinentem. Atqui, quum, proposito argumento quod universe valet in omnes nationes; quum intra prospectum longe lateque patentem e quo aliae regiones aliaeque gentes ultra angustos Palaestinae terminos demonstrantur; quum, postea quam de acerbissimis vexationibus quae apud Judaeos ceterasque nationes apostolis erunt perpetiendae, ac de praedicatione quam ad populum Judaeorum populosque gentium iidem apostoli habere debebunt, sermonem instituit Salvator, continuo idem Dominus Noster adjicit, nulla explicatione interjecta, apostolis, si eos insectentur, ab altera in alteram civitatem esse fugiendum, quippe qui eas non sint umquam fugiendo expleturi: sententiae vis nulla potest alia esse nisi ea quam saepenumero osten-

dimus, nempe «...n e ipsas q u i d e m civitates Israel esse finiendas &». Secus, ab immenso interminatoque prospectu ad singularem atque circumscriptum transitus haberetur, omni media explicatione omissa, proinde transitus praeposterus, ad perturbandum accommodatus, ratione destitutus, sane ineptus.

Libet hoc loco illud etiam addere satis nobis esse rem ad vivum resecantibus, si in vexationum descriptione vis inesse p o t e s t atque sententia non Palaestinae terminis circumclusa, sed quae ad omnes regiones nationesque pertineat. Etenim, si ejus modi vis inesse p o t e s t, et si, illa posita, Salvatoris verba nullis obstructa difficultatibus fluunt, quin immo perspicua videntur, nemo interpretationem esse legitimam jure negaverit

3.° Modo diximus, interpretatione hac posita quam explanavimus, Salvatoris verba videri perspicua: «...non explebitis perfugii civitates, n e civitates q u i d e m Israel, donec venerit Filius hominis». Expedita haec, sine ullis salebris fluens oratio interpretationem sua vi suaque sponte commendat.

Praeterea duo apud antiquos usurpata interpretationum genera exposito hoc explicationis modo ad concordiam adduci videntur: videlicet tum ea interpretandi forma quae universe patentem vim atque sententiam Domini verbis attribuit, tum ea quae singulare quoddam in iisdem verbis, spatio et tempore omnino definitum, apostolis fere circumscriptum, tantummodo agnoscit. Profecto quidam auctores antiqui, quod in priore disputationis parte vidimus, quamvis «civitatum Israel» definita verba obstare videantur, vim agnoscere volunt in Domini verbis quae ad universa prorsus tempora populosque pertineat: exemplo sit S. Augustinus. Alii contra, verbis illis «civitatum Israel» adeo propriis ac definitis jure perculsi, omnino

proprie interpretanda esse ducunt, nempe de civitatibus Israel seu Palaestinae: velut S. Joannes Chrysostomus et S. Hieronymus. Atqui expositus interpretandi modus duas explicandi formas facile expediteque conjungit: nam et assumit «civitates Israel» notione maxime propria maximeque, ut videtur, perspicua, et ex altera parte toti loco vim servat ad universos pertinentem, quae et multis necessaria et ab ipsa serie contextuque sermonis requiri videtur.

Quod ad summam rerum attinet, nihil dictum est novi. Nobilis interpres Cornelius a Lapide, etsi S. Hilarii interpretationem sequitur, modum tamen explicandi inducit, quamvis allata ratione nulla, qui cum hoc a nobis exposito reapse satis congruit. Ait enim: «...Cum vos persequentur, fugite de una civitate in aliam, quia semper vobis fugae erit locus, ubi operam vestram utiliter collocare possitis, apud Judaeos et multo magis apud Gentes; non enim deerunt Judaei nec Gentes convertendi et in fide instruendi usque ad finem mundi et diem judicii» (1). Animadvertatur oportet in S. Hilarii interpretatione fieri posse ut, quamvis ad judaeos in fidem deducendos sententia tota referatur, libere nihilominus ac sine ullis salebris feratur. Tamen P. a Lapide Salvatoris verba ita explicare mavult ut latissime pateant, atque ad judaeos nationesque pertineant (2).

(1) Ed. *Crampon*, Paris, 1874, pp. 270b- 271a.

(2) Curiositatis nonnihil concedentibus liceat nobis e saeculo XVII auctorem protestantem eruere satis ignotum, Erasmum Schmid, qui similem explicationem proponit. Magno quodam volumine, terribili simul atque magnifico, in quo universum N. T. interpretatur, haec scribit Schmid de verbis illis Domini: *Non consummabitis civitates Israel donec veniat Filius hominis* «Occurrit objectioni. Posset enim aliquis objicere: Quid si ex una, ex altera, ex tertia civitate, et ita consequenter ejicerer; ubi tandem mihi manendum esset? Respondet Salvator: Non ad finem usque fugiendo obieritis omnes civitates Israelis, i. e. Judaeae, *nedum, in quem postea*

Displicet sane monumentorum satis in Traditione non invenisse ad integram explicationem constituendam atque formandam, quae, Patrum auctoritate nixa, prodire possit in publicum. Ceterum majoribus nostris evolvendis, Patribus praesertim, hoc, qualecumque est, interpretationis meditati sumus atque confecimus. Recentiorum rumores opinionesque varias utique collegimus; at id minoris esse momenti judicavimus quam sacras Patrum audire voces et eorum diligentissime considerare sententias. Quum verba ipsa perfectamque sententiam penitus reddere nobis integrum non fuerit, mente quidem animoque Patrum penitus imbui conati certe sumus.

III

Composita quaedam interpretandi forma diligentius expenditur

Post explanatam interpretationem utile ducimus aliquid animadversionis adjungere. Toto explicationis cursu de S. Hilarii interpretatione identidem mentionem fecimus, atque id gratiae semper honorisque significatione praestitimus. Jam vero in postrema interpretationis parte P. Cornelii a Lapide locum adduximus, in quo nobilis hic pervulgatusque interpres S. Hilarii interpretationem cum quibusdam formis modisque quos in aliis desiderabamus, conjungere videtur; quare non deerit fortasse qui ad tanti hujus interpretis exemplum explicationem suam componere et conformare conetur. Denique, ea demum de causa videmur nos antecedentem interpretationem ele-

---

ablegabimini, universi orbis, ante adventum meum.» *Erasm Schmid Opus Sacrum posthumum in quo continentur versio N. T nova ad graecam veritatem emendata, et notae ac animadversione in idem,...,* &.; Norimbergae 1658, p. 179.

gisse ut tria, quae eschatologistae tamquam manifesta necessario ponenda decernunt, ipsis, quamvis evidentia forte non sint, concederemus; quo fit ut interpretatio a nobis proposita nihil aliud nisi mera «ad hominem» interpretatio esse videatur. Atqui de tribus his, quae dantur eschatologistis, unum est verba illa «non consummabitis civitates Israel» minime valere «non deducetis ad fidem» quod vult S. Hilarius, sed «fugiendo non explebitis» vel hujus generis aliquid quod eschatologistis evidens videtur

Nihilne igitur est tandem explicatio nostra nisi mera «ad hominem» interpretatio? Seposita omni contentione studioque bellandi, dabimusne palmam S. Hilario, an propositam interpretationem etiam tunc eligemus? Nostra haec est certa et explorata responsio: «Quacumque condicione rerumque statu interpretationem a nobis expositam ceteris omnibus anteponimus.» Haec autem sunt argumenta.

Imprimis e tribus illis quae ab eschatologistis tamquam evidentia ponuntur et a nobis quoque data sunt, duo sic sonant: a) «Filii hominis adventus nullus est alius in versu 23 nisi alter postremo tempore gloriosus; b) in eodem versiculo verbis illis «civitatibus Israel» vis atque notio subjicienda est maxime propria. Et re vera duo haec sine ulla controversia plana sunt et manifesta quam maxime; quare gravissima solum difficultas interpretationis reperiendae, in qua utrumque copuletur, impellit interpretes ut alterutrum membrum sive «Filii hominis adventum» sive «civitates Israel» de propria maximeque manifesta notione detorqueant. Quapropter quaecumque interpretatio constans atque legitima de utriusque membri integritate ac propria vi nihil admodum detrahet, praeclarum sibi meritum, vel hac sola de causa, consequetur. Teneamus igitur integrita-

tem hanc propriamque vim orationis atque verborum.

Estne idem dicendum de tertio quod ponitur, videlicet «consummare» non valere «ad fidem deducere», sed potius «explere, finire» aut aliquid id genus? Sic quoque specie prima videtur. At quoniam id negant qui a S. Hilarii interpretatione stant, rem paulo enodatius declaremus necesse est.

Ergo interpretatio illa quae «consummandi» verbo (τελέσητε) vim subjicit «adducendi ad fidem», eo modo quo fuit a S. Hilario excogitata —quae est forma post Patrum aetatem, apud antiquos praesertim, communiter usitata—, gravissimum quiddam contra se habet quod fatemur a nobis non satis posse dissolvi. Enimvero, in ista interpretatione haec est vis orationis: «...civitates Israel ad fidem non adducetis donec venerit Filius hominis». Sic est convertendum orationis alterum membrum, quia graece scriptum est ἔλθῃ, significaturque propterea perfecta jam actio (1). Premendum est istud etiam atque etiam, quia vim graeci verbi quum nonnulli non perspiciant, propterea rem interpretantur quasi verbum esset in praesenti, ἔρχηται, ob eamque causam certas quasdam accommodationes anquirunt de quibus postea loquemur. At nihil profecto minus. Verbum est in a o r i s t o, adventusque Filii hominis perfectus exhibetur.

Quae quum ita sint, constat in interpretatione quae sententiam tuetur «deducendi ad fidem», eo modo quo communiter exponitur, aliquid certo falsum esse affirmandum, si constans erit oratio. Profecto S. Paulus (2) perspicue docet non post alterum gloriosum Filii hominis adventum sed

(1) Cfr. initium totius disputationis.

(2) *Rom.* XI, 25-27.

ante ipsum Judaeos ad fidem esse transferendos. Ergo falsum est, et quidem certo falsum, «civitates Israel nón esse consummandas seu ad fidem transferendas, antequam Filius hominis venerit». Contra fatendum est contrariam prorsus esse certam firmamque sententiam, nimirum «civitates Israel ad fidem re vera translatum iri ante quam Filius hominis venerit». Haec argumentatio quomodo probabili ratione elevetur aut diluatur profecto non videmus, propterea in explicandi formam a S. Hilario manantem ire non possumus. Haec, ut videtur, manifesta dissensio inter S. Hilarii interpretationem, cui graecus dicendi modus non satis erat perspectus, et contrarias Sacrae Scripturae affirmationes, certas atque perspicuas, rationem fortasse exhibet quamobrem S. Doctoris interpretatio a scriptoribus graecis prorsus absit. Nullus est auctor graecus —quantum nos scimus— qui de S. Hilarii interpretatione mentionem faciat vel illam ullo modo significet. Quae res consentanea profecto est iis qui graecae loquutionis vim subtilitatemque noverunt. Hac de causa S. Hilarii interpretatio Occidente circumscribitur; atque in Occidente ipso per totam Patrum aetatem solius est S. Doctoris interpretatio. Docti atque indocti eam aut ne noverunt quidem aut oblivione obruerunt. Ipse S. Hieronymus S. Hilarii commentarios bene noscebat (1); et, quod planum est, noverat ac saepius in memoriam reducebat Israelis mysterium ad fidem postremis temporibus transferendi (2), propterea ejusdem Israelis ad illud usque tempus obstinationem.

Totam hanc rationem directo non excutiunt qui S. Hilarii interpretationem sequuntur. Dixeris

(1) *Hom. in Luc., prol.*; ML 26, 220.—*In Matth., prol.*; ML 26, 20.

(2) In ipsis etiam epistolis, v. gr. in 36 ad S. Damasum, n. 17; ML 22, 461.—Ex aliis scriptis cfr. v. gr. *In Habacuc*, l. II, cp. III, v. 17; ML 25, 1333

eam multis ne in mentem quidem umquam incidisse. Indicare id videntur accommodationes seu explicationes quas afferunt ad illa Salvatoris verba declaranda: «...donec veniat Filius hominis». Scribit exempli causa nobilis ac notus interpres P. Cornelius a Lapide, S. Hilarii sententiae constans firmusque defensor: «Innuit Christus Judaeos fore Evangelio incredulos usque ad finem mundi, sed tum paulo ante judicium convertendos ab Elia et Enoch» (1). At si quis millenarista non est, ob eamque rem inter parusiam et postremum judicium tempus nullum interjicit quod sit aliqua saltem aestimatione dignum, quî fieri potest ut ante Christi alterum adventum seu postremum judicium Judaeos affirmet ab Elia et Enoch ad fidem adductum iri, quum Dominus pronuntiet «civitates Israel non consummatum iri» videlicet, ad S. Hilarii ejusque discipulorum interpretationem, «Judaeos ad fidem minime translatum iri donec Filius hominis venerit»? Profecto difficiliter id intelligi potest. Quare compositae ad hunc modum interpretationes obscurae satis et longe repetitae videntur. Ut recentiorem aliquem afferamus, Van Noort, cujus est ceteroqui accuratum intelligensque judicium, hoc modo verba Salvatoris exponit: «...sensus textus objecti erit: Non consummabitis civitates ubi Israelitae degunt, non perficietis conversionem Israelis, donec appropinquet ultimus dies. Et ita Christus obscurius significavit quod postea Paulus apertius scripsit &» (2). Verum istius modi expositio «appropinquet ultimus dies» verba ipsa Salvatoris accurate non reddit, quum in illis sermo sit non de propinquitate sed de adventu ipso, facto jam atque perfecto.

(1) Ed. *Crampon*, p. 271a.

(2) *De vera Religione. Appendix II. Doctrina Christi de* Παρουσίᾳ, n. 181; ed. 4.ª *J. P. Verhaar*, p. 239.

Adhuc explanavimus praecipuum quod S. Hilarii interpretationi, qualis exponi solet communiter, contrarium affertur. Potestne id aliquo modo ita infirmari aut dilui aut declinari, etiamsi millenarismus repudiatur, ut S. Hilarii interpretatio, quamvis tantulum fortasse immutata, retineri queat? Neque enim, si id fieri potest, reliqua, quae objiciuntur, tantopere premunt ut aliquid responsionis non ferant; huc denique accedit quod S. Hilarii interpretatio post Patrum aetatem ad nostra usque tempora gravissimos in Occidente adstipulatores perpetuo invenit.

En igitur explicationis forma quae et S. Hilarii interpretationis summam retineat, et praecipuum, quod ipsi opponitur, satis declinare videatur. Quum primum nobis definito saltem modo haec interpretandi forma succurrit, visa est exquisita nimis atque contorta, eamque propterea dereliquimus. At recenti tempore apud auctorem gravem eam invenimus, et quidem quum dedita opera nostri loci interpretationem conficeret; praeterea apud alios auctores quod est in re praecipui vidimus, non tamen cum versiculi 23 interpretatione collatum. Sic autem se habet.

In docto quodam et pulchro libro ad Doctoris gradum obtinendum conscripto (1), disputans Professor A. Charue de Judaeorum natione postremis temporibus ad fidem adducenda, opinionem affert Domini A. Schenz, de cujus sententia Judaeorum populum ad fidem adductum iri S. Matthaeus nequaquam admittit; in eam autem ivit sententiam A. Schenz versu 23 nixus quum in eo affirmetur «civitates Israel ad fidem non esse transferendas donec Filius hominis venerit» (2). Miram

(1) *L'Incrédulité des Juifs dans le N. T.*, Gembloux, 1929.

(2) Lc., l. II, sect. II, art. IV, p. 181, not. 5.—Librum Domini Schenz non potuimus nobis comparare, e quo solum descripta

profecto Schenz opinionem! at, stabilito semel interpretandi modo quo S. Hilarius est usus, manifesta videtur et constans. Sollicitus deinde anquirit Charue qua ratione conclusionem Domini Schenz declinare possit; adhibita autem interrogandi forma, varias ad id obtinendum indagat proponitque vias. Suggerit primum —quod multi opinantur (1)— forte «Filii hominis adventu», de quo in v. 23, minime significari rerum omnium absolutionem, seu Filii hominis eschatologicum adventum. Deinde adjungit forte sermonem non esse de praedicatione ad civitates Israel habenda. Tum ad extremum, dato vel posito sermonem esse de altero Christi adventu, ac de Judaeorum ad fidem deductione, affirmat nihilominus S. Matthaei locum cum iis, quae docet S. Paulus, satis apte cohaerere posse. Haec sunt illius notanda maxime verba: «Enfin, si, de ce texte qui fait difficulté, on conclut que les missionnaires chrétiens n'auront pas fini d'évangéliser le monde juif lorsque viendra la fin des temps, il n'y a rien là qui ne puisse se concilier avec l'enseignement de Paul. La plénitude d'Israël, pas plus que la plénitude des Gentils, ne requiert la conversion de tous les individus, pas même la conquête par l'Evangile de toutes les «c i t é s» (2). Ad hanc igitur

---

quaedam novimus per Charue et Professorem Meinertz. Hic, quum sententiam exprimit Schenz, hoc pacto illam reddit: «Dann heist: «bis der Menschensohn kommt» soviel wie: Die Bekerung der Israeliten ist absolut unmöglich». Cfr. *Jesus und die Heidenmission*, § 6 *Missionsgedanken Jesu*, p. 125, not. 4.

---

(1) Sunt qui ita opinentur, etiamsi primum membrum «non consummabitis civitates Israel» ad S. Hilarii regulam interpretantur; cfr. v. gr. K. Weiss in opere saepius allato, B. Spezieler Teil, Zweiter Abschnitt, IV, p. 188 sqq.

(2) *Charue, L'Incrédulité*, &., lc., p. 182.—Etsi rem cum versus 23 interpretatione non conferunt, quidam scriptores docent constantem paucorum Judaeorum obstinationem doctrinae S. Pauli nequaquam repugnare. Recenti tempore scripsit J. P. Verhaar: «Non

explicationem constat quae sit Salvatoris verbis subjicienda sententia: «Civitates Israel n o n o m n i n o ad fidem transferetis donec Filius hominis venerit». Videlicet, Judaeorum multo maxima pars adducetur quidem ad fidem, propterea recte dici potest Israel ad summam, quin etiam omnem Israel —modo ne nimis exigue et exiliter mathematicorum more ad calculos rem vocemus— ad fidem translatum iri; qua quidem ratione, quae «moralis» dicitur, S. Pauli praedictio satis consistere videtur. Verum totum hoc nihil impedit quominus pauci quidam Judaei possint immutati remanere, nequissimi scilicet, aliquot in loca sive urbes congregati; propterea nihil impedit quominus verum etiam esse possit «n o n o m n e s civitates Israel, o m n e s o m n i n o, ad fidem adductum iri, donec Filius hominis venerit »

Haec interpretatio magis apparet plausibilis, si nomen «civitatum Israel» nihil est nisi modus singularis et proprius ostendendi populi seu nationis Israel, quemadmodum exposuimus quum de Maldonato loquuti sumus; ut haec sit tandem orationi subjicienda sententia: «Non omnino atque perfecte populum Israel ad fidem adducetis donec Filius hominis venerit.»

Declaratione hac posita, quid de subtili ista interpretandi forma dicendum videtur? Imprimis haec interpretandi ratio illud assequitur ut, quod gravissimum adversus S. Hilarii interpretationem communi ratione propositam intorquetur, satis de-

necessario intelligitur *omnes* Judaeos esse (sc) conversuros, sed hoc saltem admittendum est, tam magnam partem ad fidem venturam esse, ut revera Israel dici possit conversus.» *De Noviss.*, sect. III, cp. I, n. 115, p. 108, Hilversum 1935.—Alii auctores longius progrediuntur, opinanturque istam aliquorum obstinationem e Sacris ipsis Litteris colligi; cfr. v. gr. *Eyzaguirre, Apocalypseos interpretatio litteralis* &., sect. I, pars 2.ª, § 54, p. 311 sqq. Romae 1911; § 57, p. 320 sqq.—*Sangrán, La Profecía del Apocalipsis y los tiempos actuales*, cp. VII, p. 215, not. 10, Madrid 1929.

clinare videatur. Quod quum verum sit, quid tandem de illa judicandum? Primum omnium, si reapse probanda est, versum 23 ita debet explicare ut inter illum et antecedentes versus ab immenso interminatoque prospectu ad singularem atque circumscriptum, omni media declaratione praetermissa, transitum non inducat, quem jam antea «praeposterum, ratione destitutum, ad perturbandum accommodatum, ineptum» judicavimus. Quapropter haec debet esse sententia: «Quum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis seu non omnino adducetis ad fidem, ne ipsas quidem civitates Israel, donec venerit Filius hominis.»

De S. Hilarii interpretatione, hoc modo immutata, quaenam est demum ferenda sententia? Eam esse probabilem, dignamque consideratione, negari posse non videtur. Suntne rationes quare anteponatur? Nos quidem eas videre non possumus. 1) Quod S. Hilarii explicatio cum re totaque serie sermonis cohaeret, id unum probat explicationem esse legitimam atque probabilem. Ut autem anteponeretur, probandum praeterea esset ceteras explicationes cum re totaque serie sermonis aut non satis apte aut non tam apte cohaerere. Id autem velle probare difficillimum sane est.—2) E S. Matthaei XXIII capite argumentum promere ut nostro loco obstinatio Israel inclusa esse monstretur, obscurum est vimque probationis spisse atque vix cernes. Et re vera, XXIII capite gravia scribarum pharisaeorumque peccata numerantur, praesertim vero versibus 34-39 cum alia peccata describuntur, tum illud proprie quod ex iis quos Christus legaturus, suaeque ministros praedicationis est jussurus, —«prophetas, sapientes, scribas»—, «occident et crucifigent et flagellabunt in synagogis et persequentur de civitate in civitatem». Tot tanta-

que peccata ut puniat, Christus tutela vacuos Judaeos et «domum illis desertam» relinquit, ac solemni modo denuntiat fore ut posthac se numquam conspiciant donec tamquam Messiam agnoscant dicantque acclamantes: «Benedictus qui venit in nomine Domini!» Jam vero, ad sententiam versus 23 e capite X S. Matthaei illustrandam definiendamque, quid prodest hic locus? Numquidnam quod in capite XXIII sermo est tum de agitandis atque insectandis Evangelii praedicatoribus a civitate in civitatem, tum de consequenti poena quae Judaeorum obstinationem ad quoddam usque tempus futuram ponere videtur, idcirco in capite X, v. 23 in quo sermo est etiam de vexandis praedicatoribus et a civitate in civitatem rejiciendis, altera quoque, modo possit, debet esse sententia, scilicet Judaeos obstinatos fore? Consequentia non liquet. Altera sententia erit... quaecumque erit. Nam utraque sententia non necessario debet esse conjuncta; ex eo autem quod certo quodam loco junguntur, in aliis quoque jungi profecto colligi non potest. Ceterum singuli loci vim habent prospectumque diversum: a) In capite XXIII Christus appellat s c r i b a s e t p h a r i s a e o s, et generatim Hierosolymam obstinatam et homicidam, aitque se eorum puniendi causa non jam ab eis conspectum iri donec tamquam Messias agnoscatur: quod temporis spatium, si accurate loquimur, non est omnino idem atque illud quod his verbis exprimitur: «donec Filius hominis venerit»; —b) contra, in capite X, versu 23 a p o s t o l o s appellat, atque i n i i s E v a n g e l i i p r a e d i c a t o r e s, denuntiatque ut, quum eos in civitate aliqua insectentur, ad aliam confugiant, quia «non consummabunt civitates Israel, donec Ipse venerit». Animadvertatur propositum temporis spatium: «donec Ipse venerit»; nequaquam vero dicit «donec tamquam Messias agnoscatur» seu

«donec acclamantes dicant Judaei: B e n e d i c t u s &». Jam vero si vis atque prospectus tam diversus apparet, jus nullum est constituendi ut duplex hic locus f o r m a l i t e r, ut ajunt, mutuo sibi respondeat, multoque minus jus est ex alterius loci re atque materia rem quoque alterius loci materiamque colligere. Suum quisque locus habet, ut dicitur, «objectum formale», propriamque totius rei considerandae rationem. Si r e m a t q u e m a t e r i a m consideres, fortasse ex parte conveniant; at nihil amplius requiras.

His similibusque praetermissis argumentis, si nostram jam debemus sinceram aperire sententiam, S. Hilarii interpretationi, eo etiam modo quo antea diximus, immutatae et conformatae primas deferre non possumus. Id autem ideo quia e duabus in verbo τελέσητε inclusis forte sententiis: «non c o n s u m m a r e, aut ad fidem adducendo aut insequentes defugiendo», postrema obviam sua sponte procedit videturque manifesta, quemadmodum interpretationum historia demonstrat. Per universas Patrum aetates species cogitatioque «ad fidem adducendi» nemini umquam praeter S. Hilarium venit in mentem, aut si aliquibus venit, ne punctum quidem temporis institerunt ut eam oppugnarent. Nullus graecus —eos autem graece scire, consentaneum recte videbitur—, S. Hilarii cogitationem probavit umquam. Ex eorum magno silentio talem cogitationem numquam eis occurrisse jure concluseris. Potestne ergo plana et manifesta ea cogitatio dici quae tam sero occurrat, aut, si forte occurrat, penitus repudietur? Quin immo, critici heterodoxi, quantum nos scimus, ad hanc S. Hilarii explicationem animos attendere non consueverunt. Eorum disputationes, aliae aliis liberiores atque longius etiam progredientes, circum eam tamen verbi τελέσητε vim notionemque vertuntur qua sententia illi subjicitur «perficiendi aut ex-

plendi defugiendo», quum haec una eis videatur notio plana atque manifesta. Maxime igitur tutum esse remur, si naturam praesertim sermonis attendimus, maximeque consentaneum eamdem et nos viam rationemque sequi, propterea S. Hilarii interpretationem cum reverentia quidem sed penitus omittere.

Unum breviter addemus, ante quam finem facimus. Quum interpretationem nostram concludebamus, notissimi interpretis P. Cornelii a Lapide locum adduximus. Hic locus, oblivione paene obscuratus, quem nemo adhuc eminere fecerat, nunc autem editus et in bono lumine collocatus, potest speciem quamdam commovere et quasi novae interpretationis ansam dare. Scilicet potest aliquis, hujus loci ratione, occasionem habere ad copulatam quamdam proponendam interpretationem quae verbi τελεῖν notionem utramque conjungat: «consummare ad fidem adducendo» et «consummare fugiendo». Nempe scribebat P. a Lapide: «...Cum vos persequentur, fugite de una civitate in aliam, quia semper vobis fugae erit locus ubi operam vestram utiliter collocare possitis...; non enim deerunt Judaei nec Gentes convertendi... usque ad finem mundi &» (1). Quidquid est de ipsa P. Cornelii a Lapide sententia, potestne reapse vero aliquo modo in unum redigi utraque a nobis antea descripta interpretatio?

Dummodo S. Hilarii interpretationis immutationes conformationesque a nobis antea propositae adhibeantur, pro nostra parte non repugnabimus. Veremur tamen ne ista duarum explicationum conjunctio, quarum satis omnino unaquaeque ad rem obtinendam vult valere, multis non probetur. In omni autem summa verbo τελεῖν subjicien-

(1) Lc.

da erit tunc infinita quaedam vis quae rem per verbum τελεῖν infinita hac ratione expressam, scilicet sive «adducendis ad fidem civitatibus Israel» sive «fuga exhauriendis», duplici hac fieri ratione patiatur. Tunc vero dici debet verbum τελεῖν ambigue esse positum parumve distincte, et ob eam ipsam causam a Domino adhibitum. Profecto id non repugnat. Tamen nihilominus, si cuncta rite explicari possint, ambigua ista infinitaque exclusa notione, cur eam in verbis Domini inesse credamus? Atque haec dicta sint, si proposita notio infinita defendatur. Nam si quis, ea omissa, in alias ingrederetur vias atque ita rem explicaret ut aut verbo τελεῖν utramque simul subjiceret propriam definitamque notionem, aut propria vi atque notione mutata, novam, quae utramque includeret, fabricaretur quasi copulatam, aut alia id genus, tunc improbabile quiddam comminisceretur. Atque id quidem aggredi, ut videtur, auderet, nulla auctoritate munitus, ratione nulla.

APPENDIX

Semel atque iterum in disputatione de quodam S. Matthaei commentario mentionem fecimus qui S. Bedae solet adscribi. Significavimus vero (1) rationes sat firmas existere quae impellant ut medio fere saeculo IX scriptus esse credatur. Ne tamen disputationem longa nimis notatione oneraremus, nos ad extremum rationum summam appositūros, appendicis instar, polliciti sumus. Ad id nunc breviter summatimque efficiendum aggredimur.

Itaque sententia quaedam latius pervagata S. Matthaei commentarios, quos adduximus, Venerabili S. Bedae adscribit. Vir exempli causa eruditissimus eorumque omnium, quae critici in singulos dies discussa aut dijudicata proponunt, bene peritus, R. P. de la Taille, illos simpliciter, tamquam germanum opus S. Doctoris, adducit (2). Scriptores tamen graves, antiqui et recentes, dubitant aut etiam id negant. Negat Manitius; verum quod ad rationes attinet, adire jubet ad Schönbach (3). Schönbach, in non paucis publicis bibliothecis diligenter perquisitum, invenire non potuimus; nisi tum quum jam essent omnia haec edita in Ephemeridibus «Estudios Eclesiásticos»; praeterea nulla nobis fuit nisi cursim legendi vel potius raptim evolvendi facultas.

Quidquid est, suspicionis initio in nobis commoto, rem majori quadam diligentia excussimus, et tandem satis inclinamus ad S. Matthaei commen-

---

(1) Hujus disp. parte I, § II, initio.
(2) Cfr. *Mysterium Fidei*, ed. 3.ª, Elucid. XIII, p. 153, not. 2.
(3) *Gesch. der latein. Literatur des Mittelalt.*, I, München 1911, p. 87.

tarios a S. Beda abjudicandos. Etsi totam hanc rem nondum exploratam habemus, en ea quae veri similia nobis videntur.

1. «S. Matthaei commentarius, qui S. Bedae solet adscribi, ab eo abjudicandus videtur». a) Etsi non multum valet, aliquod tamen est indicium, aut saltem suspicionem movet quod in I n d i c u l o suorum operum, quem paucis admodum annis ante mortem S. Beda ipse confecit, S. Matthaei commentarius non exstat.— b) In prooemio, quod suo S. Matthaei commentario Rhabanus Maurus affinxit, satis aperte indicare videtur S. Matthaei commentarium, quem quidem S. Beda conscripserit, exstare nullum; saltem neque noverat Rhabanus Maurus neque illi qui novum ab eo poscebant. Et tamen Rhabanus Maurus vir est, ut temporibus illis, in eruditissimis sine ulla dubitatione numerandus. Atqui hoc modo scribit: «Cum enim fratres qui nobiscum Evangelium legere disponebant, conquererentur quod in Matthaeum non tam plenam et sufficientem expositionem haberent, sicut in ceteros evangelistas, laborantibus beato Ambrosio Mediolanensi episcopo et venerabili Patre Augustino Bedaque famulo Domini, ad legendum habebant, eorum precibus coacta est parvitas nostra praesens opus aggredi &» (1). Profecto multa deinde, tamquam S. Bedae propria, Rhabanus Maurus affert; at tum adducti loci tum alii complures de S. Bedae homiliis, verbum e verbo, expressi sunt. — c) Genus dicendi, quod in S. Matthaei commentario eminet, cogitationumque cursus multum ab eo discrepat qui in Sanctorum Marci Lucaeque commentariis S. Bedae certo attribuendis apparet. Atqui, sive hos commentarios antecebat sive subsequebatur S. Matthaei commentarius, rerum ver-

(1) *Comm. in Matth., Praef.*; ML 107, 728.

borumve similitudines satis expressae et generatim indicia non pauca ejusdem auctoris deprehenderentur, sicut in duobus Sanctorum Marci et Lucae commentariis observitare licet. Nunc vero e communi cogitationum flumine, quae patrimonium publicum constituere videntur, crebro quasi emergunt in S. Matthaei commentario novae dissimilesque sententiae, sive meliores sive pejores sive tantummodo aliae.— d) Schönbach, quantum celeris illius evolutio nobis notare permisit, in subtilioribus quibusdam commoratur quae nobis quidem non possunt satis ex toto probari (1). Videmus enim quae ipse notat ut propria, ea ex aliqua saltem parte utrique auctori esse communia, velut numerum «singularem» et «pluralem»; at uterque auctor et «singularem» et «pluralem» passim usurpat (2). Bene autem animadvertit Schönbach praetermissionem quamdam in Commentario S. Matthaei. Dixerat S. Beda: «De monumento Domini ferunt qui nostra aetate de Jerosolymis in Britanniam venere &» (3); eadem verba in Commentario S. Matthaei reperiuntur, at praetermissis illis in Britanniam: «De monumento Domini ferunt qui nostrae aetatis tempore de Jerosolymis venere &» (4). Expressa illa ac definita notatio in Britanniam optime in S. Bedam scriptorem britannicum quadrat; praetermissio vero facile capitur si alius est auctor, minus fortasse si uterque commentarius eidem scriptori britannico adscribitur.

(1) «Sitzungsberichte der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften-philosophisch-historische Classe—», 146 Band, Jahrgang 1902/3, Wien 1903. — *Über einige Evangelienkommentare des Mittelalters* von Anton E. Schönbach, pp. 19-23.

(2) En quaedam exempla de n° «singulari»: a) *In Comm. S. Matthaei*; ML 92, 72D; 86C; 92C; 106D; 120A; 125A, D.—b) *In Comm. S. Marci*; ML 92, 195D; 214A; 220D; 231B; 232D; 245A; 269A, B.

(3) ML 92, 294A

(4) ML 92, 126D.

2. «S. Matthaei commentarius, qui S. Bedae solet attribui, Rhabani Mauri commentario videtur aetate posterior» — a) S. Matthaei commentarius summa quaedam videtur eorum quae ex variis auctoribus libat Rhabanus Maurus. Scilicet quod ex aliis auctoribus excerpit componitque Rhabanus Maurus ipsis etiam verbis, sententiis, auctorum nominibus religiose adductis, idem in summa capita illustri brevitate redigit, omissis fere auctorum nominibus, S. Matthaei commentarius. Jam vero, his positis, illud videtur maxime consentaneum atque perspicuum quod S. Matthaei commentarius re vera summa quaedam sit commentariorum Rhabani Mauri, non autem quod Rhabanus Maurus, conquisitis diligentissime auctoribus, quasi singulas commentarii sententias ipsis auctorum verbis expresserit, expoliverit.— b) Quod Rhabanus Maurus tamquam p r o p r i u m adhibet, id in S. Matthaei commentario nonnumquam tali modo reperimus adductum ut ejus auctori Rhabani commentarios, aliqua saltem circuitione, esse notos sit necesse, quippe quum iisdem verbis dicendique formis utatur. Sic accidit in versiculi 23 e capite X S. Matthaei interpretatione. Nec vero dici potest certas quasdam commentarii partes sententiasve, quorum auctorem S. Patrem non reperiebat, a Rhabano Mauro identidem expoliri aut immutari atque ita conformatas, ut proprias afferri. Tunc enim, si Pseudo-Beda Rhabano non videbatur auctor esse dignus cujus afferretur auctoritas, tamen nihil erat quare sibi, ipso suo nomine significanter expresso, Pseudo-Bedae verba sententiasque attribueret, eodem scilicet pacto quo ceteras sententias aliis Patribus adscribebat, quum praesertim immutationes sint aliquando levissimae (1). Praecipuum tamen illud videtur

(1) Cfr. v. gr. S. Matthaei interpretationem VIII, 3.

quod qui S. Matthaei commentarium, de quo nobis est quaestio, ante Rhabanum Maurum exstitisse opinantur, iidem hunc commentarium a Rhabano Mauro S. Bedae adscribi putant. At vero tunc illud gravissimum statueretur quod Rhabanus Maurus quae ex aliis S. Bedae operibus excerperet, ea tamquam S. Bedae propria referret; quae autem ex S. Matthaei commentario, quamvis leviter immutata, nihilominus tamquam sua quaedam propria possideret et adduceret. Id autem admirabilitatis non parum continet, nec est porro veri simile

Doctor J. Hablitzel alteram hanc conclusionem oppugnat qua Pseudo-Bedam Rhabano Mauro posteriorem esse defendimus (1). Verum illius argumenta optime alterum ex altero pendere demonstrant, nequaquam vero efficiunt ut Rhabanus Maurus e Pseudo-Beda pendeat eoque posterior esse videatur. Unum solum Dr. Hablitzel affert indicium quod fatemur a nobis non satis posse dissolvi. Est autem istud. Semel Rhabanus Maurus perbrevem quemdam locum tamquam ex S. Beda affert qui re vera solum in S. Matthaei commentario, de quo est quaestio, reperiri videtur (2). Liceat tamen haec notare. Quod non solum rarum sed etiam u n i c u m est, valere posse non videtur ad evertenda contraria quae firmiora multo apparent, modo fieri possit ut aliquid causae re ipsa detur nobis ignotae ad istud rarum explicandum. Itaque citius dixeris aut ex S. Beda aliquid excidisse; aut nomen Bedae irrepsisse atque in locum Rhabani Maurive esse substitutum, quemadmodum contra saepe factum est, scilicet ut pro Bedae no·

(1) *Hrabanus Maurus, Ein Beitrag zur Geschichte der Mittelalterlichen Exegese von Dr. Joh. Bapt. Hablitzel,* § 2, p. 21 sqq. apud «Biblische Studien» edita ab *O. Bardenhewer, II* Band, 3 Heft, Freiburg i. B., 1906.

(2) Cfr. ex *Rhab.* M.; ML 107, 853D;—*ex Pseudo-B.*; ML 92, 39B

mine nomen Rhabani adhibeatur (1); aut hujus generis, quodcumque demum est, contigisse.

Jam vero si quod adhuc exposuimus, utrumque probaretur, tunc S. Hilarii interpretationis renovatio ad carolinam aetatem referenda esset. Hoc tempore rediisset, essetque in publicum proposita magni Doctoris Pictaviensis interpretatio a tam praeclaris viris, velut Rhabano Mauro, velut etiam S. Paschasio Radberto qui paulo post scripsit.

(1) Cfr. ex multis locis: *Matth.* VIII, 9 apud ML 107, 858C et ML 92, 416C;— *Matth.* VIII, 27 apud ML 107, 866 A, B et ML 92, 175CD;—*Matth.* IX, 5 apud ML 107, 872ABCD et ML 92, 148BCD, &.

CAPUT TERTIUM

De loco apud S. Matthaeum, cp. XXVI, v. 64

«...Verumtamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli».

Utroque loco hactenus explicato: S. Matth. XVI, 28 et X, 23, atque etiam magno illo sermone eschatologico e capite XXIV argumenta praecipua continentur quibus scholae eschatologicae adstipulatores nituntur ut probent Jesum in proximum se tempus, aetate illa nondum exacta, praenuntiasse venturum. Restat igitur ut difficillimum et arcanum caput XXIV diligenter examinemus.

Antea vero quam id aggredimur, locum etiam declaremus oportet, quem eschatologistae tanta firmitate non urgent, qui tamen ad alios adjunctus efficit ut, omnibus una conjunctis locis, animus majore vi percellatur et paene quasi obruatur. Quod eo loco continetur, Dominus gravissima totius vitae mortalis maximeque solemni occasione pronuntiavit. In judicium adductus ut ad supplicium mortemque trudatur, quamvis injuriis lacessitus omnique modo provocatus, silet nihilominus Jesus. Tunc Caiphas, princeps sacerdotum, «adjurat Jesum per Deum vivum ut dicat si est Christus filius Dei». «Dicit illi Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis (Dei), et venientem in nubibus caeli» (1). S. Marcus et S. Matthaeus in verbis Domini exprimendis vix inter se discrepant;

(1) *S. Matth.* XXVI, 63, 64.

solum verbum illud a m o d o (= ἀπ' ἄρτι), propterea temporis quemdam modum, a S. Marco omitti notetur necesse est. Contra S. Lucas ita format orationem ut temporis ratio exstet expressior (ἀπὸ τοῦ νῦν); praetermittit tamen quae Filium hominis videndum esse declarant, atque haec solum scribit: «...Ex hoc autem (ἀπὸ τοῦ νῦν) erit Filius hominis sedens a dexris virtutis Dei» (1).

Sive Dominus utramque formulam, et S Matthaei et S. Lucae, proprie definiteque dixit, sive unam tantum adhibuit, semper quod S. Matthaeus tamquam a Domino prolatum narrat, omnino explicandum est. Nam quod S. Matthaeus expressit, apud S. Lucam profecto non invenitur, quum tamen S. Lucae sententia in S. Matthaei sive sit sive jure optimo esse possit inclusa. Similiter S. Marci sententia in S. Matthaei continetur, non autem vicissim. Itaque sicut alias fecimus, S. Matthaei locum, utpote difficiliorem seu potius solum difficilem, ad explicandum seligemus.

PARS PRIMA

I

Quid doceant ac teneant Sancti Patres

Diceres in verba Christi nobis nunc excutienda traditionem animum non intendisse neque in eis quidquam agnovisse singulari modo tectum atque involutum. Saltem nobis non contigit ut majorum nostrorum explicationes per universas Patrum aetates reperiremus. Profecto quid traditio de locis eschatologicis senserit, quasi ager est nondum aratus et subactus; sed, quamvis ad alios etiam locos sic se res haberet, potuimus tamen monumentorum

(1) *S. Luc.* XXII, 69.

copiam quamdam colligere. Nunc autem, quantum nos investigare potuimus, perpauci Sancti Patres scriptoresque antiqui ecclesiastici nostrum locum adducunt; interdum vero, quamvis adducant, nihil admodum lucis afferunt. Exempli causa S. Leo locum ipsum S. Matthaei in oratione quadam profert integrum, nulla tamen adjuncta explanatione (1); ab hoc tamen Pontifice vere summo, magno inter magnos, vel tenue datum indicium quanti fuisset aestimatum! Omni autem modo quidquid est reliquiarum a nobis inventum, congregare oportet ut ab aliis fortunatioribus perficiatur et compleatur: sunt sacrae reliquiae omni semper studio omnique veneratione dignissimae. Quamvis interpretationem integram non contineant sintque solum interdum testimonia non directa, proderunt tamen ad illius interpretationis, quae debeat cuncta complecti, modo hanc modo illam partem illustrandam insignemque faciendam.

I: ab initio ad saeculum V

Saeculis II-III

Ordiamur ab auctoritate antiquissima et omni modo praestantissima. Verba enim sunt ipsi S. Jacobo «fratri Domini cui episcopalis Hierosolymorum sedes ab apostolis tradita fuerat», attributa. Quidquid autem id est, ut hanc celsissimam dignitatem testimonium istud non videatur obtinere, tamen spirat saltem in eo mens judiciumque viri in Historia Ecclesiae notissimi, qui saeculo II fere medio floruit, H e g e s i p p i.

Narrat hic auctor quemadmodum Judaei quidam —scribae et pharisaei— quum multos fieri christianos perspicerent, cursum hunc in christianam re-

(1) Serm. 57, de Passione Domini VI, n. 2; ML 54, 329.

ligionem intercludere voluerint, ipsa S. Jacobi, quem omnes tamquam virum sanctissimum colebant, interposita auctoritate. Accedunt igitur ad S. Jacobum et «hortamur te, inquiunt, ut populi errorem comprimas qui falsam de Jesu opinionem imbibit, perinde quasi Christus esset... Ascende igitur in fastigium templi, ut in sublimi loco positus, ab omnibus conspici et exaudiri facile possis... Posthaec supradicti scribae et pharisaei cum Jacobum in fastigio templi collocassent, contenta voce sic eum alloqui coeperunt: O Juste cui nos omnes fidem adhibere par est, quandoquidem populus omnis errat, Jesum sectans crucifixum, doce nos quod sit ostium Jesu suffixi cruci. Tunc Jacobus edita voce iis respondit: «Quid me, inquit, interrogatis de Jesu Filio hominis? Ipse sedet in caelo a dextris summae virtutis, et venturus est in nubibus caeli» (1).

Verba haec responsioni Salvatoris ad Caipham manifesto resonant, tamquam imago. Ut ex illis constat, Jesus «s e d e t — κάθηται —in caelo a dextris summae virtutis (Jahve), et v e n t u r u s e s t μέλλει ἔρχεσθαι in nubibus caeli». Ut autem nihil dubitationis relinquatur quin alterum membrum ad parusiam seu alterum Christi gloriosum adventum pertineat, idem Hegesippus paulo ante hanc narrationem, narravit quoque quemadmodum contra Judaeos, qui Jesum affirmabant credebantque esse Christum, starent adversi qui «nec resurrectionem nec futurum Christi adventum ut unicuique pro meritis mercedem tribuat, credebant» (2). Adversus hos testificatur S. Jacobus Christum

(1) Apud *Eusebium*, HE, II, 23; MG 20, 199-202.—Cfr. ed. *Schwartz, CB*, v. 9, pp. 168, 170.

(2) Lc., col. 199; ed. *Schwartz*, p. 168.—De his Judaeis loquitur Hegesippus quasi septem illas haereses sequerentur quae in populo serpebant aut quasi ex illis orti essent. Septem istae haereses videntur illae septem esse quas alio loco, ab eodem Eusebio allato

ad Jahve dextram sedere, et super caeli nubes esse venturum.

Itaque fortasse ipso primo saeculo, certe quidem altero fere medio, Domini verba coram tribunali: ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν, alterum Christi gloriosumque adventum significare putabantur.

Aliud id temporis licet nobis reperire vestigium. In Tatiani Diatessaron commentariis a S. Ephraem relictis, hoc modo locus noster adducitur: «Amodo videbitis vos filium hominis quod venit in nubibus lucidis cum angelis caelorum» (1). Imprimis, qualis exstat nunc locus, alterum ab eo Christi gloriosum adventum significari, jure dixeris maxime esse consentaneum. Id videntur verba saltem illa demonstrare: «venit... cum angelis caelorum», quae gloriosae parusiae sunt propria quam maxime. At quum istud incisum apud synopticos non reperiatur, dubitatio residet utrum Tatiani an S. Ephraem sit additamentum. Sane scribendi ratio apud S. Ephraem, in sententia potius quam in verbis diligentem et attentum, liberiorem igitur et solutiorem, indicio esse specie prima videtur illius, non autem Tatiani, esse additamentum. Tamen nihilominus occurrit hoc loco aliquid rarum et singulare quod primam cogitationem

(HE, IV, 22; lc., cols. 379-383; ed *Schwartz*, lc., p 372), idem auctor enumerat. In his numerabatur v. gr. pharisaeorum secta quae nec futuram resurrectionem nec postremum judicium a Jahve factum iri negabant. Praeterea totus locus de Christi resurrectione ejusque altero adventu sermonem esse perspicue ostendit. Atque ita rem intellexit E. Preuschen in Hegesippi locis a se in germanam linguam conversis (*Antilegomena: Die Reste der ausserkan. Ev. u. urchristl. Überlieferung...*; 2.ª ed.; Gieszen, 1905); sic quoque duo illi auctores antiqui qui HE converterunt: sive in latinum, ut Rufinus cujus opus editum est a *Mommsen* in CB simul cum graeco edito a *Schwartz*; sive in syriacum, quod opus syriacum iterum in germanum conversum est ab *Eb. Nestle* (TU, t. 21, p. 65; Leipzig, 1901).

(1) Ed. *Aucher-Moesinger*, cp. XX, p. 237.

paribus saltem librat ponderibus, quin immo impellere videtur ut citius Tatiani additamentum esse credamus. Enimvero incisum «angeli caelorum» semel tantum apud S. Matthaeum invenitur, numquam apud alios evangelistas, immo numquam in toto Novo Testamento. Locus apud S. Matthaeum notus ille est e sermone eschatologico: «De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum...» (1). Atqui Tatianus hoc eodem loco scribit tantummodo a n g e l i.—Alia praeterea immutatio singularis occurrit. Legimus in S. Ephraem commentariis: «...venit in nubibus lucidis». Vocabulum «l u c i d i», φωτεινή, nubibus datum, praeter quam quod semel in S. Matthaeo quum transfigurationem describit (2), numquam in Evangeliis reperiri videtur (3). Jam vero, quidquid in transfigurationis descriptione de nube dicitur, totum id a Tatiano praeteritur. Itaque aut casum quemdam satis mirificum intervenisse dicendum est, aut, quod magis veri simile videtur, eruditus aliquis et expertus vir conformationes istas modosque sententiae, qui propriis erant locis omissi, sciens prudens adhibuit ut, quod antea variae istae dicendi rationes essent omissae, nunc hoc loco quasi collectae haberentur. Quod si ita est, majori cum probabilitate adscribendus Tatiano quam S. Ephraem videtur subtilis hic labor minutorum colligendi, qui animum indicat ad cunctas Evangelii partes prorsus intentum, propterea multo magis proprius illius qui in Evangeliorum concordia elaborat. Tunc vero alia ratione ac via id haberemus quod ultima antiquitas, altero saltem saeculo fere medio, Domini nostri coram synedrio

(1) XXIV, 36.
(2) XVII, 5.
(3) Solum in Apocalypsi vocabulum simile invenitur: *alba*, λευκή (XIV, 14).

responsum, quo se super caeli nubes venientem a synedris conspectum iri denuntiabat, de altero gloriosoque adventu interpretabatur.

Ultra progredi nolumus antequam de S. Justino ac de S. Irenaeo nonnulla animadvertimus. Etsi Domini verba coram synedrio definite non afferunt, at tota loquendi cogitandique ratio in id non parum impellit ut Dominum, synedris denuntiantem se ab illis super caeli nubes conspiciendum esse, de altero adventu id affirmare credamus.

S. Justinus de duplici Christi adventu, altero ignobili, glorioso altero, saepenumero loquitur, ostenditque utrumque esse praedictum. Unus ex iis locis, quos saepius usurpat, notam illam Danielis contemplationem continet: ἐθεώρουν ἐν ὁράματι τῆς νυκτὸς, καὶ ἰδοὺ μετὰ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ ὡς υἱὸς ἀνθρώπου ἐρχόμενος etc.» (1). Alterum ad homines judicandos Christi adventum hoc loco plane significari S. Justinus arbitratur; velut in «Dialogo contra Tryphonem»: «Sin potentiam, quae ejus passionis dispensationem consecuta est et consequitur, tantam esse demonstratur, quanta ea futura est in glorioso ejus adventu? Veniet enim tamquam Filius hominis super nubibus, ut Daniel declaravit, angelis cum eo advenientibus». Adjungitur continuo totus Danielis locus (2): et post Tryphonis interpellatio-

(1) *Dan.* VII, 13.—Graecum affertur ex *Theodotio*.

(2) *C. Tryph.*, cp. 31; ed. *Otto*, «Corpus apol. christ. saec. II», v. II, t. I pars II, Ienae 1877, p. 103; cfr. cp. 14, p. 55.—Similiter in prima Apologia: «Quomodo autem e caelis quoque venturus sit cum gloria, audite quae etiam dicta sunt de hac re per Jeremiam prophetam. Sunt haec: «Ecce tamquam filius hominis venit super nubibus caeli, et angeli ejus cum eo» (Apol. n. 51; lc., v. I, t. I, pars I, p. 139). Immutatio est manifesta hoc loco: Jeremias pro Daniele sufficitur. Quod ad membrum attinet «et angeli...», si duplicem locum inter se conferimus, significari videtur alterum de angelis membrum ob aliorum locorum similitudinem esse adjunctum, quamquam aptissimum est ad prioris membri sententiam de gloriosa parusia in bono lumine collocandam. Et re vera notetur

nem, iterum de duplici Christi adventu loquitur, quorum in postremo, —dicit Tryphoni S. Justinus— «agnoscetis in quem pupugistis, et plangent tribus vestrae ..» (1).

Profecto Evangelii locos, in quibus «Filius hominis dicitur inter nubes (2) aut super nubes esse venturus» ad eam, qua utitur Daniel, loquendi rationem, S. Justinus non affert; verum tamen loci illi, in quibus haec adhibetur forma dicendi, notissimo Danielis loco resonare prorsus videntur tamquam imago. Propterea cum S. Justini sententia congruere magis videtur his locis, similiter atque Danielis loco perinde ut eum S. Justinus interpretatur, ob eamque rationem nostro etiam loco, sermonem esse de altero Filii hominis adventu. Aliis verbis; id demum est causae quare in Domini Nostri verbis coram tribunali nihil aliud nonnulli videant nisi solemnem quamdam messianitatis vel forte divinitatis affirmationem, nulla directa et expressa alterius adventus significatione, quod Danielis locus, de eorum sententia, nullo modo respicit ad postremum judicium sive alterum Christi adventum. Secus consentaneum esset quam maxime Dominum de gloriosa loqui parusia. Ergo, quandoquidem S. Justinus alterum Filii hominis adventum a Daniele manifesto descriptum esse putat, consentaneum planumque est alterum Filii hominis adventum Domini verbis significatum atque descriptum eidem S. Justino videri.

---

oportet quemadmodum in «Dialogo contra Tryphonem» ante membrum: «angelis cum eo advenientibus», incisum illud «ut Daniel declaravit» adhibeatur, ut significetur hoc incisum ad antecedentia tantum referri.

---

(1) Cp. 32; lc., p. 107...

(2) Membrum μετὰ τῶν νεφελῶν melius converti videtur hac ratione: «inter nubes» quam illa «cum nubibus». Μετὰ cum «genitivo» ejus modi vim saepe habet.

Unum potest objici, scilicet iis Evangelii locis, quibus «Filius hominis veniens super nubes» exhibetur, Danielem nullo modo significari, porro hanc significationem nusquam a S. Justino perspicue tradi. At vero, haec duo si ponuntur, urget tunc vehementer eschatologica Evangelii sententia quae ex ipsis Evangelii verbis fluere manifesto videtur; nihil est jam quare auctoritates aucupemur; denique radicitus evellitur unica e monumentis collecta ratio contraria, quae nempe Danielis loco alterum Christi adventum proprie contineri negat.

Quae dum disputamus, praetermittimus mirabilem sane vereque raram S. Augustini interpretationem quam suo tempore commemorabimus. Est illa quidem tam exquisita tantumque continet admirabilitatis ut, si eam antiquis istis auctoribus adscripserimus, rem fecerimus nullo modo probabilem. Quin immo, nostris etiam temporibus, hanc similemve explicationem proponere, ecquis auderet?

Quod de S. Justino diximus, ad S. Irenaeum potest totum accommodari, qui e S. Justini fontibus hausisse multum videtur. Est praeterea in S. Irenaeo singulare quod certum quoddam orationis membrum videtur ex Evangeliis adhibuisse, etsi memoriter et alia orationis forma. Ait enim: «Cum autem vastaverit Antichristus hic omnia... et sederit in templo Hierosolymis, tunc veniet Dominus de caelis in nubibus, in gloria Patris... &» (1). Quod autem S. Irenaeus in celebri Danielis loco gloriosam Christi parusiam videt —quod est quasi fundamentum eorum quae de S. Justino a nobis sunt dicta, nunc autem iteranda non videntur—, ex ejus scriptis manifesto colligitur (2).

---

(1) Adversus haer. V, cp. 30, n. 4; MG 7, 1207.

(2) Audiatur exempli causa locus e capite 33 libri IV. Hoc capite pulchre S. Doctor exponit quemadmodum verus Christi discipulus, eo lumine illustratus quod in sola Ecclesia invenitur, sciat recte

Itaque circumspectis omnibus, rationibusque subductis, summam si facimus eorum quae modo enucleavimus, illud habemus quod indicia II vel I etiam saeculo fortassis reperta et ad nostrum locum sive directo sive non directo spectantia, concurrunt omnia ad ostendendum Salvatoris verbis, quibus Synedris denuntiavit se ab iis «super caeli nubes venientem» esse videndum, alterum gloriosumque adventum contineri. Nihilominus deest per idem tempus aliorum elementorum explicatio. At celeriter eodem III saeculo eam reperiemus.

Non tamen in Tertulliano, cujus auctoritas nomenque, nobile sane quamvis postremis vitae annis obscuratum, alterum saeculum splendide claudit, aperitque non minore gloria tertio saeculo cursum.

Ut S. Justinus et S. Irenaeus, e quibus cum alias tum in nostra etiam re videtur hausisse, Tertullianus agnoscit quoque Danielis loco alterum gloriosumque Salvatoris adventum esse praedictum (1).

---

sapienterque judicare. Judaeos judicat qui noluerunt intelligere «quoniam duos adventus ejus omnes annuntiaverunt prophetae: unum quidem, in quo homo in plaga factus est... Secundum autem, in quo super nubes veniet... ventilabrum in manu habens, et emundans aream suam, et triticum quidem in horreum colligens, comburens autem paleas igne inextinguibili». Ecquis sit propheta ille qui «super nubes adventum» definite praedixerit, S. Irenaeus paulo post in eodem capite majori perspicuitate declarat. Pulcherrime explicat quemadmodum prophetae singuli Christi partes actionesque describant: «Quidam enim in gloria videntes eum, gloriosam ejus apud Patrem a dextris conversationem videbant; alii super nubes, quemadmodum Filius hominis, venientem (videntes), et dicentes de eo: «Videbunt in quem compunxerunt» adventum ejus significabant, de quo ipse ait: «Putas, cum Filius hominis venerit, inveniet fidem super terram» (Nn. 1, 11; MG 7, 1072, 1073, 1079.—Cfr. III, cp. 19, n. 2; IV, cp. 20, n. 11: MG 7, 941, 1040). Illis verbis «alii super nubes...» manifesto expressus est Daniel et alter Christi gloriosus adventus.

---

(1) En locus qui de S. Justino Sanctove Irenaeo paene descriptus videtur: «Duos dicimus Christi habitus a prophetis demonstratos totidem adventus ejus praenotasse: unum in humilitate, utique primum, cum tamquam ovis ad victimam deduci habebat... vermem

Hoc stabilito, si quidem in Evangeliorum locis de Filii hominis adventu super nubes loquentibus resonare plane videtur Danielis sermo de Filio hominis, ergo —sicut antea in S. Justino arguebamus— maxime cum Tertulliani sententia congruit hos Evangelii locos Danielis vaticinationis lumine illustrare, explanare, propterea alterum Domini adventum iisdem significatum videre.

Aliud est etiam notandum. Diximus antea unum posse objici, scilicet iis Evangelii locis, quibus «Filius hominis super nubes veniens» exhibetur, Danielem nullo modo significari. Verum tamen indicavimus jam istius modi viam ad id quod quaerimus, proximam esse et quasi compendiariam, rectaque ducere ad Filii hominis super nubes adventum de gloriosa parusia interpretandum.

Sed praeterea, si eum modum consideramus quo Tertullianus expendit et aestimat duos S Lucae locos (1), qui duobus illis respondent ubi S. Matthaeus «Filium hominis super nubes venientem» exhibet (2), vix poterit negari locum nostrum ab ipso Tertulliano reapse referri ad excelsum illud spectaculum a Daniele descriptum in quo idem Tertullianus gloriosam Filii hominis parusiam videt expressam.

Profecto, in IV contra Marcionem libro luctatur Tertullianus ipso Marcionis armatus evangelio, scilicet solo S. Lucae Evangelio, eodemque muti-

---

se pronuntians et non hominem, ignominiam hominis et nullificamen populi; quae ignobilitatis argumenta primo adventui competunt sicut sublimitatis secundo, cum fiet... lapis summus angularis... et petra sane illa apud Danihelem de monte praecisa quae imaginem saecularium regnorum comminuet et conteret. De quo adventu idem prophetes: *et ecce cum nubibus caeli tamquam filius hominis veniens venit usque ad veterem dierum*». *C. Marcionem* III, 7; ed. *Kroymann*, CV, v. 47, pp. 386-387.—Cfr. IV, 10; lc., pp. 446-448, et III, 24; lc., p. 421.

---

(1) XXI, 27 et XXII, 69.
(2) XXIV, 30 et XXVI, 64.

lato. Illud dum percurrit triumphans, ad synedrii consessum pervenit. Postea vero quam verba Salvatoris affert: «...abhinc erit filius hominis sedens ad dexteram virtutis Dei», adjungit Tertullianus: «Suggerebat enim se esse (de) Danihelis prophetia «filium hominis» et de psalmo David «sedentem ad dexteram Dei... &» (1). Jam vero, si Salvatoris verbis, prout a S. Luca notata sunt, nulla videlicet Salvatoris super nubes adventus significatione facta, Tertullianus vel ex solo usu verborum Filii hominis Danielem significatum putat, multo etiam magis significationem istam in S. Matthaei verbis inesse sine ulla dubitatione credidisset, in quibus non solum verba Filii hominis adhibentur, sed praeterea «Filius hominis super nubes veniens» iisdem fere verbis, quibus apud Danielem, eademque fere ratione describitur. Porro, quandoquidem S. Matthaeus eadem utitur oratione solemni qua usus est Daniel «veniendi scilicet super nubes», in ea autem Tertullianus gloriosam videt Filii hominis parusiam, ergo similiter apud S. Matthaeum eamdem parusiam significatam Tertullianus agnovisset.

Itaque eorum verborum e sermone eschatologico quae S. Lucas affert: «Et tunc videbunt filium hominis venientem de caelis cum plurima virtute... &» (2), qualis apud Tertullianum explicatio sit futura, supervacaneum jure videbitur notare. Pergit videlicet Tertullianus: «...hic erit dies magnus Domini et inlustris venientis de caelis filii hominis secundum Danihelem: ecce cum caeli nubibus tamquam filius hominis adveniens, &» (3).

---

(1) Cps. 41-42; ed. *Kroymann*, CV, v. 47, p. 562.
(2) Hoc modo verba Tertullianus affert, leviter immutata.
(3) *C. Marcionem* IV, cp. 39; lc., pp. 555-556.

Antequam in Orientem venimus, praestantissimi theologi primis III saeculi temporibus inter Romanae Ecclesiae theologos vocem atque sententiam audiamus necesse est; S. H i p p o l y t u m martyrem dicimus (235). Nihil tamen erit quare disputationis cursum retardemus Satis enim est si dicimus S. Justini vestigiis, quae prius erant S. Irenaeus ac Tertullianus persecuti, S. Hippolytum similiter insistere. Eodem igitur modo alterum Filii hominis adventum existimat apud Danielem esse praedictum; proinde «adventus ille super nubes» a Daniele descriptus S. Hippolyto videtur gloriosus Christi postremis temporibus adventus (1). Quapropter utrumque S. Matthaei locum, ubi Danielis contemplatio significatur eadem etiam adhibita loquendi ratione, S. Hippolyti sententiae maxime consentaneum est Danielis contemplationis lumine illustratum interpretari, propterea alterum Christi adventum utroque loco expressum videre. Porro, unus ex his duobus locis ille est qui verba refert a Salvatore coram synedrio pronuntiata (2).

Brevi quadam apud C l e m e n t e m A l e x a n d r i n u m illorum verborum ex S. Marco: «...a d e x t r i s s e d e n t e m v i r t u t i s» praetermissa explicatione, utpote in qua nihil ad propositum inesse videamus (3), ad O r i g e n e m placet accedere.

---

(1) Περὶ τοῦ Ἀντιχρίστου, cp. 44; ed. *Bonwetsch-Achelis*, CB, I, 2.ª pars, p. 28.—Cfr. cps. 25-26; lc., pp. 17-18.—E Danielis commentariis videri potest: IV, cps. 10-15; lc., 1.ª pars, p. 208 sqq.

(2) Alterum Christi adventum apud Danielem, celebri hoc loco, saepius adducto, agnoscere non videtur S. Cyprianus, etsi id non satis est clarum: Cfr. *Ad Quirinum, testimoniorum libri tres*, l. II, n. 26; ed. *Hartel*, CV, v. 3, pars 1.ª, pp. 92-93. Sed nihil ex hac re, nostra quidem sententia, concludi potest; quod ostendemus quum recentem quamdam interpretationem expendemus, quae, quia apud Danielem negat sermonem esse de parusia, idcirco negare etiam vult in Salvatoris verbis, nostro loco allatis, de parusia esse sermonem.

(3) Ὑποτυπώσεις, *Adumbrationes Cl. Alex. in ep. cath.*, II; ed. *Staehlin*, CB, v. 17 (III e Cl. operibus), p. 209.

Magni doctoris alexandrini, acerrimi omnium rerum investigatoris, etiam involutarum et occultissimarum, fieri non poterat quin nobile ingenium in hunc locum inquirens varias erueret sive adumbratas sive explicatas interpretationes quae multis possent in posterum prodesse. Miserabili casu graecum periit; solum autem latina quaedam exstant conversa de graecis, at satis obscura et diffluentia, quibus nec tuto fidem adjungere, nec porro sententiam possis, satis utique subtilem atque exquisitam, in bono lumine collocare. Itaque paulo tardius ingredi oportebit.

Primum quidem explicat Origenes membrum «sedentem a dextris virtutis»; videtur autem per translationem illud interpretari: «videtur autem mihi quoniam fundationem quamdam et firmitatem regalem significat sessio filii hominis..., et hanc fundationem aliquando videbunt etiam adversarii, postquam cum laetitia viderint eum beati» (1). Verbum aliquando ad postremum judicium respicere videtur; quidquid autem id est, prius quam hostes, videbunt certe beati «fundationem seu stabilitatem Filii hominis et firmitatem regiam». Alterius membri «venientem super nubibus caeli» verba super nubibus mavult Origenes «spiritualiter» interpretari: «Hae sunt vivae nubes prophetae Dei et apostoli Christi...» (2). Adventus potest omnino ipse Christi postremis temporibus adventus esse. Nihil est quod repugnet; quin immo, hic explicandi modus quasi fundamentum videtur certae cujusdam interpretationis «anagogicae seu spiritualis», quam Orige-

---

(1) *Matthäuserklärung*, II, *Die lateinische Übersetzung der Comm. Series*, 26, 64; ed. *Klostermann*, CB, v. 38 (XI ex operibus Or.), n. 111, pp. 231-232.

(2) L.c., p. 233.

nes suggerit, cunctarumque etiam animadversionum quas tum hic tum alias congerit (1).

Inter utriusque membri interpretationem «sedentem...» et «venientem...» interjicit Origenes temporis, quo Filius hominis videtur, explicationem, tametsi solum in rationem connexi, quam haec contemplatio cum membro «sedentem...» habet, considerationem intendit. Tempus istud per vocabulum amodo, graece ἀπ' ἄρτι, exprimitur. Quum tamen amodo valeat continuo, ex hoc tempore, alia id genus, vel, ut recentiore loquendi ratione utamur, ex nunc, sive ex hoc nunc, potestne dari hanc praedictionem iis etiam, qui verba Salvatoris audierunt, evenisse? Quippe, inquit Origenes; duasque affert explicationes.

Prima explicatio. — Amodo, hoc est, e tempore passionis, quoniam statim post illam Salvatoris discipuli viderunt eum a mortuis excitatum, propterea «ad dextram virtutis:» «...a tempore dispensationis, filius hominis sedit ad dextram virtutis, et viderunt eum discipuli ejus resurgentem a mortuis, et per hoc viderunt eum fundatum ad dextram

(1) Lc., pp. 58, 112 (cfr. 107-112), 234, &.—Obscura sunt profecto Origenis verba isto quem tractamus loco: «semper enim super illis (nubibus) et cum illis venit» (lc., p. 233): videlicet, «vivis nubibus prophetarum et apostolorum»; at notetur quod addit; «...ostendens suum adventum dignis se» (lc.). Quare quod singu'is diebus «veniens super nubes apostolorum et prophetarum, —eorum scilicet scripta *inspirata*—, Christus» ostendit, fortasse est aut saltem est etiam alter ejus adventus. super has Scripturae nubes venit Christus ut nos doceat atque in illis viri perfecti alterum Christi adventum fulgere perspiciunt (lc., pp. 58, 112). Ceterum, si quis aliorum causa locorum vellet adventum hoc loco indicatum esse etiam «spiritualem» quemdam in dies singulos adventum, aliquibus tantummodo manifestum, tunc illud solum erueretur quod Origenes, ut rationem afferat quare «spiritualem» notionem vocabuli *nubium* anteponat, arguit e Christi in dies singulos adventu qui semper fit super nubes et cum nubibus «spiritualibus».

v i r t u t i s...» (1). Ex quo videtur colligi verbum «videndi», etiam ad eos directum in quibus statim post passionem ad rem traducendum erit, spectare proprie seu *f o r m a l i t e r* ad universos synedrorum aequales, ad synedros autem ipsos vel generatim ad eos omnes, qui verba Salvatoris audierunt, *m a t e r i a l i t e r* tantum pertinere. Concludi etiam videtur vocabuli «videndi» vim atque notionem mera oculis videndi actione non circumscribi, vel potius non in sola oculis videndi actione consistere, sed in eo videndi actu qui latius pateat, valeatque pro «evidentia, certa cognitione &». Etenim, si accurate loqui volumus, a discipulis visum esse Jesum a mortuis excitatum, id est de quo proprie constat; ex hoc autem iidem discipuli, verbis praedictionibusque Jesu illustrati, ad ejus una cum Patre divinae gloriae perceptionem cognitionemque venerunt. Semper tamen hujus «visionis» seu cognitionis fundamentum actus est ille quo Filius hominis re ac veritate seu proprie videtur. Itaque, ut idem iteremus, videtur proprie Filius hominis a mortuis excitatus; hinc per Jesu affirmationes praedictionesque ejus «ad dextram virtutis» summi ac divini honoris cognitio habetur.

A l t e r a e x p l i c a t i o. — Altera vocabuli *a m o d o* explicatio subtilis est animumque sua novitate excitat. Nempe tempus interjectum inter mundi exordium et exitum, si aeternitatis lumine collustratum aspicitur, exiguum est; quasi dies unus. «Nihil ergo mirum est, quod hic dicit Salvator *a m o d o*, spatium esse brevissimum usque *t u n c* (= mundi exitum seu universi absolutionem et finem), in quo spatio dicebat: *v i d e b i t i s F i l i u m h o m i n i s s e d e n t e m a d e x t r i s v i r t u t i s*, ad illos qui tunc eum

(1) l.c., p. 232.

audiebant» (1). His verbis jacit Origenes fundamentum; usus in exemplo manifestus est: videlicet, a m o d o, hoc est, post exiguum tempus, vel, si placet, post punctum temporis a Christi morte hostes Christi eum videbunt ad dextram virtutis sedentem. Jam porro sedentem ita Christum ab ejus amicis ante judicium extremum conspectum iri altera haec explicatio neque affirmat neque negat. Id solum affirmat Jesum ab ejus hostibus conspiciendum esse, ad extremum saltem finemque mundi. At, vel hoc etiam modo, immensa vitae brevitas, quae in conspectu Dei quasi punctum est temporis aut unus dies, id efficit ut Domini sit vera praedictio, atque ut ex eo ipso passionis tempore Domini vaticinatio vere dici possit iis etiam, qui eam audierunt, evenisse, q u i p p e q u u m i n t r a d i e m a u t p u n c t u m t e m p o r i s c u n c t a e v e n i r e d e b e r e n t: vaticinatio et eventus, praedictio et veritas ipsa. Diximus «e tempore passionis», quia, in posteriore etiam explicatione, n u n c quod tractat Origenes, non videtur esse n u n c quoddam mathematicorum sive punctum temporis; nam, etsi tale esse potest si ratio temporis attenditur, manifesta nihilominus sententia demonstrat eos, qui per arcanum istud temporis punctum Christum viderint, non eum in posterum abjectum sed ad Patris dexteram sedentem atque gloriosum esse visuros. Ergo istud n u n c sive punctum temporis a passione numeratur. Praeterea videtur etiam Origenes in eadem hac altera explicatione

(1) Lc.—Haec post, continuo pergit Origenes: «...forte *tunc* (est) quando *dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum...*»; (hoc est, forte istud *tunc* tempus appellet verbis illis demonstratum «*donec ponam...*», «in quibus (inimicis erant et illi, ad quos dicebat *amodo videbitis*; inimicus enim erat et Caiphas qui insidiabatur Christo».—Haec nobis videtur simplex ac fere perspicua ratio totius loci declarandi qui secus perturbat et aenigmati paene similis apparet.

verbo «videndi» vim notionemque subjecisse «oculis ipsis intuendi» (1).

Antequam in saeculum IV ingredimur, ignoti scriptum auctoris, ad pugnam compositum, commemoremus oportet, quod, III saeculo vertente, ortum in Syria ad Septentrionem videtur habuisse: «Adamantium» dicimus seu «Derecta in Deum fide» (2). Auctor non videtur in doctis valde eruditisque numerandus, verum salubri doctrina est excultus recteque sentit. Postquam de Origene loquuti sumus, oportune nobis cadit ut notemus ab auctore «Adamantii» duos Christi adventus, prisco et usitato more, describi; alterum vero probari tum S. Pauli prolato quodam loco (3), tum celeberrima etiam Danielis contemplatione (4), tum versu quodam ex S. Matthaei Evangelio sumpto (5). Loci Danielis interpretatio indicat sane quemadmodum idem auctor verba Christi coram Caipha esset interpretatus.

Saeculis IV-V

Quo facilius explicatio procedat, Orientem et Occidentem separatim proponemus. Monumentorum paulo majorem copiam, quod est consentaneum, in aurea Sanctorum Patrum aetate reperiemus.

(1) Antequam ab Origene discedimus, rem sane raram notare volumus. Mirum profecto est Origenem neque quum locum nostrum interpretatur, quae erat occasio aptissima, neque quum S. Matthaei cp. XXIV explicat, quae erat non modo apta verum etiam occasio fere necessaria quod ibi Origenes Scripturarum locos, ubi sermo est de nubibus, congerat, neque tandem aliis scriptorum suorum quae quidem constent locis, ullo umquam modo celeberrimam Danielis significare descriptionem (VII, 13). Versus quosdam proximos interdum attingit et profert, exempli causa v. 10; at a v. 13 dixeris eum declinare constanter. Per nobis id mirum videtur, neque tamen explicatio apta succurrit.

(2) Ed. *van de Sande Bakhuyzen*, CB, v. I.

(3) I *ad Thess.* IV, 16-17.

(4) VII, 13.

(5) XXIV, 27.—Cfr. *Adamantium*, lc., pp. 48-50.

In Occidente nova quaedam notare licet. Primum nominemus J u v e n c u m (330) qui de altero Christi adventu locum nostrum interpretatur, qui etiam de Christo videndo, notione vera et propria verbi «videndi», plane loqui videtur (1); eoque commemorato, ad S. H i l a r i u m directo transeamus.

Imprimis S. Doctor membrum illud «venientem cum nubibus» ad alterum Christi refert adventum (2). Simul etiam illius obscuri vocabuli a m o d o explicationem quamdam proponit; cujus rei causa omittit verba illa «venientem cum nubibus», retinetque solum antecedentia «sedentem a dextris virtutis». Quod ad nos attinet, quid S. Hilarius sentiat, plane perspici potest in hac brevi illustrique sententia: «...filius hominis a m o d o adsidens virtutis dextris est videndus, quia natura carnis, post resurrectionem glorificata, ad profectum ejus, quam antea habuerat, claritatis provehebatur» (3). Quapropter verbo a m o d o subjicitur notio vulgaris et plana, praesentem rerum statum declarans brevi tempore convertendum, videlicet sanctissimam Salvatoris passionem, quam post extemplo eadem Christi Humanitas, gloria et splendore decorata, ad Patris dextram sedebit. Quicumque igitur illam in posterum viderint, magnifico isto splendore et gloria decoratam videbunt: F i l i u s h o m i n i s a m o d o a d s i d e n s v i r t u t i s d e x t r i s e s t v i d e n d u s.

Idem sonare videntur F o r t u n a t i a n i ver-

(1) «...veniet vobis visenda per auras/Maiestas prolis hominis, cum dextera sanctae/Virtuti adsidet sub nubibus ignicoloris...». *Evang.* l. IV, vv 557-559; ed. *Huemer,* CV, v. 24, p. 135.

(2) *In Psalm.* II, nn. 25-26; ed. *Zingerle,* CV, v. 22. p. 56-57.— Cfr. *De Trinit.* X, nn. 31, 33; ML 10, 369. Numero 33, mendo quodam apud Migne obscuratur paene sententia: «cum caeli est nubibus *reversus*»; legi debet *reversurus.* Cfr. v. gr. «Collectio selecta SS. Eccl. PP.», ed. *Caillau-Guillon,* t. 26, 397.

(3) Lc., n. 27, p. 58.

ba, aut illius, quisquis est, auctoris brevis cujusdam commentarii qui medio saeculo IV. ortus videtur. Postea quam similis e S. Marci Evangelio loci primum membrum adduxit: «...filium hominis sedentem a dextris virtutis», adjungit interpres: «Ostendit quia vidit illum Stephanus, vidit et Saulus quando prostratus fuit in via, viderunt et alii plures» (1). Quibus verbis significare videtur Filium hominis, transacta passione, jam non esse videndum nisi gloria et majestate clarum; propterea, tum de videndo proprie ipsis oculis Filio hominis esse sermonem, tum etiam temporis initium, vocabulo illo **amodo** a S. Matthaeo notatum, statim. Salvatoris absoluta passione, esse numerandum.

Toto S. Lucae commentario nullum apud S. Ambrosium initium explicationis occurrit. At in opusculo De Jacob et vita beata (2) fulget parumper tenue saltem indicium vim illius vocis amodo declarans: nempe eamdem illam quam primum in Origene, deinde in S. Hilario invenimus. Ut duo hi magni doctores fecerunt, similiter S. Ambrosius vocem amodo explicat, considerata solum ejus connexione cum primo verborum Domini membro: «sedentem a dextris virtutis». Scribit enim: «Loquebatur Jacob et Deus audiebatur. Ille benedicebat et Dominus personabat dicens filio: ad me revertere, hoc est, post passionem revertere; revertere ad sedem tuam, revertere cum trophaeo, revertere ad me... ut ad dexteram sedeas Patris. Unde et Filius dixit: Amodo videbitis filium hominis sedentem ad dexteram virtutis» (3).

---

(1) In operibus S. Hieronymo falso adscriptis: ML 30, 566.
(2) Ed. *Schenkl*, CV, v. 32, pars altera, p. 1 sqq.
(3) Lc., n. 41, p. 58

Neque Doctor ipse Maximus in S. Matthaei commentariis quidquam indicat aut suggerit. Solum per Danielis commentarios, quorum VII capite gloriosum Filii hominis adventum significatum agnoscit (1), perspicimus, circuitione quadam et anfractu, quo etiam modo S. Hieronymus nostrum locum interpretatus esset. Verum quum S. Matthaeum exponit, in alias cogitationes intentus S. Doctor rem nostram penitus transilit.

Ex quo tempore nactus Origenes locorum, quibus «Christus super nubes veniens» exhibetur, occasionem, interpretationes quasdam «spirituales» sive per translationem compositas exposuit, volitabat istud cogitandi genus et quasi vagabatur; quapropter facilius evenit ut circum nostrum locum verteretur atque concresceret. Videbimus in Oriente aliquod exemplum; idem, fortasse longius progressum, in Occidente reperimus.

Ineunte fere saeculo V, Romae fortasse in ipsa urbe, commentarius quidam S. Marci scriptus videtur, ipsi S. Hieronymo a nonnullis attributus (2). Ejus auctor adventum Christi super nubes de postremo quidem adventu interpretatur, verum nubes istae sunt ipsa Ecclesia: «...cum multiformi Ecclesia, quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, ad judicium venturus est» (3).

Multo longius progreditur S. Augustinus, ut ipsum Christi adventum interpretetur «de adventu suo per ecclesiam, in qua usque ad finem mundi venire non cessat —in suis enim veniens agnoscitur, dum ejus cotidie membra nascuntur, de quo adventu ait: Amodo videbitis

---

(1) *In Dan*, 7, 11-13; ML 25, 533.

(2) *Bardenhewer, Gesch. der altkirch Liter.* III, 2 Teil, cp. 3, § 42, n. 6, b.

(3) ML 30, 635.—Commentarius iste aevo medio quasi commentarius S. Hieronymi adducitur. Cfr. v. gr. *Glossam ordinariam* in S. Marci comm.: ML 114, 234.

filium hominis venientem in nubibus, de quibus nubibus dictum est per prophetam: Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam» (1). Itaque S. Augustini judicio sermo nullus est hoc loco apud S. Matthaeum de postremo ipsius Christi adventu, vocabulum vero amodo tempus significat post passionem; qua quidem altera affirmatione S. Augustinus cum magnis ex Oriente et Occidente Doctoribus congruit. Ceterum in hac interpretatione omnia ex translatione dicuntur. Neque tamen ea est apud S. Augustinum solum significata aut quasi per transennam indicata sententia, sed stabilita et fixa interpretatio quam exponit interdum S. Doctor (2), significat alias (3). Quod si Christi super nubes adventu declarando, prout in eschatologico sermone describitur, interpretationem ex translatione factam S. Augustinus sub disjunctione tantum proponit, eam vero, quae proprium ipsius Christi adventum asserit, affirmat promptiodem (4), id tamen non sine multis cautionibus praestat, gravibus quibusdam objectis, illo etiam ad extremum adducto fieri posse «ut fortasse omnia, quae ab his tribus evangelistis dicta sunt de ejus adventu, diligentius inter se collata atque discussa inveniantur ad hoc pertinere, quod cotidie venit in corpore suo, quod est ecclesia, de quo adventu suo dixit: Amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis et venientem in nu-

(1) *Ep.* 199, *de fine saeculi*, n. 25; ed. *Goldbacher*, CV, v. 57, pp 265-266.—Interpretatio ista apud Tyconium donatistam (370-380) reperitur, in *Libro Regularum* quas in opusculo *De Doctrina christiana* (l. III, cps. 30-37; ML 34, 81 sqq. S. Augustinus enucleavit. Cfr. *Regulas* I et IV, ed. *Burkitt* apud «Texts and Studies» by Armitage Robinson, v. III, n. 1.°, *The Rules of Tyconius*, pp. 4-5, 43.

(2) Praeter locum supra adductum, cfr. ibidem: n. 41, 279; n 45, p. 283.

(3) Obscurius in *QQ. Evang.*, l. I, q. 38; ML 35, 1330.

(4) *Ep.* 199, *de fine saeculi*, n. 42; lc., p. 280.

bibus caeli» (1). Solum manifesti quidam loci excipiendi videntur (2).

Quotiescumque S. Augustinus loquitur, percellit semper et commovet. Quamvis tam parum expedita et plana haec S. Augustini interpretatio esse videatur, fecit tamen sibi apud nonnullos audientiam, atque id saltem est adepta ut cum reverentia per diuturnum tempus adduceretur. Nihilominus nostro tempore an alicui auctori probetur, recte dubitari potest. Etenim S. Augustini interpretatio, quod erga tantum Doctorem debito cum honore dicamus, subtile quid et argutum, nihil amplius, videtur.

Nec tamen ita judicavit S. Eucherius, Episcopus Lugdunensis (450-455), vir de Claudiani Mamerti sententia, qui eum viventi doctrina, et praesentaneis coram disputationibus sibi cognitum esse gloriatur, ingenii subtilissimus, scientiae plenus, immo vero magnorum saeculi sui pontificum longe maximus (3). Itaque quam S. Augustinus saepius proposuerat, S. Eucherius exponit illustri brevitate sententiam, eamque, quod ad locum nostrum attinet, in I libro Instructionum probat. Recedit tamen a S. Doctore quod in sermone eschatologico ipsum inesse proprium Christi adventum sine ambiguitate fateatur: «In illo ad-

(1) l.c., n. 45, p. 283.

(2) l.c.—Curiositatis causa rarum hunc perque mirum locum afferamus licet, ex oratione decerptum quae in dubiis S. Augustini et S. Fulgentii operibus reperitur, quum tamen neutri possit adjudicari. Aestimet id, quaeso, lector: «Cum enim diceret Dominus Noster Jesus Christus suspensus in cruce *Amen dico vobis, amodo videbitis caelos apertos et Filium hominis stantem ad dexteram Patris*, clamavit Caiphas dicens *Blasphemavit...*»: In S. Augustini operibus, *Appendix, Serm.* 214, n. 4; ML 39, 2143.—In operibus etiam S. Fulgentii, *Appendix Serm.* III; ML 65, 861.

(3) *De statu animae*, II, 9; ed. *Engelbrecht*, CV, v. 11, p. 135.

ventu Amodo videbitis...) per membra sua Christus venit, in hoc per se ipsum (1).

Si S. Augustini verba, quod est probabile, ad magnum usque Pontificem S. Leonem pervenerunt, nihil admodum illius animum mentemque pepulerunt. Domini Nostri coram synedrio verba, prout a S. Matthaeo exprimuntur, S. Leo in oratione quadam de passione, quod initio diximus, simpliciter profert, nulla prorsus adjuncta explanatione. At, vel id solum quod explicationes nullas adhibet, S. Leonis videtur indicare sententiam. Quid enim de Christi super nubes adventu multitudo illa intelligeret, quae dicentem Pontificem circumstabat, nisi id quod, modo ne quis abditis quibusdam sapientioribusque meditationibus indulgeat, sua sponte succurrit, alterum videlicet atque gloriosum Domini adventum? Ceterum, totum illud interpretandi subtile atque argutum genus, translationibus frequens, quod S. Augustinus libenter usurpat, in magnum illum Pontificem non bene cecidisset.

Ad Orientem accedamus, atque Eusebio nominato, qui in celebri Danielis descriptione VII, 13, alterum Christi adventum manifesto demonstratum putat (2), a magno Athanasio capiamus exordium, qui quidem in libro De Incarnatione Verbi alterum Christi judicis gloriosumque describit adventum. Ad cujus confirmationem tamquam manifestum adducit locum illum S. Matthaei in quo Jesu verba coram Caipha continentur. Locum simpliciter affert, nulla apposita explicatione; quod perspicuo est indicio alterum eo loco Christi adventum S. Athanasio sine dubitatione significatum videri. At praeter istud,

(1) N. 12; ed. *Wotke*, CV, v. 31 (pars 1.a), p. 109.

(2) Multis locis, v. gr. *Demonstr. evang.*, IX, cp. 17; ed. *Ivar A. Heikel*, CB, v. 23, p. 240.—*Ib.*, I. XV fragm., 3; lc., p. 405 ubi Danielis locum cum S. Matthaeo XXV, 31-32, confert; &.,&.

nihil aliud colligi potest; illud vero quasi arcanum ἀπ' ἄρτι quod Origenem adeo percellebat, S. Athanasius sine ulla explicatione integrum relinquit (1).

Ex iis, quae cognoscimus, S. Ephraem afferre non audemus. In «Diatessaron» commentariis, Tatiani potius videtur exprimere sententiam, proinde alterum Christi adventum in Jesu veıbis coram Caipha ponere (2).

Sanctus etiam Chrysostomus locum S. Matthaei singulari brevitate interpretatur. De videndo Filio hominis nihil exponit, neque Danielis locum VII, 13, significatum hic asserit vel ullo ınodo indicat. At verba illa «veniemtem in nubibus caeli» ad alterum adventum manifesto refert. Ita enim scribit: «Cur vero Christus ita respondit? Ut omnem ipsis tolleret defensionem; nam usque ad ultimam horam docuerat se esse Christum, a dextris Patris sedere, et venturum denuo esse ut judicet orbem...» (3). Itaque ex his tribus affirmationibus, quae Christi verbis continentur, ad postremum usque diem a Domino constanter iteratis, duae quiddam asserunt praesens: «Jesum esse Christum atque a Patris dextris sedere»; tertia vero rem enuntiat futuram: «alterum Christi adventum ad humanum genus judicandum». Vox ἀπ' ἄρτι non explicatur, sed

---

(1) N. 56, MG 25, 196.—In dubiis S. Athanasii operibus *QQ. ad Antiochum ducem* continentur, ignotorum scriptorum sera collectio. In celebri Danielis contemplatione alter Christi adventus tamquam manifesto descriptus exhibetur: n. 12; MG 28, 697, 700.

(2) Cfr. quae supra de Tatiano disputavimus, Nihilominus de hac re non plane constat. Saepenumero quidem in versibus 9 et 10 e Danielis capite VII postremum judicium S. Ephraem agnoscit; at vix umquam v. 13 adducit. Tamquam exceptio videri potest «In sermonem quem dixit Dominus quod in mundo pressuram habebitis...», ed. *Assemani*, t. III. (graec. et lat.), p. 290. Praeterea, quum Danielem exponit, in vv 9 et 10 postremum judicium agnoscit, at in v. 13 non videtur

(3) *Hom.* 84, n. 3; MG 58, 754-755.

ideo quia ejus vis atque notio in expositione loci XXIII, 39, breviter fuerat dilucideque constituta Dixerat enim S. Chrysostomus, quum verba illa declaravit «...non videbitis amodo donec dicatis Benedictus qui venit in nomine Domini»: «Quid igitur? an ex illo tempore non ultra viderunt eum? Sed illud amodo non illam horam significat, sed totum tempus illud quod usque ad crucen intercedit» (1). Itaque, quod in S. Hilario exponendo monuimus, vocabulo amodo notio subjicitur vulgaris et plana, praesentem rerum statum demonstrans, brevi tempore commutandum, sanctissimam videlicet Salvatoris usque ad mortem in cruce passionem.

Praeter S. Joannem Chrysostomum duo alia Orientis clarissima lumina per aureum Sanctorum Patrum tempus elucent, suaque locum nostrum luce collustrant: S. Cyrillus Alexandrinus et Theodoretus.

S. Cyrillus Alexandrinus tum S. Matthaei locum tum eum qui apud S. Lucam respondet, aliquoties interpretatur. Verum omnis ejus praecipua cura post controversiam cum Nestorio in una Christi persona, ante controversiam in Christi divinitate versatur. Propterea, etiamsi totum locum adducat, interpretatio tamen aut praecipue aut solum fere verbis illis continetur: «videbitis Filium hominis sedentem ad dextram virtutis Dei». Sic se res habet exempli causa in Thesauro de sancta et consubstantiali Trinitate (2) adversus Arium ante annum 429 composito; sic in Oratione ad Dominas (3), quae in media contra Nes-

(1) *Hom.* 74. n. 3; MG 58, 683.
(2) *Assertio* 32; MG 75, 529.
(3) N. 110; *Concil. univ. Eph.*, *Acta Concil. Oec.*, v. I, pars V, ed. *Schwartz*. p. 89; cfr. n. 132, p. 94, ubi exponitur S. Lucae locus XXII, 66-69.

torium pugna in lucem prodiit. Neve ex his locis neve ex aliis similibus lucis quidquam afferri potest ad eschatologicam nostri loci rationem intelligendam. Solum ex allato postremo loco elici videtur «videndi» vocabulo, etiam quum ad primum membrum «sedentem ad dextram virtutis Dei» refertur. propriam re vera subjectam esse videndi notionem; propterea de videndo proprie Filio hominis sermonem esse, non autem solum de videndis mirabilibus quibusdam, unde Jesum Messiam atque Dei filium esse noscamus: Filius hominis «...καὶ συνεδρεύει τῷ φύσαντι καὶ ἐν τοῖς τῆς θεότητος ἀξιώμασιν ἐμπρέπων ὁρᾶται, κἂν σὰ[illegible] γέγονε σάρξ». Aliquanto magis ad nostram conferunt causam S. Matthaei commentarii qui S. Doctori adscribuntur et mutili ad nos usque pervenerunt. De versu 64 e capite XXVI satis magna pars exstat (1). Verum dimidio plus de S. Chrysostomo ad verbum est paene descriptum; in reliquis vero (2) primum verborum Christi membrum: «Videbitis amodo Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei» tantummodo explicatur, neque ea explicatione alter Christi adventus ullo modo significari videtur. His tamen paucis versibus illustrem illius arcani ἀπ' ἄρτι explicationem S. Doctor exponit, in summa ipsa non dissimilem explicationi quam a S. Chrysostomo audivimus. Scilicet ἀπ' ἄρτι breve definitumque tempus ostendit, quod ab initio passionis pertinet «usque ad pretiosam crucem. Postmodo enim ad pristinum meum recurram honorem, ascendam ad gloriam quam habui ab initio, consors throni ero Dei ac Patris etiam cum carne» (3).

(1) MG 72, 460-461.
(2) Col. 460, media fere columna.
(3) *Ibid.*, col. 460.—Eadem paene verba leguntur in S Lucae commentario XXII, 69: MG 72, 932.

In egregiis Danielis commentariis celebrem vatis descriptionem VII, 13, Theodoretus exponit, qua «ecce cum nubibus caeli quasi Filius hominis venire» describitur. Et primum quidem Danielis locum affert, post autem cum alia quaedam attingit, tum haec ait: «...Quod enim in Evangeliis Dominus ait: Videbitis Filium hominis venientem in nubibus caeli cum angelis suis; et beatus Paulus: Quoniam Dominus cum celeusmate... &.: hoc aperte nos docuit beatus Daniel, secundum Salvatoris vaticinans adventum» (1). Ergo Theodoretus Danielis loco alterum Christi adventum manifesto praedici putat. De illius sententia, quod Dominus noster Paulusque dixerunt, idem nos Daniel perspicue docuit. Ex Evangeliis memoria, ut videtur, quaedam repetit quae nullum certum locum accurate exprimere videntur; at ratio tamen ac modus, quo Theodoretus rem memoria repetit, indicare videtur verba illa «venientem in nubibus caeli» de altero Christi adventu ab eo intelligi. Perspicuitate simili, aliis etiam locis adductis, scribit Theodoretus in eximio opere «Haereticarum fabularum Compendio» (2).

Si cum S. Cyrillo ac Theodoreto conferuntur, obscurantur ceteri. Verum nefas silentio eos omnino praeteriri.

Nominemus imprimis Ἀποκριτικόν (3), quae est quatuor libris adversus Graecos elaborata defensio, cujus tamen auctorem nostris etiam temporibus aenigma quoddam esse dixeris. Prodiisse videtur in lucem intra priores IV saeculi et prio-

(1) *In Dan.* VII, 13-14; MG 81, 1425.
(2) L. V., cp. 22; MG 83, 521, 524.
(3) Ed. *Blondel,* Paris 1876.—Contrarias rationes collegit atque iterum edidit Harnack: TU, Heft 4, pp. 20-94.

res etiam V saeculi annos. Solet autem opus adscribi M a c a r i o cuidam M a g n e t i, Episcopo forte Magnesiae sive Cariae sive Lydiae anno fere 403. 'Αποκριτικός graeca lingua conclusus, nondum satis lectoribus patet, quum tamen cognitione dignus existat; nam eo modo objectis rationibus respondet, de Porphyrio fortasse deprompitis (1), qui virum ostendit eruditum et clarum. Ergo acutus Macarii adversarius vehementer irridet locum illum S. Pauli 'Ημεῖς οἱ ζῶντες... ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις (2) sive ἐν νεφέλῃ, prout ab opponente locus affertur, qui continuo declarat quam esset monstruosum et insanum ingentis hominum multitudinis spectaculum, nubis vehiculo aera tamquam mare, avium instar, transeuntium; arguit deinde S. Paulum de manifesto mendacio quod asseruerit 'Ημεῖς οἱ ζῶντες, etc. quum ex eo tempore, quo ista dixit, 300 jam anni effluxerint, neque tamen quidquam alicubi, ne ipse quidem S. Paulus, raptum fuerit (3).

In longa Macarii responsione, quae Origeni resonare satis videtur, est re vera nonnulla admiratio. Nubes putat angelos, aitque a S. Paulo «nubibus naturam angelicam esse expressam propter agendi vim similem»: ut enim nubes tum sublime feruntur tum ipsam terram magna humilitate contingunt, sic angeli modo descendunt in terram obtemperantes Deo, modo munere perfuncti in caelum revertuntur. In locis ad propositum allatis numeratur hic: «... e t e c c e c u m n u b i b u s c a e l i q u a s i F i l i u s h o m i n i s v e n i e b a t , hoc est, cum angelis. Ut autem noverimus a Daniele angelos, quibuscum Filius hominis ve-

(1) Forte ex summa quadam ipsius operis Porphyrii. Cfr. Harnack lc., p. 107 sqq.
(2) I *ad Thess.* IV, 17.
(3) Ed. *Blondel*, lc.

niebat, ἀλληγορικῶς, esse nuncupatos, ait Evangelista: Cum venerit Filius hominis et omnes angeli cum eo. Declarat enim quinam sint apud Danielem nubes, quibuscum Filius hominis venerit, nominatis angelis illo (loco) Cum venerit Filius hominis et omnes angeli cum eo» (1). Ut Macarii argumentum valeat, uterque locus adductus ad unum idemque referendus est; quum vero postremus alterum Christi adventum sine ulla dubitatione demonstret, ergo similiter etiam primus. Quare de Macarii sententia aliquo vero modo alter Christi adventus in Danielis desscriptione exhibetur; propterea Christi coram Caipha verba, quae sunt Danielis incorrupta imago, eumdem etiam adventum significare dicenda sunt (2).

Saeculo fere dimidiato post 'Αποκριτικόν prodiise videtur in lucem commentarius S. Marci, Victori cuidam (c. 450), presbytero antiocheno adscriptus totusque alienis paene textus.

---

(1) Ed. *Blondel*, l IV, cp. 12, pp. 174-175.

(2) Credideris nostrum locum capite 19 libri II explicari quod est totum ad contrariam quamdam rationem dissolvendam comparatum, celeberrimam inter rationes a gentibus objectas et jam ab Origene docte copioseque tractatam. Contraria ista ratio, capite 14 exposita, id vehementius et acrius premit quam ob rem Christus a mortuis excitatus, paucis tantum se ostenderit iisque ignobilibus, quorum erant nonnullae etiam feminae, Pilato autem, Herodi, Caiphae, iis generatim quorum spectata fides esset atque religio, synedrio praesertim populoque romano nullus apparuerit, «quamvis asseruerit Matthaeus (Jesum) Summo Judaeorum Pontifici praedixisse *Amodo videbitis Filium hominis sedentem in dextra virtutis et venientem cum nubibus*» (lc., p. 23). En ipse, quem tractamus, locus proprie nominatur. Erat igitur oportunitas dicendi quae ad rem nostram esse poterant utilia; verum neque ab opponente urgetur eschatologica loci sententia, sed id solum quod Christus clarioribus personis non apparuit, neque ulla de re sollicitus est Macarius nisi de ea solum quam adversarius versat (lc., pp. 33-36). Licebitne igitur nobis illud adjungere sollicitudinum aculeis et scrupulis, quibus recentiores isti *Videntes* anguntur, veteres tum christianos tum minime christianos non admodum stimulari atque pungi, neque iis, quas isti jactant, magnis evidentiis ac perspicuitatibus percelli et commoveri?

Inter duos S. Joannis Chrysostomi locos, ex homilia nuper allata depromptos, versus quidam compositoris, quasi nodus ac vinculum continuationis, apparent. In his igitur interjectis versibus, post indicatam Summi Sacerdotis interrogationem, prout a S. Marco adducitur, clarissimamque illam «Ego sum» Jesu responsionem, continuo Victor adjungit: «Addit autem (Jesus) quae ad judicium spectant, caelesti se gloria φαινόμενον minitans illos esse visuros» (1). Integra Salvatoris verba non afferuntur, at perspicuum est utrumque aut alterutrum membrum, ex quo Jesu responsio constat, ad postremum spectare judicium; tunc autem planum videtur de altero membro idem esse dicendum, praesertim quum sic se res habeat eo S. Joannis Chrysostomi loco, a nobis antea declarato, quem continuo post Victor adducit. Similiter constat etiam «videndi» verbo propriam oculis videndi subjectam esse notionem.

Victoris est aequalis Hesychius Hierosolymitanus (c. 450). Doctus hic et pius auctor locum S. Matthaei, praecipue vocem ἀπ' ἄρτι, breviter explicat seu potius leviter attingit atque significat. Ejus interpretatio, si interpretatio dici potest, obscurissima est, animumque sua obscuritate defatigat. In omni autem summa Hesychius vocem ἀπ' ἄρτι de ipsa passione aut de puncto temporis proxime subsequente interpretari videtur. Ut ad Hesychii sententiam propius

(1) Ed. *Cramer*, t. I, p. 430—P. Theodorus Pelten locum ita vertit in latinum —ac fere explanat—, liberius ille quidem: «*Ego sum, et videbitis Filium hominis...*, &. Dominus manifestae divinitatis suae assertioni ea adjungit quae pertinent ad universalis judicii statum... Cum ergo dicit. *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*, denuntiat Judaeos gloriam et majestatem, qua circumdatus e caelo ad terram sub saeculi finem descendet, certo conspecturos»: *Victoris Antiocheni in Marcum, et Titi Bostrorum Episcopi in Ev. Lucae commentarii...*; ed. *Theodori Peltani*, Ingolstadii 1580, pp. 278-279.

accedamus, animadvertamus necesse est nihil e S. Matthaei loco Hesychii interesse nisi divinitatis Christi probationem. Propterea illis verbis «sedentem a dextris Dei» contentus est, praeteritque totum illud de *videndo*, quasi non existeret. Scribit autem: «...verum cognosce quia qui inferius crucifixus est in carne, in caelo est divinitate; et propterea principibus sacerdotum judicantibus eum et crucifixuris, dicebat *Dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris Dei*. Quod autem dixit *amodo*, ostendentis fuit, quia quo tempore vitulus immolabatur in inferioribus, eo tempore ut Pontifex ipse sibi sacrificium offerret in caelo» (1). Similiter et si dicat: «Nunc me cruci suffigetis: itaque nunc quoque ad Dei dextram sedebo; proinde, nunc me immolabitis: itaque nunc quoque, scilicet hoc eodem tempore, sacrificium, quod vos in terra facietis, ipse mihi in caelo tamquam Pontifex offeram». Quum Hesychius ipsum «venire in nubibus caeli» penitus omittat, dici non potest eum hac in re ordinem seriemque traditionis infringere, minimeque in his verbis alterum gloriosumque Christi adventum videre. Verum nova utique videtur ingredi via, quum vocem *amodo* intelligit modo tam restricto et quasi mathematico, aut saltem modo tam miro: miro quidem, si ipsum passionis tempus significet et includat; restricto et quasi mathematico, si aut punctum ipsum temporis, quo immolatus est Jesus, ostendat, aut proxime subsequens quo sibi se ipse tamquam Pontifex victimam immolatam offert. His omnibus accedit ut graecum desit; quod si lector permittet, illud addemus de commentariis, quibus hic locus Hesychii continetur, non tanta, quanta de aliis ejusdem auctoris operibus,

(1) *In Levit.*, l. I, cp. IV, vv. 1-12; MG 93, 823.

firmitate constare. At verebamur ne locum antiquum, quo novum quiddam ad propositam causam continetur, penitus omitteremus (1).

II

A saeculo VI ad saeculum VIII

Totum hoc tempus, si nostram respicimus quaestionem, tum in Oriente tum in Occidente deserta quaedam solitudo videtur. Solum medio saeculo VII eoque vertente (2) rumores quidam interpretationis de nonnullis viris, memoria dignis, perferuntur: est in his magnus ille martyr Sanctus Maximus (662); numeratur alter, notus ille ac saepius adductus compositor potius quam interpres Petrus Laodicenus (medium saeculum VII); exeunte autem VII saeculo, longinquos nobis reddit sonitus mons Sina per celebrem ejusdem nominis Abbatem, Anastasium Sinaitam (c. 700). Singulos quasi per transennam audiamus.

---

(1) De adscribendo necne hoc opere Hesychio cfr. *A. Vaccari*, «*Esichio di Gerusalemme e il suo Comm. in Levit.*» apud *Bessarione*, v. 24, 1918, p. 8 sqq.—Eidem Hesychio adscribitur «Collectio difficultatum et solutionum...» ad plures Evangelii locos (MG 93, 1391 sqq.). In eo S. Matthaei loco explicando *Non me videbitis amodo donec dicatis*; *Benedictus qui venit in nomine Domini*, duas Hesychius explicationes affert vocis ἀπ' ἄρτι In priore verba intelligit secundum temporis ordinem a S. Luca indicatum, proinde quasi ante gloriosam Hierosolymae ingressionen essent prolata; quo fit ut ἀπ' ἄρτι tempus significet usque ad diem festum ramorum interjectum. In posteriore vero ἀπ' ἄρτι demonstrat reliquum Domini nostri vitae tempus, ipsa passione non excepta, post quod «Judaei non amplius cernent eum, donec in gloria paterna judicium de mundo ferentem conspicati, dicant: *Benedictus qui venit in nomine Domini*» (lc., cols. 1413-1416). Si ad hujus loci exemplum verba Christi coram synedrio posteriore hac explicatione exponuntur, Sanctorum Chrysostomi, Hilarii, Cyrilli interpretationem confirmatam videremus, totumque locum expositum via et ratione simplici, plana.

(2) *Procopius Gazaeus* (528) affert interdum Salvatoris verba, nulla apposita explanatione. Cfr. v. gr. *In Isai.*, cp. 37, vv. 1-7 et cp. 53; MG 87, (2), 2313, 2525.

S. Maximi vox circuitione tantum quadam et anfractu ad nos pervenit per Danielis commentarium de Filio hominis VII, 13, in quo S. Martyr postremum judicium definitum plane descriptumque esse arbitratur (1).

Petrus Laodicenus planius et apertius significare non potest alterum Christi adventum sibi in cunctis Jesu verbis expressum videri. Sed totam rem non admodum enucleat. Vocem quidem ἀπ' ἄρτι in interpretatione XXIII, 39, ad S. Chrysostomi normam bdeviter dilucideque explicat (2) cetera tamen vix attingit. At illud saltem ex illius sententia elici videtur sermonem de videndo proprie Filio hominis, oculis scilicet corporis, haberi. Quidquid autem est, utique Petri testimonium magno aestimandum est. vel ob eam rem solum quod nihil aliud facit nisi communem tradit pervagatamque sententiam (3).

Strenuus fidei defensor, Anastasius Sinaita, longum nobis prodit locum e dialogo «Adamantius» tamquam Origenis proprium, eumdem quem nos supra adduximus, in quo, ut antea vidimus, alter Christi adventus probatur tum aliis locis tum eo Danielis loco de adventu super nubes «quasi Filii hominis», saepius allato (4).

Occidentis partes majori etiam ratione quam Orientis nihil in hac quaestione videntur nisi litus atque aer et solitudo mera. Antequam in Oriente Patrum aetas extinguitur, extra fines tamen qui-

(1) *Liber asceticus*, n. 27; MG 90, 933.

(2) *Beiträge zur Gesch. u. Erklärung des N. T.—V. Des Petrus von Laodicea Erklär. des Matthäusevang.*; ed. *Heinrici*, 1908, p. 270.

(3) I.c., p. 316.—Petrus Laodicensis, quod animadversione dignum est, aperte asserit Davidis Danielisque vaticinationem a Christo Domino synedris esse in memoriam reductam.

(4) *Quaestiones*, q. 48; MG 89, 605.—Anastasius liberius exprimit locum ex «Adamantio», postrema verba praesertim. Perpendatur potius graecum oportet.

bus in Occidente illa terminatur, parva ex S. Beda nobis afflatur aura rumoris. Magnus hic vir, in Ecclesiae Patribus paene numerandus, locum quidem nostrum interpretatur, eo tamen modo ut definire certo nescias utrum «adventus Christi super nubes», tali loco significatus, in re sit an in translatione ponendus. Prior tamen sententia videtur esse probabilior, nam adhibitus a S. Beda sermo, de S. Hilario, verbum e verbo, levi immutatione describitur. Sanctus vero Hilarius rem sine translatione intelligit (1).

Conclusiones

Quae adhuc diximus, manifesto demonstrant nobis integrum non esse totius loci e S. Matthaeo interpretationem aliquam proponere Patrum auctoritate firmiter constanterque nixam. At saltem plane perspicitur quibusdam interpretationis elementis, minimum duobus, priores partes a Patribus deferri.

1. Et primum quidem, arcanae illi voci ἀπ' ἄρτι notio subjicitur vulgaris et plana, ea nimirum qua tamquam terminus «a quo» passio statuitur, post quam passionem Jesus deinceps non jam inglorius atque ignobilis, sed majestate clarus apparebit. Ipse Origenes in utraque sua explicatione notionem hanc videtur tenere: in altera, sine dubitatione; in altera. ita esse planius videtur. Nam Hesychii interpretatione, obscura et quae vix intelligi po-

---

(1) *In Marci Ev. exposit.*, XIV, 62; ML 92, 281.—*In Lucae Ev. exposit.*, XXII, 69; ML 92, 609.—Commutat certe S. Beda vocem *reversurus* a S. Hilario adhibitam (*De Trinitate*, X, n. 33; ML 10, 369) in *venturus* quod est infinitius; verum, posito Venerabilis Bedae amore ac religione erga Evangelii verba, fieri potest ut commutationis causa sit velle se ad Evangelium magis accommodare Videatur quid de loco, prout apud *Migne* exstat, dixerimus, quum S. Hilarium adduximus.

test, praeterea solo latino sermone asservata, jure abstinemus.

2. Adventum Christi super nubes eumdem esse atque alterum gloriosumque Christi adventum, omnes fere ad unum Patres scriptoresque tum Orientis tum Occidentis affirmant. Si Hesychium rursus omittimus, nulla in Oriente, quantum scimus, exceptio c e r t a inveniri potest, nam Origenes summum adjungit novam quamdam «spiritualem» significationem; in Occidente autem excipiuntur tantum S. Augustinus et S. Eucherius.

3. Quamvis id non tantum emineat et exstet quantum superiora, addi potest a magnis illis Doctoribus Orientis et Occidentis, qui vocem explicant, eam ita explicari ut ad primum ἀπ᾽ ἄρτι dumtaxat membrum verborum Christi: «sedentem a dextris virtutis», vox ista referatur. Ita exempli causa Origenes, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Hilarius, S. Ambrosius. S. Augustinus, quum per translationem cuncta declaret, impediri se non judicat ex eo quod ἀπ᾽ ἄρτι utrumque membrum afficiat.

4. Tandem quod ad genus «videndi» attinet verbo ὄψεσθε significatum, monumentorum satis non est ut certa proponatur stabilisque sententia. Imprimis etiam tum quum Sancti Patres verbum «videndi» ad solum primum membrum «sedentem a dextris Virtutis» accommodant, de ipso Filio hominis videndo loquuntur, non autem de quibusdam mirabilibus factis videndis, e quibus deinde eruamus sive per quae cognoscamus Filium hominis esse reapse Messiam Filiumque Dei. Videntur etiam loqui de videndo Filio hominis ad dextram Virtutis sedente, quantum hoc de videndo corporis oculis potest asseri, quidquid est utrum, si res subtiliter et ad vivum resecatur, possit necne ipsa Christi gloria ad dextram Patris sedentis oculis corporeis conspici. Unus Origenes distinguere

videtur Filium hominis videndum a videnda summa Filii hominis gloria; quapropter verbo «videndi», quatenus de summa Christi gloria dicitur, vim notionemque paulo liberiorem, cognoscendi scilicet vel certo cognoscendi, subjicere videtur. Adjungi fortasse illud etiam potest quod, siquidem Sancti Patres in verbis Christi ad Caipham alterum ejus adventum agnoscunt, vel id solum, quamdiu oppositum non indicabunt, indicio esse debebit Filium hominis de eorum sententia—quod ceteroqui planissimum est in hac causa— vere ac proprie, non autem solum «oculis fidei seu cordis», quod post Patrum aetatem nonnulli affirmabunt, esse contuendum.

§ II

Quae Patres expressiora et illustriora tradiderunt, quatenus a posteris ad nostra usque tempora sint retenta, describitur.

Primum quidem nihil est quare nos deinceps retineat ex Oriente solicitudo atque cura. Usque ad ejus ab Occidente discessum nulla novimus exstare vestigia. Post autem apud auctores alias commemoratos, ut Theophylactum, Euthymium, expressa utique vestigia cerneremus; ad propositum tamen vix minimi momenti instar habent. Itaque in Occidente maneamus.

IX-XII. — 1. Adventus Christi super nubes. — Renovationem, quam possumus appellare Carolinam, si universam comprehendimus, unus nobis auctor occurrit qui, quum verba Christi coram synedrio interpretatur, nullam prorsus de altero Christi adventu facit mentionem, cunctaque, illud etiam membrum «videbitis Filium hominis venientem in nubibus», per translationem explicat: est ille quidem S. Paschasius Radbertus (c. 860).

S. Paschasius Radbertus in viris IX saeculo maximis sine ulla est dubitatione numerandus; utique «ea aetate, quae tam fertilis exstitit florilegiorum et compilationum». Est quidem in ea re nonnulla admiratio quod S. Paschasius a ceterorum scriptorum idem ad unum eo tempore sentientium conspiratione atque concordia recedit (1). At videtur S. Paschasius Origenis de S. Matthaeo commentariorum latinam quamdam, eamque pervetustam, interpretationem cognovisse quae a capite XXII, v. 34, ad caput XXVII v. 66 etiam nunc existit (2). Mysteriorum plenum Origenis nomen atque ipsa etiam expositionum novitas videntur S. Paschasium movisse et quodam quasi splendore traxisse. Commentariorum S. Paschasii pars, quae Origeni respondet, id perspicue ostendit; nostri etiam loci interpretatio, quae praeterea Origene tota est prorsus imbuta. Itaque e sententia «theologi eucharistici», in Sancta Ecclesia «Filius hominis et sedere victor videtur et venire in nubibus caeli; quoniam ipsi sunt nubes caeli de quibus dicitur: Caeli enarrant gloriam Dei (Psalm. XVIII, 2); per quas nubes ipse utique venit ad singulos, et in quibus spargit imbres eloquii sui, cribrans aquas de nubibus...» (3).

---

(1) Si *Rhabanus Maurus* nihil aliud facit nisi communes S. Bedae sententias describit (*Comm. in Matth. l.* VIII; ML 107, 1121); contra ceteri perspicue loquuntur. Cfr. v. gr.: *Haymonem Halberstadensem* (853) magnum Rhabani Mauri amicum, *Hom.* 64; ML 118, 370.—*Pseudo-Bedam, in Matth. Ev. exposit.*, l. IV; ML 92, 118.—*Christianum de Stavelot* (medio saeculo IX), *Exposit, in Matth.*; ML 106, 1482, 1495.—*Walafridum Strabonem* (849), qui *in S. Marci comm.* explicat membrum «venientem cum nubibus caeli» perspicuo Pseudo-Hieronymi loco, a nobis antea adducto: ML 114, 234.

(2) *Origenes Werke*, ed. *Klostermann*, Band XI, CB, v. 38.

(3) *Exposit. in Matth.*, l. XII; ML 120, 925.—Adjungit S. Paschasius: «...Quod autem in eo concilio erant cum quibus et de quibus talia Jesus loqueretur, probat Actus Apostolorum, in quo legimus ex Judaeis quod una die et alia tria millia et quinque

2. Vocis «amodo» vis atque notio. — Ab explicatione temporis per vocem amodo significati plerosque illius temporis auctores jure dixeris refugisse; non autem tres praestantissimos interpretes: S. Paschasium quem modo nominavimus, Haymonem Halberstadensem, benedictinum monachum Christianum.

S. Paschasius Radbertus per vocabulum amodo praesentem rerum statum significari putat brevi tempore commutandum, ex quo Christus deinceps non jam apparebit inglorius sed gloria et majestate decoratus: «Et qui a Deo Patre scabellum dicuntur futuri, ipsi nimirum sunt super quos amodo, cum surrexerit victor, sessurum se promittit. Quoniam ex eo tempore quo resurrexit Filius hominis a mortuis, sicut ipse ait, Data est ei omnis potestas in caelo et in terra (Matth. XXVIII, 18). Quem deinceps viderunt omnes electi, per fidem, praesidentem a dextris virtutis Dei...» (1).

Haymo Halberstadensis minime omnium fortasse interpretum eo tempore ab aliis mutuatur; ejus autem scripta ad XII usque saeculum adhibita sunt ac frequentata. Itaque nobilis hic interpres, quam S. Paschasius elegerat explicationem, eamdem et ille breviter dilucideque proponit: «...Amodo, id est, ab hac hora sive tempore meae passionis; videbitis, id est, intelligetis et credetis; Filium hominis

---

crediderunt in Christum. Qui cum et sedentem viderunt per fidem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus. Quae nubes ipsi fuerunt, quoniam ex illa primitiva Christi Ecclesia, in qua praesedit auctor vitae, totus complutus est mundus. In quibus nubibus caeli nos ipsi qui loquimur usque adhuc, eumdem Filium hominis... venire conspicimus, si recte sapimus vel intelligimus». Lc.

---

(1) Lc.

sedentem in dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli, ad judicandum videlicet» (1).

Minoris quam duo superiores Christianus aestimatur, obscurior etiam existit ejus explicatio; at in summa ipsa idem paene sonat: «...Id est, illum qui filius hominis appellatur, videbunt boni oculis cordis habere eamdem virtutem quam Deus, cum ascenderit in caelum et data fuerit ei omnis potestas in caelo et in terra, et venientem in nubibus ad judicandum totum mundum...» (2). Intelligunt S. Paschasius et Haymo in voce amodo: «post passionem ac deinceps, vel a resurrectione ac deinceps»; Christianus vero ascensionem ostendit tamquam terminum ex quo verba Christi obtinent veritatem. Vicissim ita locum exponit Christianus ut vox amodo prius membrum «sedentem a dextris Dei» tantummodo afficiat (3). Neque tamen de re satis constat.

3. Alia interpretationis elementa.—Nolumus in aliis explicationis elementis, quae sunt minoris momenti; diutius commorari. At vel ex iis, quae adduximus, colligi jam potest secundum hujus aetatis auctores de Filio

---

(1) *Hom.* 64, «*In die sancto palmarum*»; ML 118, 370.—Animadvertamus Jesu verba ab Haymone ad Judaeos referri qui post resurrectionem erant credituri: «...Illis Judaeis dicit quos post suam resurrectionem credituros esse sciebat» (lc.). *Hom.* 66, cols. 392 sqq. Haymonis esse non videtur; exscripta videtur, verbum e verbo, erroribus quibusdam exceptis levissimisque immutationibus, e S. Bedae commentariis de S. Marci 14 et 15 capitibus. Haymonis etiam conferatur *Exposit. in Apoc.*, I, 7, ad quam explicationibus «*spiritualibus*» vocabuli «*nubes*» et per translationem factis aditum patefacit: ML 117, 947.

(2) *Exposit. in Matth.*; ML 106, 1482-1483.

(3) Strabonis *glossa* indicare specie prima videtur S. Lucae verba *ex hoc*, quae apud S. Matthaeum voci *amodo* respondent, non de tempore sed de ignobili statu post quem Christus ad gloriam pervenit, a Strabone explicari: «*Ex hoc autem erit...* per contemptum sit venturus ad gloriam» (*Ev. Lucae*, XXII, 69; ML 114, 343) Haec interpretandi ratio, quamvis ita rara, videtur postea apud paucos alios auctores rursus apparere. Similia apud S. Bedam, Rhabanum Maurum, leguntur, sed quae faciliores habent explicatus.

hominis proprie videndo sermonem non esse, verum de «videndo per fidem» aut de cognoscendo singulari quadam cognitione, quod quidem verbis exprimunt «intelligendi, credendi, oculis cordis videndi» aut aliis id genus (1). Postremo, praeter quam quod fortasse in monacho Christiano, studium non apparet vocis a m o d o ita explicandae ut haec primum membrum «sedentem a dextris virtutis» solum afficiat.

Alios nunc auctores brevissime attingamus, antequam in XIII saeculum ingredimur. S. B r u n o A s t e n s i s (1123) per alterum Christi adventum ad homines judicandos locum integrum perspicue declarat, sed nihil amplius interpretatur (2). Magnus saeculo XI atque ineunte etiam XII M a g i s t e r d i v i n i t a t i s, A n s e l m u s L a u d u n e n s i s (1117) locum levissime attingit, tantumque explicat «venientem in nubibus»; nam, ait ille, L i t t e r a p a t e t. Quum tamen S. Augustini commentarios nosset, tum eam explicationem, quae communis est, tum aliam, quae aut est S. Augustini aut saltem simillima, sub disjunctione proponit: «...venientem in nubibus caeli ad judicium, vel mirabiliter operantem in sanctis» (3). Neque Z a c h a r i a s

(1) *Pseudo-Beda* utitur vocabulo «probandi»: «In perpetua felicitate regnaturum probaveritis eum et venturum cum majestate» (lc.).

(2) *Comm. in Matth.*, pars IV; ML 165-298.

(3) *Enarrat. in Matth.*, cp. 26; ML 162, 1478.—Ratio quaedam loquendi ab Anselmo Laudunensi adhibita suspicionem affert vocem *amodo* ab eo sub notione temporis non intelligi, sed eo modo quem videtur etiam tenuisse Strabo; «*Verumtamen dico vobis, amodo videbitis...* Quasi dicat: Vos me, ut hominem, contemnitis, sed tamen *per hoc* me exaltatum super omnes caelos videbitis» (lc.). Ipse Salmeron, quamvis in luce positus saeculi XVI, eamdem significat interpretationem; tamen sub disjunctione tantum: *Alfonsi Salmeronis Tolet. e Soc. Jesu Theol. Comm. in Ev. His.*, ed. Madrid, 1601; t. X *(de passione et morte Domini)*, tract. XXI, *De adjuratione Caiphae*, p. 232a; cfr. lc., tract. XXIV, p. 261a.—De Anselmo Laudunensi cfr. *Ghellinck. Le mouvement théologique du XII siècle*, &., ch. II, pp. 93-94.

Chrysopolitanus (c. 1155), praemonstratensis, vocem amodo explicat; sed habet id singulare quod infinita et communia S. Bedae verba adjunctione quadam ita coercet et continet ut jam perspicue alterum Christi ad judicandos homines adventum significare videantur. Affert praeterea Zacharias Pseudo-Hieronymum atque illum Origenis locum in quo magnus Alexandriae doctor adventum Christi super nubes explanare per translationem videtur. Qua quidem re credideris a Zacharia tum «spiritualem» quamdam de adventu Christi interpretationem tum eam vetustate antiquissimam et a Patribus acceptam de altero ad postremum judicium adventu sub disjunctione proponi (1). Tandem, quod ad vim attinet vocabuli «videndi», ex omnibus his auctoribus nihil potest liquidum hauriri. Si S. Bruno Astensis vim subjicit propriam verbo «videndi», contra Anselmus Laudunensis obscurus est, Zacharias vero Chrysopolitanus nihil omnino significat.

XIII-XVI.—Fessi langueremus de via, si omnia conaremur subtilius persequi. Patrum aetate decursa, illud jam solum nostra nunc refert extrema quaedam lineamenta depingere, quae lucis aliquid nostrae possint afferre causae. Id saeculo IX ad XII hactenus fecimus; idem posthac majori etiam brevitate praestare conabimur.

Verum tres clarissimos viros, Sanctos et Ecclesiae universae Doctores, si quid forte de nostra causa exposuerint vel saltem significaverint, audiamus omnino necesse est: Sanctum Albertum Magnum, S. Bonaventuram, S. Thomam.

S. Albertus Magnus nullas novit per translationem explicationes; amodo sim-

(1) *In unum ex quatuor*, l. IV, cp. 165; ML 186, 559.

pliciter significat: «post passionem in secundo adventu»; videbitis: «oculis corporeis»; propterea id agitur ut sanctissimam Jesu Humanitatem super nubes venientem videamus, quum Jesus veniat ad homines judicandos (1).

S. Bonaventura non aggreditur directo ad ipsum locum interpretandum, sed eum adducit interdum ad postremum judicium exprimendum: «Venturus est autem in fine temporum ad judicium generale in nube praecelsa quantum ad sublimitatem potentiae, quam nullus poterit effugere; Matthaei vigesimo sexto: Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli» (2).

S. Thomas minori diffidentia, vel potius judicio plane libero et aperto illustria veterum cogitata decerpit et colligit. Profecto ut nostrum locum exponat, unum in «Catena aurea» seligit interpretem: Origenem. Locus de Origene descriptus longus est, quibusdam omissis aut leviter immutatis quibus doctoris alexandrini sententia in bono lumine collocatur; quaecumque autem ex Origene antea adduximus, summatim ab Angelico doctore afferuntur, illa etiam de tempore usque ad postremum judicium tamquam brevi puncto

---

(1) S. Matthaei Sanctique Marci commentarii se illustrant atque perficiunt: *In Ev. Matth.*, XXVI, 64 et *In Ev. Marc.*, XIV, 62; *Opera Omnia*, v. 21, ed. *Vives*, p. 185b, p. 719.—S. Albertus in S. Lucae commentariis duas explicationes affert illius vocabuli *ex hoc* quod apud S. Matthaeum voci *amodo* respondet; altera communis est, altera, eadem illa quam supra diximus a Strabone significari, quam etiam adeo raram putavimus: «...vel *ex hoc: hoc* pro passione ut praepositio *ex* notet causam et ordinem temporis». Apponitur continuo olcus *ad Hebr.*, II, 9. (*Opera Omnia*, v. 23, ed. Vives, p. 704b).

(2) *Domin. I Adv., serm.* 18; *Opera Omnia*, ed. Quaracchi, t. IX, p. 41a.

temporis aestimando, si cum aeternitate conferatur (1).

Quod ad summam ipsam attinet, nihil novi afferunt praestantissimi hi viri. Optime quidem! Nam indicio id magno videtur fixas jam esse in praecipuis explicationum formulas et quasi consecratas, deinceps vero solum aut quaedam inculcatum ac elimatum, aut formulas sive perpolitum sive accuratius forte et planius propositum iri. Profecto per aliquot saecula sic se res habebit (2).

At S. Thomae exemplum ejusque judicium, non certis destinatisque sententiis addictum sed patens et apertum ad omne nobile inceptum conatumque fecundum, multum efficacitatis habet, stimuloque est salutari: nempe benevolentiam erga quasdam per translationem factas explicationes aut faciliorem reddit aut eam, quae jam erat, stare ac remanere facit (3), munitque tandem viam in illam Origenis explicationem, quae

---

(1) *In Ev. Matth.*, XXVI; *Opera Omnia*, ed. Parma, t. XI, p. 312.—Quamvis S. Matthaei commentarii dubii sint, quia tamen per multum temporis S. Thomae adscripti fuerunt, resque adhuc manet incerta, nonnulla de illis notare oportet. Ergo hi quoque commentarii Origene sunt penitus imbuti. Nimirum «id quod dicit, *In nubibus*, potest referri ad adventum ultimum vel quotidianum». Si ad adventum cotidianum refertur, nubes sunt apostoli doctoresque sacri. Quod autem ad verba *amodo videbitis* attinet, illa significant «statim post passionem aliquos convertit ad fidem, alios per operum evidentiam»; qui, ut indicari videtur, Christum sedentem ad dextram Patris et super nubes ad judicandos homines venientem fide viderunt.—Haec expositio ante S. Thomam, quamquam exacta Patrum aetate, frequentata est; non ita expositio altera, quae breviter ac dilucide subtilem illam interpretationem Origenis renovat: «Item si referatur ad ultimum adventum, dicit Origenes: *Totum tempus mundi comparatum ad aeternitatem nihil est, sicut unum momentum*... Ideo dicit *amodo*, quia nihil est tempus usque ad judicium respectu aeternitatis»: *Opera Omnia*, ed. Parma, t. X, p. 258b.—Unum praeterea notabimus. In his, quae attulimus, quod ad nostram causam attinet, constat de auctoris sententia; locus tamen videtur mutilus aut forte corruptus.

(2) Auctoribus afferendis supersedeamus, licet, quum iidem fere essent quos alias adduximus.

(3) Cfr. exempli causa: *Beatum Simonem de Cassia* (1348), *De gestis Domini Salvatoris in 4 Ev. libri quindecim*, apud Sanctam Ubiorum Coloniam, 1540; l. XIII, pp. 824-825.—*Cornelium*

docet totum usque ad postremum judicium tempus quasi punctum temporis esse habendum. Doctoris Angelici exemplo interpretationem hanc, quae primo aspectu diffidentem animum invenit quod subtilior esse videatur, plures quotidie magis frequentabunt; quin immo in libros asceticos late longeque diffusos ipsa penetrabit. Apud hos auctores, ut apud Origenem, aut etiam clarius quam apud Origenem, vox a m o d o, tamquam terminum «a quo», sive passionem sive praesentem Christi humilem abjectumque statum ostendit, a quo usque ad alterum et gloriosum adventum nihil nisi punctum temporis fluere videtur (1).

Quin immo, in extrema parte et conclusione interpretationis, S. Doctor, adjunctionis instar, illius membri, cujus est caput arcana vox a m o d o, certam quamdam explicandi rationem enuntiat quae ob suam simplicem brevitatem deinceps seligetur a multis, eoque perveniet ut eam unam simpliciter magnus ipse Maldonatus proponat, aliique post ipsum ad nostra usque tempora praestantissimi interpretes. Haec igitur scribit S. Doctor: «Verumtamen postquam a me recideritis, non restat nisi quod manifeste me cognoscetis, quia veniam in nubibus caeli, et tunc cognoscetis me esse Filium hominis. Similis modus loquendi habetur supra 23, 39: N o n m e v i d e b i t i s a m o d o d o n e c d i c a t i s:

Jansenium, Episcopum Gandavensem (1576), *Corn. Jans. Ep. Gandav. Comm. in suam Concord. ac totam Hist. Ev. Partes IV*, Moguntiae, 1612; P. IV, cp. 138, pp. 236b-237a.—*Salmeronem* (1585), l.c., tract. XXI *De adjuratione Caiphae*, p. 232b.

---

(1) Cfr Jansenium et Salmeronem allatis supra locis. Notissimus scriptor *V. P. Ludovicus de Lapuente* in opere «*Meditaciones espirituales*» scribit: «*De aquí a poco tiempo veréis al Hijo del hombre*, &. Porque en los ojos de Dios *mil años son como un día...*» Parte IV, med. 29.

Benedictus qui venit in nomine Domini.» (1).

Demonstratum est iter viaque munita; collatus est etiam noster locus aperte cum versu 39 e capite XXIII S. Matthaei: collatio haec multis quasi lumen praeferre videbitur quo arcani illius amodo tenebrae discussae sibi esse videantur. Itaque nunc Maldonatum eamdem hanc interpretandi rationem quam maxima perspicuitate proponentem audiamus: «Quod autem dicit amodo, graece ἀπ᾽ ἄρτι non significat statim post illud tempus, quo loquebatur, esse visuros filium hominis sedentem a dextris virtutis —loquitur enim de die judicii, quo die in nubibus caeli venturus est...—, sed significat judaeos non esse visuros se ab eo tempore, id est a morte sua, donec videant eum sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli». Et quasi nondum de re satis constaret, clariorem, si fieri potest, adjungit expositionem; pergit enim: «quasi per negationem dicat, deinceps non videbitis me habitu rei, ut nunc videtis, sed habitu filii Dei, sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli» (2). Nemo Maldonatum, in hac explicatione majori cum brevitate et perspicuitate proponenda, deinceps fortasse superabit (3).

---

(1) Lc.

(2) *Joann. Maldonati Soc. Jesu theol. comm. in quatuor Ev.* t. 1, Mussiponti, 1596, col. 676.

(3) Ante Maldonatum notus ille *Nicolaus Lyranus* (1340) scribebat brevitate summa: «Dicit igitur *amodo*, quia a tempore suae passionis eum ulterius non viderunt» *(Super libros Matth.*, &., ed. Basilea, 1507, fol. 81 v.—Pro *ulterius* legitur *alterius*; sed erit sine dubitatione mendum).—Post Maldonatum satis multi eamdem explicationem, levi aliqua immutatione proposuerunt. Exempli causa: *S. Barradas* (1615) in copiosis quibusdam commentariis, cum alia tum haec scribit: «...*Amodo, ex hoc nunc,* post hoc tempus videbitis me semel tantum in judicio sedentem a dextris Dei et venientem in nubibus; nam ex illo tempore, quo Dominus Judaeos alloquebatur, non viderunt illum amplius, tandem cernent in judicio» *(R. P. Sebastiani Barradii Olisiponensis e Soc. Jesu* .

XVII-XX.—In saecula ingredimur, quum ubertas est maxima. Ut modum aliquem adhibeamus et ordinem, cunctas interpretationes in duo quasi genera dispertire forsitam possumus. Primum genus illis continetur interpretationibus quae vocabulo a m o d o demonstrari aliquo saltem modo tempus existimant quo eveniet id quod ab eo tempore, a m o d o, affirmatur futurum. Alterum genus iis explicationibus constituitur quae nullum putant vocabulo a m o d o tempus ostendi.

Primum genus

Primum genus late patet, a multisque defenditur. Ad majorem vero perspicuitatem varias interpretandi formas distinguamus necesse est. Praecipuas dumtaxat seligemus.

---

1 *IV et ultimus Comm. in Concord. et Hist. quattuor Ev.*, Moguntiae, MDCXIIX (sic.); l. VI, cp. XX, p. 264b.—*Cornelius a Lapide* (1637) majori fortasse brevitate hoc est contentus uno: «*Amodo*, hoc est, ex hoc tempore, post mortem meam, scilicet in die judicii; nec enim alias Christum erant visuri...» (ed. *Crampon*, Paris, 1874, p. 585a).—Episcopus Plebanus, *Pauluzzi* (1625) cum alias profert explicandi rationes, tum etiam hanc: «De die autem judicii necessario haec intelligenda, quia alio tempore non erat coram omnibus appariturus». Pergit autem: «*Amodo* imposterum non *videbitis* hic amplius sed tantum *videbitis* hunc *Filium hominis sedentem a dextris virtutis* Dei in majestate magna *et venientem* in hunc mundum *in nubibus caeli* gloriosum ad illum judicandum» (*Fabritii Paulutii Foroliviensis Primi Episcopi Plebani Comm. in quattuor Ev.*, Romae, 1619, cp. 147 *De passione Domini et sepultura*, p. 533b).—*Menochius* (1655): «...significat Judaeos non esse visuros se ab eo tempore, id est, a morte sua donec videant eum..., &.» (*R. P. Joannis Menochii Doctoris Theol. e Soc. Jesu comm. totius S. Script.*, Venetiis, 1732, t. 2, p. 41a).—*Sylveira* (1687): «*A modo*, seu *ex nunc*, seu ab hac hora post mortem meam non me videbitis amplius, nisi in die judicii...» (*R. P. D. F. Joannis da Sylveira Olyssiponensis Carm. Reg. Obs. ... Comm. in textum Ev.* t. V..., ed. 4, Lugduni, 1679; l. 8, cp. IV, *Exposit.* V, n. 87, p. 444b).—Recenti tempore scripsit ipse *Welhausen*: «... ἀπ’ ἄστι ist wahrscheinlich nach 23, 39 (26, 29) zu verstehen, so das eigentlich hätte gesagt werden müssen: ihr werdet mich von jetz an nur noch als offenbaren Messias sehen» (*Das Ev., Matthaei übersetz und erklärt von J. Welhausen*, Berlín, 1904, pp. 141-142).

Praecipuae quaedam explicandi formae

1.ª Verborum Christi coram synedrio de altero gloriosoque adventu interpretandi quotidie magis apparet studium et exstat, saltem quod ad membrum attinet «...venientem in nubibus caeli». Quamvis hac de re minime vigeat animorum plena consensio, tamen ejusmodi interpretationes per longissimum tempus, fortasse ad extremum usque praeteritum saeculum, quasi thesaurus ac patrimonium existunt majoris partis theologorum et interpretum (1). Tota haec nihilominus interpretationum communitas, quod sua sponte occurrit, certa quadam in minutis varietate distinguitur. Si eos omittimus, qui totum Christi responsum de altero ejus adventu interpretantur, praecipua varietas in eo fortasse consistit quod verbis Christi statim post ejus mortem initium quoddam veritatis vel satis etiam veritatis adscribitur, saltem ex eo tempore quo inter splendidam miraculorum signorumque copiam Christum a mortuis excitatum Filiumque Dei naturalem coeperunt apostoli praedicare. At est illud probe notandum —quod apud Sanctos etiam Patres no-

(1) Unum et alterum obscurum auctorem excipi, ponderis nihil habet. *Picquigny* v. gr. (1709) (*Triplex exposit. in sacrosancta D. N. J Xti Evangelia...; Authore R. admodum P. Bernardino a Piconio*; Lutetiae Parisiorum 1726, p. 258a), et *Godeau* (1672) (*Version expliquée du N. T.... par Messire A. Godeau*, París, 1668, pp. 205-206) auctoritate magna non valent; praecipue vero *Godeau* «stylo levi» multa conscripsit, ejusque judicium parum prudens videtur Et tamen nihilominus hi etiam auctores explicationem, quae alterum Christi adventum silentio praetereat, solum sub disjunctione proponunt. Apud protestantes utique magna exstant auctoritate viri, exempli causa: *Hugo Grotius* (1645), *Hugonis Grotii annotationes in N. T.*, t. I, in Matth. XXVI, 64; Halae 1769, pp. 532-533.—*Rosenmüller* (1815), qui Grotium describere videtur: *D. Jo. Georgii Rosenmülleri scholia in N. T.*, t. I, ed. 6, Norimbergae, 1815, p. 531.—*M. Poole* (1679): *Synopsis criticorum aliorumque S. Scripturae interpretum*, v. IV, Londini, 1674; cp. XXVI, col. 650.—Hi etiam protestantes eas explicationes, quae alterum Christi adventum omittunt, solum sub disjunctione proponunt.

tavimus— ab omnibus fere ita hanc interpretationem adhiberi ut eam ad primum membrum «sedentem a dextris Dei» tantummodo referant, alterum vero membrum «venientem in nubibus» de postremo ad judicandos homines adventu fere semper interpretentur (1), identidem etiam illud prorsus omittant (2). Quamobrem vocabulum a m o d o saepe significat «mox», «post breve tempus»; vox vero v i d e b i t i s, quum membrum «sedentem a dextris virtutis» afficit, ad has fere recidit exponendi rationes: «ex effectibus cognoscetis», «experiemini», «habebitis documenta», aut ad alias id genus. Ejusmodi explicationes nostris etiam temporibus vigent habentque auctoritatem (3).

Ad hanc explicationis formam recidit eorum interpretatio qui tum aliis locis tum nostro etiam loco adhibede volunt speciosam illam et aliquo

(1) Exempli causa *S. Barradas,* quum varias explicationes proponit tamquam minus veri similes (lc., p. 264).—*Franc. Lucas Brugens.* (1619), *In sacros. 4 J. C. Ev. comm.; Ev. sec. Matth.,* cp. XXVI, Antuerpiae, 1606, p. 491.—*C. Jansenius,* (1638), *Corn. Jans Leerdam... Tetrateuchus sive comm. in sancta J. C. Ev.,* cp. XXVI, t. I, Mechliniae, 1825, p. 430.—*Natalis Alex. O. P.* (1724), *Exposit. litter. et moral. sancti Ev. sec. quattuor Evangelistas...* Parisiis, 1703, *Exposit. s. Ev. sec. Matth.,* cp. XXVI, *sensus litteralis,* cols. 695-606, n. 44.—*B. Lamy Or.* (1715), *Comm. in Harmoniam sive Concord. quatuor Evangelist....* Parisiis, 1699; l. V, cp. 28, n. 27, p 550b.—*C. Potestà de Panormo* (1726), *Evangelica Hist. seu sancta quatuor Ev. in unum redacta,* Panormi, 1727; t. II, cp. 86, n. 3520, p. 445.

(2) Exempli causa: *Tirinus* (1636), *J. Tirini antuerp. e Soc. Jesu commentariorum in S. Script.,* t. III; Antuerpiae, 1632, p. 76.—Hic auctor singulari modo gradatim ascendit ut rem veritatemque vocis *amodo* declaret: «*Amodo,* id est, posthac, nimirum inchoate post meam mortem, resurrectionem, et ascensionem, clarissimis miraculis contestantibus; perfecte in judicio singulorum particulari; complete denique in judicio omnium universali» (lc.). Singulorum hominum judicium significari memoria non tenemus apud alium auctorem praeter Tirinum inveniri. Eodem fere modo gradatim ascendit Potestà; sed pro singulorum judicio scribit: «...vel in hora mortis, videbitis oculis mentis me sedentem, &.» (lc.).

(3) Cfr. *Knabenbauer, Comm. in Ev S Matth.*; ed. *Merk*; pp. 480-481.—*Muncunill, Tract. de Christi Eccl.* disp. I, cp. I, art. II, § 2, n. 38, p. 47.

modo magnificam sententiam: totum videlicet tempus inter Christi mortem et alterum adventum interjectum veram jam esse parusiam, quandoquidem quasi prooemium existit et in ipsam introductio (1).

2.ª Hac explicationis forma demonstrata, praeteriri alia non potest, sane notissima, cujus jam sine dubitatione lectori venit in mentem: Hierosolymae eversio; quo quidem eversionis tempore Christus quodammodo «super nubes venit», hoc est, terribili cum gloria et majestate judicis. Verum Domini Nostri verba, specie saltem prima, ad istam interpretationem tam parum videntur posse accommodari ut illi auctores, qui de aliis locis firmam dicunt stabilemque sententiam, nunc timide loquantur, atque ea, quae ad postremum judicium pertinent, prorsus non audeant silentio praeterire. Ita quidem nobilis interpres Calmet (2). Bernardinus tamen Picquigny primo aspectu videtur audere, quamquam id non satis constat; quidquid autem est, en quibus verbis et quo genere confessionis: «Interpretum pars maxima haec Christi verba de extremo judicii generalis die solo intelligunt; possent et forte explicari de futuro Christi post ascensionem statu glorioso, et de imminenti in Judaeos a Deo ultione» (3). Non est major nostris temporibus hujus interpretationis auctoritas. Sunt profecto auctores, nonnulli nobiles etiam et docti, qui poenas in Judaeorum populum divinitus statutas Hierosolymaeque eversionem tamquam elementum quoddam explicationis usur-

---

(1) Cfr. *P. Schanz. Comm. über das Ev. des h. Matthäus*; Freiburg i. B. 1879; 3.ª parte, C., § 64, p. 530 (praesertim quum explicat vocabulum *venientem*).

(2) *Comm. litt. in omnes libros N. T. latinis litteris traditus a J. D. Mansi*; ed. Wirceburgi, 1787; t. I, p. 470.

(3) Lc.—Vox illa *et* «...possent *et* forte...» rem dubiam facere videtur

pant (1): qui tamen hoc uno audeant esse contenti, profecto non novimus (2).

3.ª Praeterito saeculo fere vertente, forma quaedam explicationis ab auctoribus catholicis coepit frequentari, quae vere florentem statum consecuta est; nostro etiam tempore non pauci iidemque praestantes interpretes atque theologi eam sequuntur. Si multiformem quamdam in minutis varietatem omittimus, haec est fere summa sententiae: «Domini Nostri coram synedrio verba, tum in priore tum in posteriore membro, nihil sunt aliud nisi sollemnis quaedam affirmatio se, Jesum, esse Messiam Filiumque Dei naturalem, se etiam, ob mirabilia facta proximo tempore futura, tamquam Messiam ac Filium Dei proxime gloria et honore esse decorandum. Praeterea, quum haec Christus affirmat, sermonem adhibet e Psalmo 109 (aut 110) depromptum, praesertim vero e notissimo illo et arcano Danielis loco VII, 13» (3). Hujus interpretationis conclusio haec est verbum «v i d e b i t i s» latius patere et vim habere «cognoscendi», sive «agnoscendi», sive «experiendi», sive alias id genus notiones. Hac igitur

---

(1) *Dieckmann. De Eccl.*, t. I, tract. I, cp. 2, q. 1, p. 97, n. 127.—*Tanquerey, Synopsis theol. dogm. fund.*, tract III, *De Eccl. Christi*, cp. II, ed 20, p. 393, n. 620.—*Bisping.* qui quum primum ediderat S. Matthaei commentarios, scripserat esse «in adventu super nubes» «nicht bloss an die letzte sichtbare Wiederkunft des Herrn, sondern auch an deren Vorboten und Vorbilder zu denken», quum iterum eosdem edidit commentarios, magis proprie definiteque loquitur, statuitque in his praenuntiis cogitandum esse «insbesondere an die Zerstörung Jerusalems»: *Erklärung des Ev. nach Matth.*, Münster, i. W. 1867; 3.ª parte, § 24, p. 534.

(2) Professor Carolus Weiss scriptorem Belser adducit. Cfr. opus Professoris Weiss saepenumero a nobis adductum: *Exegetisches zur Irrtumslos. und Eschat. J. Ch.*, p. 183.

(3) Hujus explicationis unus e defensoribus maxime celebratis, quique ad eam propagandam maxime contulit, est *R. P. Lagrange*. Praeter magnos synopticorum commentarios videatur *Rev. Bibl.*, 1906, pp. 571-574.—P. Lagrange ducem et magistrum multi sequuntur. Exempli causa. *Lemonnyer*, DAFC, *Fin du Monde*, cols. 1925-1926.—*Ives de la Brière*, DAFC, *Eglise*, cols. 1234-1235.—*J. Chai-*

via eschatologicae interpretationis fundamenta ipsa tolluntur; nihil in verbis Jesu eschatologicae affirmationis prorsus apparet.

Hujus interpretationis defensores, quidam saltem, pro ea fortiter vehementerque propugnarunt atque adeo propugnant. Erat profecto atque est id pernecessarium, quia quotiescumque locum leges, toties alterius adventus cogitatio sponte succurret animumque percellet; quam ut declines neve in te remanere permittas, toto pectore et conari et studere debebis. Quapropter credendum est fore ut qui hos conatus recusent, semper existant, praesertim si de majoris partis eorum, qui ante extiterunt, contrario judicio certiores fiunt (1).

Constat in hac interpretatione arcanum ἀπ' ἄρτι ita exponi posse ut sine ullis salebris fluat explicatio. Quapropter ea generatim proponitur quae jam saepissime a majoribus usurpata est. Non defuit tamen qui voluerit voce ἀπ' ἄρτι illud ipsum punctum temporis omnino demonstrari quo Jesus verba sua pronuntiavit; punctum videlicet temporis quasi mathematicum, perfecte planeque definitum. Habet acumen haec interpretatio et omnino digna

---

ne, DTC, *Parousie*, col. 2050.—*Van Noort, Tract. de Vera Relig.*, sect II, cp. IV, *Appendix* II; ed 4.ª auctore *Verhaar*, p. 240, n. 183—*Beraza, Tract. de Deo elev.*, &.; *de Noviss.*, sect. II, cp. III, a. I, p. 666, n. 1524.—&., &.—At quamvis R. P. Lagrange opera studio, labore haec interpretatio viguerit maxime, tamen ante illum aliquot auctores recentes illam tuebantur, exempli causa: *J. A. Van Steenkiste, Comm. in Ev. s. Matthaei*, ed. 2.ª, 1876, pp. 510-511.—*B. M. Haghebaert, L'époque du sècond avénement du Christ*, apud *Rev. Bibl.* 1894, t III, pp. 77-79.

---

(1) Hac de causa admirationem movere non debent vehementes loquendi formulae quas nonnulli e defensoribus —qui plurimi sunt— sententiae eschatologicae usurpant. Ita exempli causa *S. Rosadini*, S. Scripturae in Universitate Gregoriana Professor: «Locus in tribus Synopticis *evidenter* Parousiacus apparet...» (*Notae exegeticae, II. Selecta ex Ev. ...; Appendix eschat.*, p. 187).—*Dieckmann*, qui tam cautus est semper et moderatus in afifirmando, scribit: «*Certe* Christus loquitur de adventu suo altero, glorioso...» (lc.).

est quae notetur. Eam tuetur doctus Professor S. Tromp, cujus haec sunt verba: «Respondeo Christum loqui de aliqua re, quae ἀπ' ἄρτι ipsissimo momento incipit quo a sacerdote interrogatur. Quae res nil aliud est quam solemnis inchoatio N. T. et solemnis abrogatio V. T., eo ipso quod solemniter adjuratus ab auctoritate competenti V. T., solemniter declarat se esse Messiam, Dei Filium. Quod facit sibi attribuendo ea quae Daniel 7, 13 de Messia praedixerat. Hoc loco Daniel primarie non agit de ultimo judicio, sed imagine majestuosa depingit quomodo Pater omnipotens tradat omnem potestatem in caelo et in terra Christo suo...» (1).

Alterum genus

Sunt profecto qui, non minore ingenio quam auctores adhuc allati, omnem obscuritatem, e voce ἀπ' ἄρτι exortam conentur expellere, eam ita interpretantes ut quasi terminum «a quo» tantummodo demonstret, nullo definito tempore quo ad rem veritatemque traducetur id quod ex isto termino «a quo» affirmatur futurum. Hanc considerandae causae rationem et modum P. S. Rosadini illustri brevitate declarat. De usu enim vocis ἀπ' ἄρτι in Novo Testamento sic scribit hic auctor: «apparet significare simpliciter post hoc, ab hoc tempore, non determinando utrum illico, brevi postea, an longo temporis spatio interjecto aliquid evenire debeat; aliis verbis, solummodo terminum a quo futuri alicujus eventus signat, sed nil de subsequente temporis intervallo indicat» (2). His verbis per-

(1) *De Rev. Christiana*, l. II, *De facto Rev. Christ.*, sect. 4.ª, Prop. VIII, Sch.: *De Parousia Christi*, p. 221.—Quid de Hesychio supra dixerimus, in memoriam reducatur.
(2) L.c., p. 188, c.

ficit P. Rosadini ut quarumdam interpretationum, quas alii nulla exposita vel significata ratione antea proposuerant, explicationem ratione firmatam paucis versiculis comprehendat atque concludat.

Ad hoc genus pertinere videtur eorum auctorum copia qui vocem ἀπ' ἄρτι in d e i n c e p s , a l i q u a n d o , s u o t e m p o r e , alia similia simpliciter convertunt (1). Omnes has loquendi rationes ac modos indicio esse dixeris voce ἀπ' ἄρτι de istorum auctorum sententia, nullum tempus proprie definiri sed terminum «a quo» tantummodo ostendi.

Quantum haec explicatio efficacitatis ac roboris habeat ad omnem obscuritatem depellendam, profecto constat. Ubi enim semel eam acceperis, nihil prorsus refert utrum verba Jesu ad ejus gloriosam parusiam pertineant necne. Mirum igitur nemini videri debeat si P. Rosadini explicandi faciat initium, de nostro loco sic asserens: «veram difficultatem non continet» (2).

Animadvertenda generatim

Brevi praecidemus. Ut autem alias, sic etiam nunc historicae nostrae animadversiones nullam vim habent neque habere volunt aliam nisi vim

---

(1) Qui Patrum aetatė ita interpretetur, auetorem mullum memoria tenemus. E posterioribus videri potest S. Paschasius Radbertus, multoque serius C. Jansenius, Episcopus Gandavensis, Lucas Brugensis, Paulutius, Tirinus, Jansenius (junior), Lamy, Natalis Alex., &., iis locis, quos supra commemoravimus. Similiter *M. Sa* (1596), *Nctationes in totam Script. S., Not. in Matth.*, Lugduni, 1601, p. 471b; recenti tempore *C. M. Curci* (1891), *Lezione esegetiche e morali sopra i quattro Ev.*; Firenze, 1876; t. 5, lez. 99, p. 193.—*Fouard, La Vie de N.-S. Jésus-Christ*, t. 2, 1, 7, cp. 2, § 2.—*Joüon, L'Evangile de N. S. Jésus-Christ*, apud «Verbum Salutis», t. V, pp. 169-170.—&., &.—Multi vertunt «en adelante», «deinceps» (galliee: *désormais, dorénavant*); at J. Joüon vertere mavult «dans l'avenir», «un jour»; neque desunt exempla, v. gr. *Fouard* (lc.); *Mangenot, Dict. de la Bibl., Fin du Monde*, col. 2274; alii.—Cfr. *Zorell, Lexicon graecum N. T.*, ed. altera, 1931, col. 175.

(2) Lc., p. 186.

timidae cujusdam affirmationis quae ad rem veritatemque accedere conetur, stimuloque sit sapientoribus vel iis generatim omnibus, qui historici officio funguntur, ad eas aestimandas, perficiendas, corrigendas. Intra hos tamen exiguos terminos, ea demum ex omnibus, quae supra dicta sunt, statui posse arbitramur.

1. Christi super nubes adventus. — Quemadmodum Patrum tempore, sic deinceps scriptores catholici «Christi super nubes adventu» alterum ipsius adventum communiter significari putant, quamvis alia etiam facta, quibus Christi potestas et gloria ostenditur, significari arbitrentur. Sententia haec usque ad extremam XIX saeculi partem communis fere jure ac merito dici potest, majore de causa fortasse quam poterat dici ipsa Patrum aetate. Ex hoc tamen tempore. ex eo praesertim quo R. P. Lagrange, cujus sententiae magno semper aestimantur, aliis interpretationibus suffragatus est, vetus catholicorum conjunctio sententiarumque communitas coepit vehementius infringi; nostris vero temporibus partes oppositae satis aequabiliter dispertiuntur; ex utraque parte afferri possunt nobiles interpretes atque theologi; fortasse tamen extra eruditorum hominum disputationes, in libris asceticis iisque generatim qui simpliciter exponunt, perstat etiam constans majorum nostrorum per plura saecula consensio (1).

2. Vocabulo ἀπ' ἄρτι subjecta notio. — Arcana vox ἀπ' ἄρτι apud omnes fere scriptores ad nostra usque tempora notionem retinet a majoribus traditam; saltem nemo proprie ei refragatur, quippe quum eorum etiam interpre-

(1) Ignoscere velit nobis lector si pro hac postrema affirmatione confirmanda, scriptores nullos singillatim adducimus. Pii meditationum libri, simplices et populares, testimonio esse possunt. Sed nihil esse causae videtur quare istorum auctorum perfacilem copiam afferamus.

tatio, qui vocem a m o d o in «brevi», «mox», «posthac», alia id genus convertunt (1), teneri possit omnino, quamvis terminus «a quo», voce a m o d o significatus, non sit proprie punctum temporis seu n u n c quoddam m a t h e m a t i c u m. Idem dici potest —quod jam supra notavimus— de illorum interpretatione qui, Origenis asseclae, totum tempus usque ad extrema mundi tamquam punctum temporis vel tamquam «unum diem» considerant. Excipiuntur tamen nonnulli quorum jam antea unum aliquem commemoravimus (2).

3. V e r b i «v i d e n d i» v i s a t q u e n a t u r a. —Patrum aetate decursa, praestantes illi viri, qui per gloriosum renovationis Carolinae tempus eminent, verbo «videndi» vim notionemque subjiciunt quae latius patere videatur. Verum consensio ista non permanet, quippe quum ipso saeculo XII —quod supra diximus— ex universitate auctorum nihil jam possit proprium definitumque concludi. Aureo theologiae saeculo usque ad postremam saeculi XVI partem vel fortasse accuratius usque ad priorem saeculi XVII, plerique scriptores verbum «videndi» angustius valere volunt propriamque vim ac notionem habere. Ex eo tamen tempore sub verbo «videndi» vis ac notio, quae latius patet, a multis subjicitur. Quae quidem ad primum verborum Christi membrum «sedentem...» exprimendum omnino est apta: eadem etiam quum ad alterum membrum adhibetur, fieri non potest quin ob ipsam rei naturam, quae agitur, quasi contrahatur, et vim ad-

(1) Eorum omnium vel saltem majoris partis.

(2) Si rem ad vivum resecamus, ne illi quidem, oppido pauci, excipiendi videntur, qui eodem passionis die promissae veritatis initium agnoscere volunt in miraculis quae eodem die evenerunt, exempli causa in sepulchris apertis, in defectione solis, in terrae motu, &.; quia tunc proprie evanuerat passio, gloria vero Salvatoris splendere jam coeperat. Cfr. Weiss, l.c., p. 176, n. 4.

quirat notionemque propriam; Filius enim hominis «super nubes ad judicandos homines veniens» ipse proprie videtur. Porro, exeunte saeculo XIX et deinceps, auctorum istorum numerus, qui verbum «videndi» patere volunt latius, multum crescit, quotidie magis disseminatis iis interpretationibus quae Christi verbis rem per translationem significari volunt.

4. Vocis ἀπ' ἄρτι quum primum solum membrum per eam afficitur, vis atque notio.—Acuta haec subtilisque distinctio, quam Sancti Patres identidem probaverunt, in profundo fere demersa videtur usque ad saeculum XVII, quum aliquo saltem modo rursus eminet et apparet, apud eos praesertim auctores, quorum est copia magna, qui ad nostra usque tempora veritatis initium statim passione absoluta in Christi verbis inesse affirmare perseverant, simul vero adjungunt verbis illis «venientem in nubibus caeli» alterum Christi adventum, sive solum sive praecipue sive saltem etiam, significatum esse. Ceteri, ii praesertim quibus Christi sermo nihil est aliud nisi modus quidam quo per translata verba Christus asserit se esse Messiam Filiumque Dei naturalem, alterum membrum ab altero nihil admodum distinguunt, vocem vero ἀπ' ἄρτι ita explicant quasi ab illa utrumque verborum Christi membrum sit affectum.

PARS ALTERA

«...amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli».

Ad hujus loci interpretationem varia sunt elementa componenda, de quorum vi nonnulla imprimis notari oportet. Praecipue tamen eorum,

quae majores nostri tenuerunt, memoriam renovare debemus.

§ I

Notanda imprimis de variis elementis, e quibus Jesu verba componuntur

1. Christi super nubes adventus.—«Adventus saltem Christi super nubes» alterum gloriosumque Christi adventum significat; quapropter locus est parusiacus seu eschatologicus. His asserendis, aperte ac palam fatemur nescire nos latam illam ingredi viam quam nobis monstrant recentiores quidam iidemque nobiles interpretes, praesertim usque ab exeunte saeculo XIX, de quorum sententia nequaquam locus est eschatologicus. Arcet nos imprimis majorum nostrum auctoritas gravissima atque contraria. Etenim omnes fere Patres scriptoresque tum ex Oriente tum ex Occidente per Patrum aetatem, quod supra notavimus, illo supra nubes adventu alterum gloriosumque Christi adventum significatum asserunt; quin major etiam saeculis sequentibus usque ad saeculi XIX extrema catholicorum videtur esse consensio. Hujus auctoritatis vis crescere videtur si consideramus omnis argumentationis contrariae, ubi semel eschatologicam loci sententiam negaveris, fundamenta subduci; id tamen minime obstitit ne antiqui recentesque scriptores, agmine fere quadrato, veterem sententiam probarent, tuerentur. Quapropter tantam defugere auctoritatem recte horres animo, quamdiu graves, immo gravissimae rationes adversus eam non afferuntur. Quas profecto nos quidem nullas novimus. Quod verbi causa, si locus eschatologicus erit, jam nullo poterit modo explicari, id dici sane non potest, vel ex hoc solo quod locum satis explicari, posita

etiam eschatologica sententia, tot tantique viri, scientia et sanctitate praestantes, putaverunt firmiter, constanterque tenuerunt.

Nihil igitur dubitantes, traditam a majoribus eschatologicam hujus loci sententiam nos quoque suscipimus; qua de re, non cum Sanctis Patribus solum, verum etiam cum potissimis hostibus, qui «eschatologistae» nominantur, consentimus. Haec porro consensio indicio est manifesto quaenam sit expedita magis et plana sententia; quae quidem sententia primo saltem aspectu longe optima videtur, eique sua sponte animus cedit.

De reliquo, una nos urgere solent ratione adversus eschatologicam hujus loci sententiam, si minus unica, at praecipua certe. Summa haec est: «Christi verba magnificum illud spectaculum, messianicum sonans, a Daniele descriptum, VII, 13 sqq., in quo unus aliquis super nubes ingrediens tamquam filius hominis apparet, manifesto significant, Danielisque descriptioni resonant tamquam imago. Jam vero in illo a Daniele descripto spectaculo neque de postremo judicio neque de altero gloriosoque Messiae adventu est proprie sermo. Ergo neque in Christi verbis istorum est ulla significatio videnda».

Haec ratio, quaecumque demum est Danielis facienda interpretatio, stare non potest contra Sanctos Patres pro eschatologica nostri loci sententia propugnantes. Et primum quidem in Danielis descriptione, quamvis de postremo judicio sermo ibi nullus habeatur —de quo nunc disputare nolumus—, Messiae tamen gloria atque potestas describitur qui «cum nubibus caeli... usque ad antiquum dierum pervenit»; atque est etiam sermo de judicio maxime sollemni. Itaque quod Christus Dominus Noster, quum suam Messiae gloriam et potestatem, alterumque gloriosum adventum ante oculos judicibus ponere vult, verbis utitur a Da-

niele jam adhibitis in celeberrima ista descriptione tum judicibus tum judaeis communiter nota, admirabilitatem nullam facere potest. Quae de Messiae gloria, de severo sollemnique judicio descriptio haec poterat excitare, ea omnia ad id, quod sibi Christus proposuerat, erant quam maxime apta. Praeterea, quum in apocalypsi synoptica de altero suo adventu Christus est loquutus, similem dicendi rationem, quam tres synoptici narrant, usurpavit. Ergo mirum nemini videri debeat si hoc quoque loco eam usurpet. Quin etiam gloriosum Christi adventum ita S. Joannes in Apocalypsi describit: «Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt...» (1). Denique S. Jacobo, quod supra vidimus, ejusmodi sermonem Hegesippus adscribit, qui nihil aliud nisi nostri loci explanatio videtur. Jam vero, S. Jacobi sermo, verba etiam illa «veniendi super nubes» alterum significant adventum: »Quid me... interrogatis de Jesu Filio hominis? Ipse sedet in caelo a dextris summae virtutis, et venturus est in nubibus caeli» (2).

Brevi comprehendamus. Ex eo quod certis quibusdam loquendi rationibus, quae apud Danielem exstant, Salvator noster utitur, erui nequaquam potest has loquendi rationes in utraque parte ad idem significandum esse usurpatas; aut, si altera loquendi ratione factum quoddam minime exprimitur, ideo neque altera esse vicissim expressum: videlicet, eadem et una dicendi ratio ad multiplices variasque res exprimendas apte potest adhiberi; cujus quidem causa utique esse potest certa quae-

(1) I, 7.

(2) Apud *Eusebium*, HE, II, 23; MG 20, 199-202.—Cfr. ed. *Schwartz*, CB, v. 9, pp. 168, 170. Cfr. etiam quae supra de hoc testimonio disputavimus.

dam rerum inter se aliqua ex parte sive conjunctio sive societas sive similitudo (1).

II. «Sedentem a dextris virtutis (Dei)».—Breviter nonnulla dicamus de hac forma loquendi; neque tamen de ejus vi ac significatione, quam per translationem haberi manifestum est, sed potius de tempore quo res, hoc modo enuntiata, vere ac proprie evenit (2).

Quidquid est de explicationibus afferendis, illud est saltem sine dubitatione dicendum Sacra Scriptura, Symbolis ita Christum ad dexteram Patris seu Dei describi sedentem ut actio ista exhibeatur quasi post ascensionem evenerit. Legimus apud S. Marcum: «Et Dominus quidem Jesus postquam loquutus est eis, assumptus est in caelum et sedet (sedit) a dextris Dei» (3), Forma ipsa sermonis satis habet perspicuitatis; neque enim dicitur «assumptus est in caelum et sedet». verum sedit, ἐκάθισεν, qua quidem loquendi ratione quod sedit posterius esse indicatur quam quod ascendit. Insignis est etiam modus quo jam usque ab ultima antiquitate Symbola gradatim ascendunt: «Credo... et in Christo Jesu... qui natus est... crucifixus... et sepultus... resurrexit... ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris...» Quapropter dicendum nobis est Christum vero quodam proprioque modo post ascensionem «ad dexteram sedisse Patris». Disputant theologi quem ad modum id possit intelligi, quandoquidem, si proprie loqui-

(1) Jesum Danielis verbis esse usum satis est nobis ad propositum finem; neque necesse habemus longius progredi ac subtiliter disputare utrum Jesus ista dicendi ratione gloriam alterius adventus per translata solum verba describat, an ipsum modum ostendat quo re sit ac veritate venturus, quemadmodum multi putant *Actibus Apostolorum* (I. 9-11) indicari.

(2) S. Matthaeus et S. Marcus scribunt: «...a dextris Virtutis»; S. Lucas: «...a dextris virtutis Dei». Uterque dicendi modus eamdem habet vim.

(3) XVI, 19.

mur, ab ipso vitae mortalis exordio dici poterat Christum, et Christum quidem hominem, ad dexteram Patris sedere. At per ascensionem utique omnis Christi, Dei hominisque, potestas, omnis majestas et gloria caelo terraque splendere coepit. Quare hac ratione saltem, id est quod ad suae gloriae significationem splendoremque attinet, omnino dici potest Christum post ascensionem ad dexteram Dei plene perfecteque sedisse (1).

Atque haec videtur esse loquendi ratio communis, probabilis simul et plana quam maxime. Tamen negare nolimus usque ab ipsa etiam resurrectione asseri posse Christum, eo fere modo quo post ascensionem, «ad dexteram Patris sedere», quamquam minus perfecte quod ad illius gloriae claritatem splendoremque attinet: a) et primum quidem quia ob resurrectionem status Christi abjectus et vilis in gloriosum et immortalem est commutatus, qui satis apparebat intuentibus in eum a mortuis excitatum; b) deinde quia tempus inter resurrectionem et ascensionem interjectum, quippe tam breve et quasi caducum, potest jure ac merito ita cum reliquo gloriosae Christi vitae tempore inde ab ascensione, tamquam tenuissima illius particula, conjungi ut ex utroque unum efficiatur, quod nomine illius post ascensionem temporis, quo Christus plenissime atque perfecte dicitur «ad dexteram Patris sedere», simpliciter appellari queat.

Nos tamen ad normam loquendi maxime expeditam, planam, communem, nostros explicatus dirigemus.

III. «Videndi» verbo quaenam sit vis atque notio subjecta. — Si afferri potest interpretatio quae, etiamsi verbo «videndi» notionem subjiciat maxime expeditam et

(1) Totum hoc copiose explanat *Suárez, De mysteriis vitae Christi*, disp. 51, sect. III, n. 10.

propriam, locum tamen apte explicare videatur, nemo infitiabitur hanc, modo cetera sint paria, sine ulla dubitatione esse anteponendam. Semper enim quod est maxime expeditum et planum, vel hoc ipso indicium quoddam pro se constituere videtur. Quapropter eam ipsam, quam proponemus, interpretationem argumento non tenui putamus futuram sermonem esse nostro loco de Filio hominis vere ac proprie videndo, nimirum *oculis corporeis*, quod scribit S. Ecclesiae Doctor, Magnus Albertus.

Aliquid praeterea, de quo supra diximus, recordari oportet. Praeter S. Augustinum et unum aliquem ejus discipulum omnia per translationem interpretantes (1), nullum per totam Patrum aetatem scriptorem novimus qui suarum explicationum tamquam fundamentum illud non jecerit quod Filius hominis vere proprieque est videndus; nullum qui visis quibusdam factis contentus sit per quae, notione verbi «videndi» latius patente, videamus seu cognoscamus Filium hominis Messiam Filiumque Dei existere. Omnis explicatio circum Filium hominis vere ac proprie videndum torquetur ac vertitur, quidquid demum est utrum gloria ipsa Filii hominis oculis corporeis vere proprieque videatur necne.

Istuc quidem magnum jam habet momentum. Adjungamus tamen nullius loci, e synopticis saltem, venire nobis in mentem in quo verbum quidem ὁράω de persona dicatur, at nullus de ipsa vere ac proprie videnda persona sit sermo, quidquid est utrum omnia sive adjuncta sive minuta quaeque videantur necne. Quin immo id ipsum in toto Novo Testamento contingere judica-

---

(1) Hesychii expositionem jure omittamus: 1) primum quidem quia ipse etiam omnem explicationem vocabuli «videbitis» penitus omittit; 2) quia adeo est obscura ut vix possit intelligi.

mus (1). Ad haec illud etiam accedit quod aliis locis, in quibus eadem usurpatur loquendi ratio quae in nostri loci altero membro (2), verbum ὁράω valet «vere ac proprie videre»; quod impellit ut credas eidem verbo ὁράω ita in sua ad Caipham responsione a Jesu adhibito ut, quamvis semel appelletur, duo tamen continuata, conjuncta, unoque tenore atque tractu orationis fluentia membra afficiat, non subjectum iri aliam r e a p s e pro alio membro notionem sed unam eamdemque pro duobus; quod varii post Patrum aetatem auctores ita esse censuerunt.

Ad extremum indicare possumus eas omnes explicationes, quae a vera propriaque videndi notione recedunt, exquisitas nimis videri aut saltem, quacumque demum forma proponuntur, a scripti interpretatione degredi. Recenti tempore scriptor sane probatus et nobilis, quam maxime in edendis explicationibus cautus, vehementer contendit ut intra explicationes per translationem factas aut a notione magis plana recedentes, sententiam nihilominus teneret quae accurate ipsa verba sequeretur. Sic autem scribit: «Ex hoc tempore ἀπ' ἄρτι i. e. postquam me crucifigatis et morti tradatis, videbitis et experiemini documenta meae divinitatis, et intelligetis me esse reapse illum Filium hominis quem vidit Daniel (7, 13...)

---

(1) Nolumus huic indicio plus ponderis attribui quam quod reapse habet. Factum simpliciter affirmamus quod ad subjiciendam verbo «videndi» veram propriamque notionem, tamquam expeditiorem apertioremque, conferre nobis videtur. Contrarium autem fieri non posse neutiquam dicimus. Profecto scimus, non quidem verbum ὁράω sed certe verbum βλέπω nonnumquam, valde raro, fortasse tantum semel (Hebr. II, 9), tamquam complementum habere personam «participio» affectam, quum tamen non ideo verbo βλέπω notio «videndi» vere ac proprie subjicienda esse videatur; verum haec exemplorum inopia, vel ipsa sola, indicio est quaenam sit maxime apta et propria notio, quaenam vi sua, modo paria sint cetera, anteponenda.

(2) *Matth.* XXIV, 30; *Mc.* XIII, 26; *Apoc.* I, 7.

venientem in nubibus caeli». At Christus non dixit: «intelligetis me esse illum Filium hominis quem vidit Daniel venientem in nubibus caeli», sed «videbitis Filium hominis venientem in nubibus caeli»; quae duo aliquantulum diversa jure tibi videbuntur.

Quapropter studiose accurateque quam maxime nostri loci sequi volumus apertam planamque sententiam. Tenebimus igitur Filium hominis vere esse ac proprie videndum; quin majorum etiam nostrorum vestigia persequentes, de videndo Filio hominis «ad dexteram Patris sedente» nobis erit sermo, eodem fere modo quo plane et in vulgus «aliquis videri dicitur gloria et majestate decoratus»; ad cujus rei veritatem numquam postulatur ut ea omnia, quibus gloria constituitur, oculis corporeis videnda sint atque eo quidem modo tam vero ac proprio quo videtur ipsa persona.

IV. Quos appellet proprie Jesus.—Nonnulla de hac re brevissime dicamus ut id demum pertractemus quod ad intelligendam verborum Christi veritatem maximi momenti videtur.

Excepto fortasse S. Augustino et S. Eucherio, excepto utique Origene, saltem quod ad unam attinet de duabus, quas protulit, explicationibus, excepto denique uno alterove scriptore obscuro, qualis est Fortunatianus vel quicumque est auctor brevis cujusdam Evangeliorum commentarioli medio fere, ut videtur, saeculo IV, reliqui omnes Patres scriptoresque totum hoc tempus, quantum recordari possumus, nullos alios demonstrant quos suis verbis Jesus appellet, quam synedros (1).

---

(1) Petrus Laodiceusis quadam suorum commentariorum parte, in qua duo vel tria membra continentur obscurissima, de Judaeis generatim loqui videtur. At ipse saltem comprehensionem hanc majorem ad interpretanda Christi verba, quod Origenes verbi causa facit, non adhibet; totam enim Christi responsionem ad

Opinari igitur videntur omnes Synedrii participes sive omnes generatim praesentes a Domino tunc proprie seu f o r m a l i t e r, ut ajunt, appellari. Haec etiam videtur maxime plana et aperta sententia. Itaque eam sequemur, quamvis ad interpretationem plus afferat difficultatis.

Nolumus tamen infitiari multos inde a Patrum aetate scriptores existere quorum judicio Jesu responsum non ad solos synedros pertinet sed latius funditur. Neque id non probabiliter affirmatur. Quia fieri potest ut, enuntiato se esse Messiam Filiumque Dei, postea id quod praecipuum sibi Jesus proponat in eo consistat ut addat se non jam deinceps vilem et abjectum sed gloriosum esse ad Dei dexteram videndum. Quapropter, hac considerandae quaestionis posita ratione, verba illa «...dico vobis, amodo videbitis me sedentem a dextris virtutis» eo spectare dixeris ut valeant: «...dico vobis, amodo numquam deinceps ignobilis et inglorius conspiciar, sed quicumque me viderint, me ad dexteram Dei sedentem videbunt». Tunc autem vocabulum «videbitis» modus quidam fuerit definitus ac circumscriptus enuntiandae cogitationis cujus vis latissime in omnes fundi de-

---

alterum Christi gloriosum adventum accommodat.—Praeterea, Christi discipulos in Judaeis numerari non satis apte cum totius loci natura congruere videtur; fierique bene potest ut solum hoc quod «noverunt Christum esse venturum» ad Judaeos communiter accommodetur, responsum vero «amodo videbitis...» ad synedros vere proprieque vertatur. Majoris perspicuitatis causa, en totus locus de graeco conversus, quibusdam additis probabilibus brevibusque commentariis, quos linearum nota distinguemus atque claudemus: «...postea Davidis Danielisque vaticinationem, alterum suum nuntians adventum, illis in memoriam reducit; aut certe, quando quidem (ex ipsius Jesu confessione) Judaei sciebant Christum (rursus) esse venturum et post eum (id est post priorem adventum) alium errorem (timeri posse in postremo adventu), id corrigit aitque» *videbitis* me non statu humili, ut nunc, neque super terram sed e caelo cum gloria *venientem*, una cum Patre sedentem ac vivos mortuosque judicantem; id enim est *ad dexteram virtutis sedisse*»: *Des Petrus von Laodicea Erklärung des Matthäusevang.*, ed. *Heinrici*, 1908, p. 316; apud «Beiträge zur Gesch. u. Erklärung des N. T.», t. V.

beat; quamquam definitae hujus atque circumscriptae enuntiationis usus ipse declarat synedros praecipue hac enuntiatione comprehendi atque monstrari.

V. Vocis «amodo» seu ἀπ' ἄρτι vis atque natura.—Constat inter omnes voce ἀπ' ἄρτι terminum «a quo» definitum ostendi ex quo deinceps verum erit quod futurum affirmatur. Praeterea, quorumdam etiam judicio, eadem vox ἀπ' ἄρτι id ipsum, quod affirmatur futurum, significat brevi quodam tempore esse eventurum.—Ordiamur a primo, atque in considerando termino «a quo», vocibus amodo-ἀπ' ἄρτι expresso, parumper commoremur.

Terminus «a quo» voce ἀπ' ἄρτι demonstratus.—Significatne vox ἀπ' ἄρτι, tamquam terminum «a quo», punctum temporis quasi mathematicum, vel potius punctum temporis latiori modo intellectum, scilicet statum rerum brevi tempore commutandum? Imprimis vox ἀπ' ἄρτι sua vi suaque natura utrumque significare potest; atque utraque significatio communi quodam in usu atque hominum sermone versatur. Quare, modo reliqua orationis apte cohaereant, sine salebris fluant, jus nobis est vocabulo ἀπ' ἄρτι alterutram subjicere notionem.

Id nobis satis est. Necessarium tamen videtur factum quoddam agnoscere, videlicet constare fere inter omnes, inde ab ultima Patrum aetate ad nostra usque tempora, punctum illud temporis, quod voce ἀπ' ἄρτι significatur, latiore quodam modo ita intelligi oportere ut passionem designet, quam post Christus ad Patris dexteram conspicitur gloria et majestate decoratus (1).—Adjungamus etiam nihil ipsis eschatologistis incommodi cadere

(1) Conferantur animadvertenda et conclusiones quas disputando inculcavimus.

posse, si nobiscum hac re communi opinione concordent.

Quae quum ita sint, omnium fere majorum sententiam nos etiam sequemur, atque ita punctum temporis ab ἀπ᾽ ἄρτι significatum intelligemus ut praesentem rerum statum designet brevi admodum tempore immutandum; id est, sanctissimam passionem usque ad gloriosam resurrectionem ex qua, brevi an longo tempore incertum, Salvatoris praedictio eventura est.

Ecquodnam tempus ostendat ἀπ᾽ ἄρτι quo id evenire debeat quod affirmatur futurum.—Fieri non potest ut, Patrum auctoritate nixi, rem hanc dijudicemus vel in alterutram partem propendeamus. Illorum testimonia, praeterquam quod sunt oppido pauca, satis inter se cohaerere non videntur; quum vero affirmare vel ponere videntur brevi tempore eventurum quod dicitur futurum, non satis patet an istam brevitatem ipso vocabulo ἀπ᾽ ἄρτι significari exprimique opinentur (1). Quare ipsam lo-

(1) S. Augustino excepto ob ejus interpretationis admirabilitatem, praestantissimi Doctores, quos pro significata per vocem ἀπ᾽ ἄρτι temporis brevitate adduci posse existimamus, sunt S. Hilarius, S. Ambrosius, S. Cyrillus Alexandrinus. Novimus jam eorum testimonia. At, si eorum verba diligenter ponderantur, fortasse fieri possit ut non proprie affirment ipsa voce ἀπ᾽ ἄρτι significari brevi tempore eventurum id quod futurum nuntiatur, sed id solum affirment brevi tempore statum rerum immutatum iri, quo posito, id quod in posterum nuntiatur, tardius ocius, est utique futurum. Exempli causa, S. Cyrillus A. iis locis quos supra adduximus, sic ad summam argumentatur: «*Amodo videbitis*... id est, breve nunc usque ad passionem tempus est vobis datum quo me videatis abjectum; etenim continuo ad caelum gloriosus ascendam». Verum his tantum affirmatur praesentem rerum statum brevi tempore commutatum iri. Id atque solum id affirmatur; ad haec enim verba poterat statim S. Cyrillus adjungere: «...quapropter quoties deinceps me videbitis, toties me gloriosum videbitis». Si haec explicatio cum ea potest, ut videtur, cohaerere argumentandi ratione qua utitur S. Cyrillus, sequitur ut e S. Doctoris verbis minime colligatur voce ἀπ᾽ ἄρτι significari brevi tempore eventurum id quod futurum nuntiabatur, hoc est, Christum *videndum esse gloriosum*; de quo ceteroqui littera in ejus verbis nulla invenitur. Eadem vel similia de S. Hilario, de S. Ambrosio possumus dicere.

quendi rationem, per quam nobis ab Evangelistis Salvatoris nostri verba sunt tradita, et consideremus et aliis similibus dicendi formis pro nostra parte illustremus necesse est.

1. *Ipsa forma* ἀπ' ἄρτι.—Sexies tantum in toto Novo Testamento haec forma reperitur (1); ter apud S. Matthaeum: XXIII, 39, XXVI, 29, 64; ter praeterea apud S. Joannem: XIII, 19, XIV, 7, et in Apocalypsi XIV, 13.

Duo de his locis *negatione* exprimuntur; exstant vero apud S. Matthaeum. Quapropter, nostrum si excipimus locum de quo omnis haec quaestio est, S. Matthaeus nisi quum negat, vocabulum ἀπ' ἄρτι non adhibet. Atqui, ob ipsam negationis vim atque naturam, id quod e praesenti tempore, *amodo*, usque ad praefinitum tempus eventurum negatur, jam inde ab ipso termino «a quo» demonstrato evenire nullo modo potest, ne, si aliter contingit, oratio negans falsa reddatur. Exempli causa, quum Dominus noster ait: «...non me videbitis amodo, donec dicatis: *Benedictus qui venit in nomine Domini*», necessarium est, ut sit oratio vera, a tempore demonstrato, id est, ex quo sunt haec verba prolata ad illud usque tempus quum erumpet ex Judaeis aliquando illa vox, numquam omnino Dominum videri.

Itane est quum affirmatur? Bis S. Joannes in Evangelio vocem ἀπ' ἄρτι in affirmatione adhibet; utroque tamen loco vox ἀπ' ἄρτι cum verbo praesentis temporis jungitur: «Amodo *dico* vobis...» (XIII, 19), «amodo *cognoscitis* (γινώσκετε) eum» (XIV, 7). Itaque aliquid jam praesens asseritur; quare «de tempore quo eveniet id quod futurum nuntiatur» controversia

(1) Incertum locum apud S. Joannem I, 51, omittimus.

nulla esse potest. Contra locus ille S. Matthaei, cujus interpretationem nunc quaerimus, verbum habet tempore futuro: «Amodo videbitis...» Potest igitur hic locus in disceptationem quaestionemque merito vocari.

Unus exstat in Apocalypsi locus: μακάριοι οἱ νεκροὶ οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες ἀπ' ἄρτι (1). In hoc membro ἀπ' ἄρτι sive cum ἀποθνήσκοντες sive cum μακάριοι jungi potest. Si cum ἀποθνήσκοντες jungitur, tunc rursus alia nobis vocis ἀπ' ἄρτι cum tempore praesenti aut cum forma loquendi, quae idem valet, conjunctio suppetit; at, quod modo notabamus, nihil tunc ad rem nostram haberemus. Restat igitur ut vox ἀπ' ἄρτι vocem μακάριοι afficiat, seu potius, si placet, ut vox ἀπ' ἄρτι verbum illud afficiat quod orationi principi subest, cujus est μακάριοι, ut dicitur, «praedicatum» vel instar «praedicati». Id porro videtur esse probabilius; nam οἱ ἐν Κυρίῳ ἀποθνήσκοντες potius formam modumve moriendi videtur indicare quam tempus: «morientes in Domino». Hi quidem dicuntur: «Beati amodo...» Obscurus profecto hic locus apparet, eoque spisse atque vix ad nostrum locum illustrandum pervenerimus. Fortasse dici possit inciso illo μακάριοι... ἀπ' ἄρτι rei saltem materiaeque causa significari «Beati sunt amodo, scilicet a tempore praesenti...» At formae sermonisque causa videtur non solum intervallum aliquod, longius breviusve, inter punctum temporis quo verba dicuntur et mortem eorum qui «in Domino moriuntur» sua vi suaque sponte interjectum esse posse, sed etiam, posito colore eschatologico quo Apocalypsis liber est saepe depictus, enuntiatum posse esse verum, dummodo tardius, ocius, sem-

(1) XIV, 13.

per tamen ante parusiam seu universi absolutionem incipiat beatitudo: «Beati amodo —id est, nulla exspectandi necessitate coacti dum adsit parusia— qui in Domino moriuntur».

Locus unus idemque obscurus nihil potest afferre lucis neque firmum praebere fundamentum quo aliquid probes, nisi id unum, neutram in partem satis esse argumenti quo te necessario inclines. Ad alias ergo similes dicendi formas confugiamus oportet seu potius necesse est.

2. Aliae similes formae. — a) Ἀπὸ τοῦ νῦν. — Forma ἀπ' ἄρτι suspensos nos et incertos relinquit; at hoc ipso nulla definita astringimur sententia de tempore quo id eveniet quod nuntiatur futurum. Investigantibus igitur nobis similes dicendi formas prima sua sponte succurrit quae a S. Luca eo loco adhibetur qui S. Matthaei loco respondet: Ἀπὸ τοῦ νῦν δὲ ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καθήμενος ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ (1). Octies hanc dicendi formam in toto Novo Testamento invenimus: sexies apud S. Lucam; semel apud S. Joannem; iterum semel apud S. Paulum. Imprimis S. Joannem VIII, 11, et S. Paulum II ad Cor. V, 16, omittamus licebit. Apud hos enim et ἀπὸ τοῦ νῦν in oratione negante reperitur, et verbum non futuro, sed semel praesenti, rursus imperandi tempore exprimitur. E S. Lucae reliquis locis unus quoque XXII, 18, relinquendus est utpote qui negantis orationis pars est. Quod si locum, qui S. Matthaei loco respondet vel saltem similis est, XXII, 69, omittimus, ne causae judicium anticipare videamur, quatuor tantum loci restant qui nobis ad intelligentiam formae ἀπ' ἄρτι adjumento esse possint. Sunt autem: S. Luc. I. 48; V, 10; XII, 52; Act. XVIII, 6. Quatuor his locis vox ἀπὸ τοῦ νῦν

(1) XXII, 69.

verbum afficit temporis futuri; itaque quatuor hi loci apta existunt et commoda exempla.

Jam vero, iisne locis vox ἀπὸ τοῦ νῦν tempus ita quasi continuum designat ut quod ex hoc puncto temporis eventurum affirmatur, reapse ex hoc puncto temporis, nullo spatio temporis interjecto, evenire debeat, an potius longior brevior interjectus esse possit spatii locus inter punctum temporis praesens voce ἀπὸ τοῦ νῦν significatum atque id quod est ex hoc puncto temporis eventurum?

R. P. Joüon in his tribus ex S. Lucae Evangelio exemplis, quae sola ille declarat (1), intervallum putat esse interjectum; quod idem videtur de loco ex Actibus Apostolorum sumpto posse dici. Locus si excipitur ex cantico Magnificat in quo suspensi incertique pendemus (2), in reliquis R. Patrem Joüon, expertum atque subtilem valde in vestiganda notandaque Evangeliorum locutione, recte judicare censemus. Exempli causa, ait Salvator noster: «Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem: erunt enim ex hoc (= ἀπὸ τοῦ νῦν) quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres dividentur» (3). In hoc exemplo intervallum temporis perspicue apparet idemque satis infinitum. Exponit enim Dominus quantum deinceps doctrina et

(1) *L'Évangile de N. S. Jésus-Christ,* apud «Verbum Salutis», t. V, pp. 282, 324, 384.—R. P. Lagrange acute notat quum de *Lc.* XII, 52 scribit: ἀπὸ τοῦ νῦν «indique que le fondement est posé, mais non pas le plein développement de la chose annoncée, qui, d'après le v. 50 ne doit se réaliser qu'après la passion. C'est ainsi qu'on ne pouvait déclarer Marie bienheureuse qu'après avoir connu la gloire du Messie, et que Pierre ne devait pêcher les hommes que plus tard»: *Évangile selon S. Luc.,* ed. 4, 1927, p. 374.

(2) En Beatae Virginis verba: «Ecce enim *ex hoc* beatam me dicent omnes generationes». Ut temporis intervallum proprie hic esset, aliqua ex «generationibus», ex quo tempore Beata Virgo haec pronuntiavit, esse deberet quae Virginem beatam non praedicaret; id autem rectum non videtur.

(3) *S. Luc.,* XII, 51, 52.

opus suum habitura sint efficacitatis; nempe quum rei maturitas veniet tempusque oportunum, efficient illa —etsi non semper, quod liquet— ut a Jesu tracti homines ipsis etiam parentibus atque cognatis, si opus erit, vehementer resistant. Hac de causa P. Joüon ita locum vertit ut quasi prospectum infinitum relinquat: «Car, à l'avenir, cinq dans une maison seront divisés» (1).—Similia de duobus aliis locis possunt notari; quare ipse P. Joüon aliam quoque infinitiorem loquendi rationem adhibet ut Jesu ad S. Petrum exprimat responsionem, qui post portentosum piscatum a Jesu precatus est ut a se peccatore recederet. «Noli timere, ait illi Jesus; ex hoc (ἀπὸ τοῦ νῦν) jam homines eris capiens» (2). Vertit P. Joüon: «Ne crains pas; un jour ce sont des hommes que tu prendras» (3).

b) מֵעַתָּה. Hebraica haec forma ad formas ἀπ' ἄρτι et ἀπὸ τοῦ νῦν maxime videtur accedere. Rara et insolens illa quidem existit, multo magis, quod planum est, quam simplex עַתָּה sine praepositione. Non desunt tamen exempla quae indicio sunt fieri posse ut מֵעַתָּה infinitionem quamdam sermoni relinquat. Altero Paralipomenon libro Asam, regem Juda, a quodam vate reprehensum esse fertur, quia ut Baasam regem Israel repelleret, «habuit fiduciam in rege Syriae et non in Domino». Ob hanc diffidentiam sic ei vates Dei nomine praenuntiat: «...Stulte igitur egisti, et propter hoc ex praesenti tempore מֵעַתָּה adversum te bella consurgent» (4). Non satis haec bella in Sacris Litteris definiuntur neque possunt eorum natura et initium proprie accurateque monstrari. Verba

(1) Lc., p. 384
(2) *S. Luc.*, V, 10.
(3) Lc., p. 324.
(4) XVI, 9.

tamen manifesto temporis intervallum satis infinitum esse patiuntur. Satis est si adversus prosperum regni cursum, quo Asa propter rectam vivendi rationem Deique providentiam adhuc erat usus, tristis nuntius perfertur fore ut deinceps securus jam esse non possit; quin serius ocius, hac illave occasione, tempus sit futurum quum, pace turbata, bellum contra ipsum inferatur.

c) Similes nostra memoria usitatae formae.—Creber apud nos similis est usus quum verbi causa dicimus: desde ahora, desde este momento, alia id genus; putamusque idem in aliis linguis usu venire; est enim loquendi modus qui sua vi suaque sponte e rebus ipsis videtur existere. Generatim haec loquendi ratio tunc praesertim solet adhiberi quum, sive re et veritate sive opinione tantum, ex praesenti jam tempore principium seu fundamentum quoddam jacitur, quo posito id, quod futurum nuntiamus, consequetur aut certe consecuturum arbitramur. Exemplorum ubertas praesto est. Filium familias a parente ad scholam quamdam mitti «laicam» cogitatione fingamus; exponit amicus quantum mali quantumque periculi hoc consilio claudi continerique videatur; perspecta denique inexplicabili et insana parentis caecitate, exclamat: «Ergo paratus sis; ex hoc tempore — desde ahora, quod hispani dicimus— filium videbis devium quemdam depravatumque factum». Hic positum est re et veritate quiddam, certum depravationis semen, quod serius ocius, fortasse aliquot post annos, sed suo utique tempore fructus acerbissimos feret.—Alias id quod ex praesenti tempore existit, intus in animo inclusum est; verbi gratia, stabile fixumque decretum. Catholicus quidam de neglectis ab amico civis officiis amice cum eo conqueritur; tandem, «catholicusne, ait, tu es, atque hoc modo te geris?»

Convictus amicus, veritatisque judicio quasi coactus: «Nae ego, respondet, catholicus sum; tibique spondeo fore ut ex hoc puncto temporis —desde este instante, hispane— in omnibus comitiis me pro nostra catholicorum causa decertantem videas». Quantumvis insignitus, exaggeratus sermo esse videatur, intervallum patitur, et fortasse quidem longum, inter istud temporis punctum et futuram amici vitam actuosam. At fixa, stabilis, rata sententia satis est ut haec loquendi ratio, hoc modo prolata, non solum mira et exquisita minime censeatur, sed plana et expedita et sine ullis salebris feratur, ea demum quae omnino probabilis esse videatur.

Itaque ex iis omnibus, quae adhuc disputavimus, haec videntur generatim posse concludi: universo hoc dicendi genere, ἀπ᾽ ἄρτι non excepto, quantacumque ejus vis est atque pondus, posse id, quod futurum nuntiatur, in quadam infinitione ita relinqui, ut quando sit eventurum, proximo an longinquo tempore, nisi ex materia ceterisque rebus, saepenumero perspici bene definirique non possit. Hac utique ratione affirmari potest voce ἀπ᾽ ἄρτι, ceteris similibus, tempus, quo id quod futurum nuntiatur eveniet, proprie et, ut scholastici ajunt, fomaliter non significari, sed terminum «a quo» tantummodo exprimi; etsi verum est appropinquationem quamdam illius, quod eventurum est, re et veritate, sive, ut ajunt, materialiter saepe significatam videri.

His ita expositis, ad nostri loci interpretationem veniamus licet; quae quidem nihil aliud esse potest nisi eorum omnium, quae adhuc disputavimus, fructus atque conclusio.

§ II

Interpretatio ipsa

1. Propria sententiae vis atque ratio

Majoris perspicuitatis causa locum dividamus, ac primum quidem verba illa: «...amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris Virtutis» aggrediamur ad interpretandum.

Haec verba Dominus pronuntiavit, postea quam Caiphae respondit, seque, simplici quidem sed omnino maxime solemni ratione, Messiam Filiumque Dei declaravit. Per oppositionem ad praesentem ignominiae statum affirmat Dominus se gloria potentiaque clarum, illius nempe propria qui ad dexteram Dei sedet, ab illis esse deinceps videndum. Ergo ignobilitatis tempus in perpetuum exstinctum est: deinceps sua Messiae Filiique Dei gloria fulgere incipiet. Quapropter sic loquitur Dominus quasi judicibus illisve generatim, qui concilio aderant, diceret: Adhuc me conspexistis, quin me nunc etiam vilem abjectumque conspicitis; verum «ex hoc temporis puncto, QUOTIESCUMQUE ME DEINCEPS VIDEBITIS, videbitis profecto gloria clarum, potentia et majestate decoratum, ad dexteram Dei sedentem». Explicatio haec cum ea vocis ἀπ' ἄρτι significatione penitus congruit quam paulo antea explanavimus, ad cujus vim atque naturam potest vox ἀπ' ἄρτι tempus illud, quo eveniet id quod praedicitur futurum, in infinitione quadam relinquere. Infinitionem hanc et sine termino prospectum exprimere voluimus, illo apposito commentario, q u o t i e s c u m q u e m e d e i n c e p s v i d e b i t i s; qua quidem simplici notatione verba Domini nostri planam videntur habere expeditamque sententiam.

Ad alterum igitur membrum veniamus: «...et venientem in nubibus caeli». In illo inciso «sedentem a dextris virtutis», vel, quod S. Lucas scribit, «sedentem a dextris virtutis Dei» sermo per translationem manifesto habetur, quo non merus actus fluens sed gloriae potentiaeque status ostenditur. Hac de causa, ea esse videtur recta eademque plana explicatio: «ex hoc temporis puncto, quotiescumque me deinceps videbitis, videbitis profecto ad dexteram Dei sedentem». Contra, membro illo «venientem in nubibus caeli» non status sed actus demonstratur: actus qui, si materiam omittimus, sua vi suaque natura possit fortasse saepius iterari, actus tamen vere proprieque est. Quisnam proprie actus sit iste, ipsa traditio, quod initio notavimus, plane aperteque declarat, tanta profecto auctoritate quantam nos nullo modo declinare audeamus, eoque magis quod traditionis testimonium cum maxime plana expeditaque sententia congruit. De actu igitur sermo habetur in illis Christi verbis «venientem in nubibus caeli». Quapropter ea demum explicatio esse debet quae prioris membri explicationi respondeat: «...et, quotiescumque me venientem videbitis, videbitis venientem in nubibus caeli», gloria et majestate et potentia clarum.

2. Res ipsa atque veritas

Quisnam ille sit, re ac veritate, Christi super nubes adventus de quo sermo est nostro loco, traditio perspicue ostendit: est nimirum alter gloriosusque Christi adventus ad universos homines judicandos. Tunc igitur, ut ceteri homines, sic etiam synedri, Christi nunc judices, hunc super nubes venientem ad se universumque humanum genus judicandum videbunt.

At quemadmodum primum responsionis membrum: «...videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis» ad rem veritatemque sit traducendum, non eadem perspicuitate monstratur. Certe quidem, postremo saltem mundi tempore, quum veniet Christus ad judicandos homines gloriosus, tunc synedri quoque Christum tamquam summum ipsorum cunctorumque hominum judicem ad dexteram Dei videbunt.

Eone solum tempore id accidet? Si Domini verba, ad synedros proprie illosve qui concilio ade rant ,conversa existimamus, nullum aliud temporis punctum nisi postremus judicii dies certo potest demonstrari. Hoc excepto, ultra in hac re quo progrediamur quam ut veri videamus similia conjecturasve non habemus (1). Ob eam causam ab his nos exponendis abstinere prudentius judicamus. Satis est nunc nobis, satisque ad propositum erat quum verba illa Jesus pronuntiabat, factum quoddam gravissime statuere et affirmare: nempe ab illo temporis puncto fore ut numquam deinceps vilem se et abjectum viderent; sed contra, quum eum essent, quod erat certissimum, conspecturi, fore ut eum jam conspicerent majestate summa summoque gloriae splendore decoratum.

At si Domini verba, quod multi continuo post

---

(1) Ob solum verbum «videbitis» nihil esset incommodi quod in singulorum post mortem judicio Christum synedri viderent, quamvis solus tunc animus proprie judicetur. Similes loquendi formae exstant apud *S. Lucam* XXIII, 43; XVI, 23 sqq., et in II *ad Cor.*, V, 8.—Incommodum ex ea re oritur quod Humanitas Jesu est videnda. Si judices illi, nonnulli saltem, beatitudinem sunt adepti, nihil obstaret. Secus, aliquid utique obstat, nimirum quia in singulorum post mortem judicio sanctissimam Christi Humanitatem ab animo condemnato videri, probari non consuevit. Affirmare vero quosdam ante ascensionem ad fidem esse conversos vidisseque Christum a mortuis excitatum; aut, si forte post ascensionem sunt conversi, Christum tamen videre potuisse; aut S. Paulum, qui utique Christum vidit, concilio fortasse adfuisse; alia multa id genus: omnia ista in affirmationes abeunt quae scienter probari non possunt. Potuit id usu venire; an ita res contigerit, nescimus

Patrum aetatem censuerunt, latius patere crederemus, ut, quamvis synedros solos prima specie appellent, tum ad eos tum etiam ad cunctos alios, saltem Judaeos, proprie pertinere dicantur, valeantque: «...tum vos tum quicumque deinceps me viderit, gloria et potentia illustrem me videbit»: tunc profecto Domini praedictio usu veniret quotiescumque Jesus inde ab ipsa resurrectione, sive ante sive post ascensionem, praesens videretur. Etenim, quod paulo ante notavimus, si Christus a mortuis excitatus videtur, certa quadam ratione dici jam potest Christum gloriosum «ad dexteram Dei sedentem» videri. Tunc etiam, id quod Christus praenuntiavit tamquam futurum, reapse cito evenisset, nimirum continuo post passionem.

Quod cito eveniat id quod futurum praenuntiatur, commodum afferre sententiae multi arbitrabuntur, modo sine vi una cum hac interpretatione eschatologica verborum Christi interpretatio pro altero membro: «...venientem in nubibus caeli» possit teneri. Quare disputationi nostrae finem faciemus si prius speciem quamdam cogitationemque, quam nobis commovit mirum quiddam in variis interpretationibus notatum, proponemus.

3. Mirum quiddam notatione dignum

Initio fere nostrae disputationis, quum allatis Patrum testimoniis quaedam colligebamus, animadvertimus ita vocis ἀπ᾽ ἄρτι vim esse ab Origene declaratam ut ea voce solum primum verborum Christi membrum: «sedentem a dextris virtutis» doctor alexandrinus affectum esse vellet. Similiter pauci illi Patres, ut S. Hilarius, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Ambrosius, qui de eadem voce aliquid explicationis attulerunt, primum tantummodo membrum hac voce ἀπ᾽ ἄρτι affectum

esse voluerunt. Singulare hoc factum ad cogitandum nos impulit.

Itaque re diligenter cogitata, sic nobis de proposita re dicendum videtur: vox ἀπ' ἄρτι si compositam ex aliquot membris orationem antegreditur, cuncta haec membra eatenus afficit ut terminum «a quo», post quem evenire debet quod singula membra significant, omnibus omnino membris sine dubitatione praescribat; hoc tamen posito, quamvis ἀπ' ἄρτι, re saltem, appropinquationem quamdam temporis includeret, ejusmodi appropinquatio solum ad primum, ad reliqua membra non valeret.

Antequam ista paulo magis enucleamus, notare properamus rem ita a multis magnisque interpretibus, de quibus supra diximus, intellectam videri; a multis videlicet ex illis qui vocabulis «mox», «post breve tempus», aliis similibus, vocem ἀπ' ἄρτι convertunt, quum tamen Christi super nubes adventum, quem noster locus habet, parusiam esse arbitrentur. Id illustrius apparet, si de factis quibusdam, quae paulo post resurrectionem contigerunt, primum membrum explicatur. Hujus rationis agendi optamus ut aliquid causae afferre possimus. Hanc vero causam nobis praebet cotidianus usus, ipsis naturis rerum, nostra quidem opinione, nixus. Exempla quaedam proponamus, adhibitaque nostra hispanorum loquendi ratione «desde ahora», quae majore quadam vi ipsum ἀπ' ἄρτι reddit et exprimit, rem illustrare conemur.

a) Imprimis, quum varia suppetunt membra quibus antecedit «desde ahora», fieri potest ut inde ab altero membro reliqua eventura non sint tanta celeritate, quanta primum membrum, sed potius in majori minorive temporis infinitione relinquantur. Ponamus filium familias de laboris inertia negligentiaque in studendo gra-

viter a parente reprehendi. Paenitens filius «Promitto, ait parenti, totum hoc jam esse finitum; d e s d e a h o r a , ex hoc temporis puncto, videbis me studiis deditum condiscipulorumque principatum tenentem». Jam vero, optime fieri potest ut, sermonis vi et natura diligenter accurateque servata, animi applicatio ad studia illico incipiat, quum tamen principatus adeptio tardius vel etiam multo tardius habeatur.

b) Fieri etiam p o t e s t ut primo membro certi cujusdam actus statusve significetur inceptio, reliquis vero membris actus statusve monstrentur subsequentes; quin fieri etiam p o t e s t ut postremo membro postremus quoque actus ostendatur. Idem, quod supra attulimus, consideremus exemplum. Praeclare filius respondere potest parenti: «Tibi promitto fore ex hoc temporis puncto, d e s d e a h o r a , ut me penitus immutatum conspicias; et studiis deditum et condiscipulorum principatum tenentem et summum magistri judicium approbationemque prae omnibus consequentem».

Quem moveant in his exemplis, quem turbent verba illa d e s d e a h o r a seu ex hoc temporis puncto? Ne tum quidem, quamvis filius dixerit: « e x h o c t e m p o r i s m a t h e m a t i c o p u n c t o » , «desde este preciso instante». Quis eschatologista in hac loquendi ratione, expedita et plana et sumpta de medio, argutias quaerat? quis ridicula quadam s c i e n t i a e ostentatione dicere audeat verbis illis « d e s d e a h o r a » , « e x h o c t e m p o r i s p u n c t o » cuncta sic affici membra ut ad ea omnia temporis significetur appropinquatio, eventus jam jamque praesens, &, & ? «Id est clarum et illustre tamquam sol», exclamat ad hanc eamdem rem nostram scriptor quidam idemque protestans. Ejus testimonium, lingua ipsa germana ad verbum

expressum, nobis libet describere integrum, quia et supra allatum suppeditavit exemplum, et praeterea explicationem praebet quae, quamvis aliqua ratione distincta, eadem fere videtur esse quam antea proposuimus. Ergo ita Ebrard, quem modo appellabamus: «Wenn zwei konsecutive Fakta genannt sind, deren ersteres seiner Natur nach ein dauerndes ist, und wenn von dem ersteren dieser Fakta der terminus a quo angegeben wird, so versteht es sich ja von selbs, dass dieser term. a quo nicht zugleich zum zweiten Faktum gehören kann. Wenn ein Sohn zu seinem Vater sagt: «Von jetzt an wirst du sehen, dass ich fleissig sein und einen Schulpreiss davon tragen werde» (1), so liegt darin nicht, dass der Sohn den Schulpreiss jetzt in dem Angenblicke des Sprechens davonträgt. Sondern das von jetzt gehört bloss zum fleissig sein. Dies ist klar wie die Sonne» (2).

Horum omnium ad nostram rem plana est accommodatio. Si quis, Origenis sequens exemplum, Domini verba in synedrio habita non putat

---

(1) Apud nos hispanos potest verbum praesenti etiam tempore exprimi: «Desde ahora tú verás que yo soy aplicado y consigo el premio de la clase»; vel etiam: «Desde ahora tú me verás aplicado, y conseguir (o consiguiendo) el premio de la clase», &., &.

(2) *Wissenschaftliche Kritik der evangelischen Geschichte*, auctore *Joh. Heinr. Aug. Ebrard*; ed. 3, Frankfurt a. M., 1868; sect 2.ª, cp. 8, § 107, p. 694.—Professor *Carolus Weiss*, in opere saepius commemorato, significari vult vocabulo ἀπ' ἄρτι temporis appropinquationem in utroque membro (pp. 179-181). Duas affert praecipuas causas: a) Si ἀπ' ἄρτι temporis appropinquationem in primo solum membro significaret, locum alium occuparet. Probabiliter sic verba essent composita: «Videbitis F. h. amodo sedentem...», &.—Respondemus: Sane is ordo apertius, significantius si placet, temporis appropinquationem in primo tantum membro per vocabulum significari indicaret; satis tamen eam indicat adhibitus ordo, seu potius id ita sine ullo incommodo esse posse permittit.—b) Si ἀπ' ἄρτι in primo solum membro temporis appropinquationem significaret, verbo «videndi» alia subjiceretur notio quatenus membrum prius, alia quatenus alterum afficeret.— Respondemus: Incommodum hoc explicationem nostram minime urget, sed

ad solos synedros esse referenda, sed ita latius patere ut ipsos Jesu discipulos includant, potest ea jure ac merito interpretari ut primi membri veritas in resurgentis Jesu praesentiis consistat, alterius vero membri veritas ad extremum spectet actum judiciumve postremum. Ut filius ille, totum ab uno temporis puncto studiorum curriculum cogitatione complectens, parenti poterat dicere: «Ex hoc temporis puncto, d e s d e a h o r a. me prorsus immutatum videbis; et studiis deditum et summum magistrorum judicium approbationemque prae omnibus consequentem»: sic Domini verba gloriosum Messiae absoluta passione cursum seu potius principium illius atque extremum possunt significare summatim. Scilicet, absoluta passione, continuo ad Dei dexteram Messias sedebit et ad extrema mundi ipse quoque veniet ut omnes judicet homines gloria et majestate clarissimus; totum autem hoc magnificum gloriae curriculum iidem illi homines, quos alloquebatur Jesus, suo tempore intuebuntur, nec alia erunt exspectanda saecula ut splendidum initium fulgere jam cernant: « A m o d o v i d e b i t i s F i l i u m h o m i n i s s e d e n t e m a d e x t r i s v i r t u t i s (D e i), e t v e n i e n t e m i n n u b i b u s c a e l i» (1).

---

aliorum, ut P. Knabenbauer, ut P. Muncunill, &. Nos enim verbo «videndi» eamdem in utroque membro subjicimus notionem.

Dolemus nos cum Professore Weiss non saepius in hac causa congruere. Ejus opus, summis efferendum laudibus, magnus quidam est motus conatusque locorum eschatologicorum subtilissime explicandi. Acerrime magnaque vi disputat promitque de suo; nos vero traditionis praesentiam desideramus.

---

(1) Qui «videndi» notionem latius patere volunt eamque ad primum membrum ita accommodant ut «cognoscere», «experiri», alia similia significet, possunt aequo aut firmiori etiam jure certam quamdam temporis, quo res eveniat, appropinquationem priori membro adscribere, alteri negare. Verum haec interpretandi ratio, praeter illa omnia incommoda quibus earum interpretationum, quae temporis appropinquationem affirmant, universum genus est affec-

Postremam hanc notationem majoris ubertatis et copiae causa breviter addendam putavimus, quamquam nobis quidem maxime planum videtur Domini verbis synedros solum, eosve qui concilio aderant, vere proprieque appellari. Hoc autem posito, confecta est ista, qualis ea cumque est, quam etiam tota hac disputatione explanavimus, interpretatio.

---

tum, hoc etiam habet incommodi quod verbo «videndi» latiorem quamdam subjicit notionem quam nos ob ea quae jam diximus, probare non possumus.—Est qui ad istam interpretationem fulciendam, locum illum S. Joannis adducat: «Quum exaltaveritis F. h., *tunc* cognoscetis quia ego sum...» (VIII, 28). Sed quemadmodum hic locus rem probet, satis intelligere non possumus. Postea quam Judaei F. h. *exaltaverint*, ὑψώσητε, id est, post passionem, varia contingere debebant: alii Christum visuri erant resurgentem; alii in caelum etiam ascendentem; multi cognituri erant, γνώσεσθε, (v. gr. ob apostolorum miracula praedicationemve) Jesum vere esse Christum. At non continuo, si locus quidam unam de his rebus affirmat absoluta passione eventuram, quicumque alius locus, qui etiam aliquid post passionem eventurum affirmet, eamdem et unam rem partemve saltem rei affirmabit.

CAPUT QUARTUM

De sermone eschatologico: S. Matthaei capite XXIV

Aggredimur tandem aliquando ad S. Matthaei arcanum caput XXIV interpretandum, proinde ad eam quae recte appellata est totius Evangelii obscurissima pagina (1). Locus est longus, perdifficilis etiam; quod hac super re scriptum est, fere infinitum. Si, quemadmodum in aliis conati sumus facere, in hoc etiam eschatologico loco de singulis versiculis, quamvis contracta et brevis, adumbranda nobis esset, extremis saltem lineamentis, historia, et rationibus firmanda interpretatio, totum volumen impleremus. Modus igitur quaerendus. Verum ex alia parte totum locum atque ea imprimis quae objiciuntur praecipua, excutere necesse est. Ut autem extrema haec duo simul constare possint, ratio quaedam media succurrit: videlicet quae ad eschatologicum sermonem recte intelligendum plus habent momenti suntque velut ceterorum caput, ea utique, expressam rationibusque fultam adhibentes interpretationem, exstare atque eminere faciemus; cetera sua sponte consequentur, aut velut secundaria poterunt etiam praeteriri.

Quare in duas partes nostram partiemur disputationem. In priore quaedam facta proponemus, nempe de quibusdam potissimis versiculis quid majores nostri senserint, exponemus; in altera, his omnibus positis, connitemur ut viam monstremus quam inire oportet vel saltem quam

(1) *Durand, Ev. selon S. Matthieu...*, apud «Verbum Salutis», I, 3.ª ed., p. 382.

inire possumus quum S. Matthaei caput XXIV interpretamur, sive in se ipsum sive cum S. Marci capite XIII, S. Lucae capite XXI collatum; quae duo capita respondere ei, partim saltem, videntur.

PARS PRIMA

Facta proponuntur

Versus 15: «Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto —qui legit, intelligat— tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes...»

R. P. Beda Rigaux hujus loci interpretationem orditur insigni hac exclamatione: «L'abomination de la désolation! traditionelle crux interpretum» (1). Sane crux est; sed quantumvis licet hac cruce oneremur, praetermittere eam non possumus. Imprimis vero sapienter locanda est; ex hoc enim ad totum locum intelligendum multum lucis afferri potest, quandoquidem v. 15 tum cum antecedentibus tum cum insequentibus versiculis jungitur.

Principio, quod «abominatio desolationis» ad illud solum pertinet tempus quo Hierosolyma excisa et eversa est, magnorum interpretum auctoritate commendatur. Satis fuerit S. Augustinum in Occidente (2), S. Joannem Chrysostomum in Oriente (3) testes afferre locupletissimos. Quin, nostra praesertim memoria, huic interpretationi complures sane auctores pri-

(1) In egregio opere *L'Antéchrist et l'Opposition au Royaume Messianique dans l'A. et le N. T.*, 2.ª part., cp. I, n. VII, p. 238, Gembloux, 1932.

(2) *Ep.* 199, nn. 28-30; ed. *Goldbacher*, CV, v. 57, sect. II, part. IV, pp. 268-271.

(3) *In Matth., hom* 75, n. 2 et *hom.* 76, n. 1; MG 58, 689-693.— Cfr. *Adv. Judaeos*, V, n. 10; MG 48, 899.

mas detulerunt, aut etiam non raro, ceteris fere exclusis, solum ipsam retinendam esse judicarunt.

Verum alia exstat interpretatio, quae inde jam ab ultima antiquitate, toto praesertim tempore Patrum, multum celebrata est; quamvis autem pristina eam gloria nomenque defecerit, patronos tamen semper laudatoresque egregios ad nostra usque tempora habere non destitit. Haec interpretatio tenet versum 15 ad postrema tempora, praesertim vero ad Antichristi tempora, pertinere.

§ I

Qui doceant ac teneant Sancti Patres

I: ab initio ad saeculum V

Saeculis II-III

Horum interpretum a S. Irenaeo ducamus exordium. Profecto ad eos commendandos nullum fere aptius excogitari potest initium, quum S. Irenaei suffragium multis nominibus illustrissimum sit atque gravissimum. S. Polycarpi in Asia discipulus, cujus doctrinas ut aliorum etiam presbyterorum magna religione collegit, in Occidentem venit, Occidentis auctores, praesertim S. Justinum scrutatur, eorum praeceptis institutisque prorsus imbuitur, cum principe Ecclesia Romana tum scriptis tum itineribus etiam susceptis communicat, denique quum Lugdunensis ecclesiae Episcopus creatur, ejus sedes et recte nominari potest et re vera praestanti quadam ratione sedes est tum doctissimi tum traditionis studiosissimi Episcopi. In opere igitur praecipuo C o n t r a h a e r e s e s , quum de Antichristo scribit notatque fore ut hic et Christum se et Deum haberi concupiscat, ad id autem Hierosolymae in veri Dei templo considat, sic ait: «...in quo (templo) adversarius sede-

bit, tentans semetipsum Christum ostendere, sicut et Dominus ait: Cum autem videritis abominationem desolationis, quod dictum est per Danielem prophetam, stamtem in loco sancto (qui legit, intelligat), tunc qui in Judaea sunt, fugiant in montes... » (1). His verbis non videtur ea, qua ceterae excludantur, subjecta esse sententia. Nempe S. Irenaeus illud solum affirmat versu 15 significari Antichristum. Solumne Antichristum? Id quidem S. Irenaeus non exprimit. Ab excellenti quodam praestantique viro, ejus aequali, de hac re audiemus.

Quum S. Irenaeus altero fere et ducentesimo anno martyr mortem obibat, florebat Romae princeps fortasse eo tempore Romanae Ecclesiae theologus; qui, quamvis multos annos ab Ecclesiae veritate desciverit, ad eam nihilominus tandem aliquando rediit et tamquam martyr etiam anno 235 mortem obiit: S. Hippolytus; egregius sane vir, admirabili natura, qui praecipue quidem interpres apparet et exstat, omnem tamen sacrae scientiae formam primus ex antiqua Ecclesia persequi videtur.

Ex multis, quos edidit, unus dumtaxat dogmaticus liber servatur totus, cujus hic solet esse titulus Περὶ τοῦ Ἀντιχρίστου, anno fere 200 scriptus (2). Ibi S. Hippolytus versus 15-22 ad Antichristi tempora plane refert (3). Idem etiam praestat paulo post, anno 204, in Danielis commentario qui omnium quotquot de Sacra Scrip-

---

(1) V, 25, 2; MG 7, 1189-1190.

(2) Ad temporis ordinem notandum quo S. Hippolyti opera scripta possunt videri, cfr. *Ad d'Alès, La Théologie de S. Hippolyte*; Introduction, XLVII, sqq., Paris, 1906.

(3) Cp. 62; cfr. cps. 61, 63, 64; ed. *Achelis*, CB, v. I, part. 2.ª, p. 42 sqq.

tura exstant aut noscuntur, antiquissimus videtur. Loci autem, ubi S. Hippolytus ita interpretatur, nonnulli sunt. Velut «Hunc (Antichristum) abominationem desolationis Dominus declaravit» (1). Etenim si de locis asservatis loquimur, nusquam potuit Dominus ita appellare Antichristum nisi versu 15 e cp. XXIV S. Matthaei aut loco simili e S. Marco.—Alio loco, postea quam commemoravit discipulos tum ante resurrectionem tum post resurrectionem a Domino quaesivisse quandonam ejus futurus esset adventus, quando etiam regnum Israel restituendum, porro autem Dominum id significare noluisse, adjungit S. Hippolytus ea quidem, quae tempore eveniunt, ex signis esse intelligenda. Jam vero, pergit idem S. Hippolytus, «quo modo de Hierosolyma urbe loquutus est (Dominus) et, quae dicta sunt, usu ei venerunt, quum enim videritis, inquit, circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus: sic nunc exspectemus necesse est; quum enim videritis, inquit, abominationem desolationis stantem in loco sancto—qui legit, intelligat— tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes... Atqui, abominatione nondum praesente... qui potest ἡ ἐπιφάνεια τοῦ Κυρίου adesse?» (2). Hoc loco exstat quiddam notatione dignum. Sanctus enim Hippolytus locum S. Lucae XXI, 20, locumque S Matthaei XXIV, 15, sibi proprie respondere agnoscere non videtur; alter, de illius sententia, praeteritum significat eversionemque Hierosolymae ostendit, alter futurum demonstrat atque An-

(1) L. IV, cp. 49; ed. *Bonwetsch*, CB, v. I, part. 1.ª, p. 312.
(2) L. IV, cp. 17; lc., pp. 226-230.

tichristi tempora praedicit. — In «Capitibus adversus Cajum», ab anno fere 210 ad 217 probabiliter scriptis, longius progreditur. Negat enim in illis versum S. Matthaei 15 ad Hierosolymae eversionis tempus pertinere. Hujus operis, per brevem, quem Dionysius Bar Salibi de Apocalypsi commentarium scripsit, nonnulli exstant loci, syriaca lingua. Eorum unus, a Sedlacek in latinum conversus, ita sonat: «Scribit Hippolytus aliter applicans quod dictum est in Evangelio: Quando videbitis pollutionem desolationis. Dicit enim non de Judaeis nec vastatione Jerusalem illa dicta esse, sed de fine et Antichristo» (1). Paulo vero post, quum versum 21: Erit enim tunc tribulatio magna... Bar Salibi interpretatur, haec affert S. Hippolyti verba: «Ergo non de Jerusalem hoc dixit Dominus, nam quando voluit de ipsa loqui, dixit: Quando videbitis exercitum cingere urbem, scitote quia prope est vastatio ejus. Ergo pollutionem ruinae Antichristum appellat» (2).—Denique in iis qui restant mutili interpretationis loci, in tres linguas conversi, bohairicam, aethiopicam, arabicam, eminet quiddam notatione dignissimum; videlicet, abominatio desolationis ad utrumque pertinet tempus, ad Hierosolymae eversionis tempus et simul etiam ad Antichristi tempus. Sic se habet locus quidam bohairice redditus, inculcatis vocabulis graecis saepe distinctus quae sine casibus, ut sunt, relinquemus: «Abominatio desolationis, aiebat ille, imago est Caesaris (la εἰκών del καῖσαρ) Hierosolymae pro altari

(1) CSChO, *Scriptores Syri*, series 2.ª, t. 101, *D. Bar Salibi in Apoc.*, conversus a I. *Sedlacek*, p. 12, Roma-Paris-Leipzig, 1910.—Cfr. ed. *Achelis*, CB, v. I, part. 2.ª, p. 244.

(2) Lc., p. 13.—Cfr. ed. *Achelis*, lc

locata. Sic δὲ etiam, aiebat ille, est quod Antichristi tempore (d e l ἀντίχριστος) eveniet. Ille suam εἰκών in omni ἐκκλησίᾳ quae supra οἰκουμένῃ est collocabit» (1).

Dolendum sane est, quo fuerint tempore conscripti hi loci, ostendi definirique non posse. Si forte post alia supra commemorata scripta prodierunt, tunc in S. Hippolyti interpretatione notabilem haberemus progressionem. Nempe initio simpliciter asserit versiculum 15 e capite XXIV S. Matthaei ad Antichristi tempora pertinere; eum paulo serius a loco S. Lucae XXI, 30, distinguit negatque ad Hierosolymae eversionis tempora referri; tandem in S. Matthaei commentariis utramque explicationem apte compositeque jungit, eodem versiculo ad utrumque etiam tempus scite accommodando. Quidquid autem id est, utique quod versus hic 15 ad Antichristi tempora spectat, in omni explicatione perseverat.

Anno fere 203 J u d a s quidam, probabiliter alexandrinus (2), de notissima 70 hebdomadum vaticinatione scribebat. Narrat Eusebius 70 hebdomadas, temporum notatione ab hoc scriptore facta, decimo anno Septimii Severi Imperatoris (193-211) absolvi; additque: Judas «etiam decantatum illum Antichristi adventum jam tum imminere existimabat; adeo commota tunc adversus nostros persecutio multorum animos vehementer conturbaverat» (3). Haec indicio sunt manifesto postremam saltem hebdomadem a Juda eschatologice intelligi; proinde perspicuum est, hoc posito, Salvatoris verba de a b o m i -

(1) *In Matth.* XXIV, 15; ed. *Achelis*, CB, v. 1, part. 2.ª, p. 197.
(2) *Bardenhewer, Gesch. d. altkirch. Lit.*, t. II, part. 1.ª, cp. I, § 50, pp. 95-96.
(3) HE, l. VI, cp. 7; ed. *Schwartz*, CB, v. 9, part. 2.ª, p. 534.— De latino cfr., MG 20, 535.

natione desolationis ad Antichristi tempora pertinere.

Paulo serius, medio fere saeculo III, tum in Oriente tum in Occidente varia existunt eschatologicae interpretationis indicia (1). Testes nominemus duos omnium fortasse eo tempore praestantissimos viros: S. Cyprianum (258) et Origenem (254-255).

Apud S. Cyprianum indicium interpretationis eschatologicae non leve reperimus. In libro De exhortatione martyrii, qui e Sacrae Scripturae locis breviter declaratis totus fere componitur, longum e capite XXIV S. Matthaei locum Sanctus Martyr excerpit: nimirum ab ipso versu 4 ad 31; in his ergo numeratur versus 15. Atqui descriptus iste locus totus hoc solum habet exordium: «Et cum a discipulis suis interrogaretur de signo adventus sui et consummationis mundi, respondit et dixit...» (2). Nulla, ut apparet, significatio, ne verbo quidem, eversionis Hierosolymae: cuncta ut responsum habentur ad interrogationem quamdam de altero Christi adventu mundique absolutione. Continuo post longum descriptum locum S. Cyprianus, admonitu nullo, ad aliud caput venit ex his quae sibi proposuerat.

Sed est imprimis notatione dignum hujus generis indicia apud Origenem quoque reperiri. Origenes quidem in S. Matthaei commentariis pos-

---

(1) Ex. gr.: *Pseudo-Cyprianus* (c. 243), *De Pascha computus*, cp. 14; ed. *Hartel*, CV, v. 3, pars III, *App.*, p. 261 sqq.—*Julius Africanus* (240-250); cfr. de hoc auctore S. Hieronymum in *Dan. Comm.*, ML 25, 548-549.

(2) *Ad Fortunatum*, cp. II; ed. Hartel, CV, v. 3, pars I, pp. 335-336.—S. Cyprianus postrema jam tempora incepisse opinatur, singillatim vero Antichristi tempora appropinquare coepisse. Ipsum operis initium sic orditur: «Desiderasti, Fortunate carissime, ut quoniam pressurarum et persecutionum pondus incumbit et in fine atque in consummatione mundi antichristi tempus infestum adpropinquare iam coepit...» I.c., p. 317.

tremam e 70 Danielis hebdomadis ab ascensione Christi numerare incipit, eamque annis fere 35 post eversam Hierosolymam, nulla prorsus temporis eschatologici significatione data, perfectam esse opinatur. At ipse in opere contra Celsum, quod est paulo post scriptum, sua vi suaque sponte et, quod majus est, rebus ipsis nihil postulantibus, interpretatione eschatologica utitur. Locus brevis, sed perspicuus. Principio asserit Origenes Celsum de Antichristo loqui quum tamen quid Daniel, quid S. Paulus de eo scripserint, quid etiam Christus Dominus de ejus parusia praedixerit, nihil prorsus intelligat; postea vero quam quaedam communiter dixit, aliquot de Antichristo e S. Paulo, e Daniele promit locos (1). Singulare id est quod, adducto noto illo S. Pauli loco ex altera ad Thessalonicenses epistola, quo affirmat Apostolus fore ut «homo peccati, filius perditionis in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus» (II, 4), adjungit Origenes: «id ipsum a Daniele expressum est in hunc modum: E t i n t e m p l o a b o m i n a t i o d e s o l a t i o n i s (d e s o l a t i o n u m, τῶν ἐρημώσεων) e t u s q u e a d c o n s u m m a t i o n e m t e m p o r i s c o n s u m m a t i o d a b i t u r a d d e s o l a t i o n e m» (IX, 27). Origenes, ut apparet, notissimo Danielis loco, quo 70 hebdomadum vaticinatio absolvitur, eschatologicam subjicit sententiam, atque adeo de ipso Antichristo illum plane interpretatur. Si locus hic eschatologicus est, reliqui duo: XI, 31 et XII, 11, quibus etiam a b o m i n a t i o d e s o l a t i o n i s attingitur, aut Antiochum Epiphanem, quod multi recentiores volunt, designant aut locus e capite XI hunc regem, locus vero e capite XII

(1) L. VI, cps. 45-46; ed. *Koetschau*, CB, v. 2, 3, (t. II ex Origenis operibus), pp. 115-118.

postrema tempora notat, quod veteres communiter malunt, aut, si quis volet, uterque locus ad tempora eschatologica pertinebit. Ex his tribus quodcumque ponatur, profecto Christus, quum Danielis affert vaticinationem, simillimum veri est ut eos respiciat locos qui futura praedicunt, proinde ut Domini verba in Evangelio allata eschatologicum quid sonent, ad ipsumque referantur Antichristum. Haec ratio firmatur, si quis considerat Origenem primum quidem Celso objicere eum non intellexisse quid Daniel et S. Paulus de Antichristo dixerint, quid de ejusdem parusia Salvator noster in Evangeliis praedixerit; postea eumdem Origenem locos afferre ex Daniele, ex S. Paulo; at vero ex Domino nostro locum afferre nullum. Id autem indicat locum de Antichristo, quo Dominus noster est usus, eumdem illum ab Origene judicari quem modo ad abominationem desolationis spectantem e Daniele ipse deprompserat, nihil vero opus esse ipsa Domini verba exprimere quippe quae loci e Daniele sumpti mera essent significatio.

Tertio vertente saeculo, ipsius etiam IV quasi collustratus radiis, cujus primum candorem suo martyris sanguine aspergit, S. Victorinus Petavionensis (303-311) eamdem nobis, quam S. Irenaeus ac S. Hippolytus, fidenter praebet interpretationem. Quamvis ejus opera horridiorem habeant sermonem latinum, tamen S. Hieronymo grandia sensibus videntur (1). Omnia fere perierunt. Eorum autem notissimum, quod unum certo exstat, identidem descriptum et refectum, commentarius est Apocalypsis. Quum in eo futuras Antichristi vexationes S. Victorinus exponit, et cum alia tum etiam hujus statuam Hierosolymae in templo locandam esse

(1) *De viris illustribus*, cp 74.

declarat, pergit porro: «Hoc Dominus recolens, ad omnes ecclesias de novissimis temporibus ait: Cum videritis aspernationem eversionis, quod dictum est per Danihel prophetam, stantem in loco sancto, ubi non licet, qui legit intelligat...» (1). Ipse autem, paulo ante, versum 16 qui cum 15 arcte conjunctus est: «tunc qui in Judaea sunt fugiant in montibus», ad postrema quoque tempora pertinere censuerat (2).

Saeculis IV-V

Ingredientibus nobis auream Sanctorum Patrum aetatem, testium copia major occurrit. Quare satius esse ducimus Orientem ab Occidente dividere atque utrumque lustrare separatim. Ab Occidente ordiamur.

Scriptores ex Occidente

Festinat animus ad duo nominanda clarissima saeculi IV lumina, si Doctorem Maximum. Sanctum Hieronymum, V saeculo relinquimus: sunt autem S. Hilarius (367) et S. Ambrosius (397), universae Doctores Ecclesiae.

S. Hilarius plane et perspicue sententiam fert, quamvis antecedentes versum 15 versiculos ad Hierosolymae eversionis tempora pertinere opinetur. Quod tamen nihil impedit quominus haec addat: «Sequitur deinde et indicium adventus futuri, cum abominationem desolationis stantem in loco

(1) Cps. XIII et XVII; ed. *Havsslciter*, CV, v. 49, p. 130.

(2) Cp. XII; lc., p. 112.—Adductus locus potuerit fortasse S. Lucae adscribi; at S. Lucae locum a S. Victorino ad Antichristi tempora referri, probabile non videtur.

sancto videbunt, tunc claritatis reditum intelligendum... de antichristi enim temporibus haec locutus est. Abominatio ex eo dictus, quod adversus Deum veniens honorem sibi Dei vindicet: desolationis autem abominatio, quia bellis et caedibus terram cum piaculo desolaturus sit» (1).

Fidentius judicat S. Ambrosius e cujus verbis elici videtur illam solam interpretationem, quae in abominatione desolationis Antichristum agnoscat, esse retinendam. Ipse enim, quum versum 30 e capite XXI S. Lucae: cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem... explanat, haec scribit: «Vere Hierusalem ab exercitu obsessa est et expugnata Romano. Unde et Judaei putaverunt tunc factam abominationem desolationis, eo quod caput porci in templum jecerint illudentes Romani Judaeicae ritum observantiae. Quod ego nec furens dixerim.» Attendas vero animum ad rationem quae consequitur: «Abominatio enim desolationis, execrabilis adventus Antichristi est» (2). Atqui, si facta per romanos fani excisio idcirco abominatio desolationis non est, quia abominatio desolationis ipse Antichristi adventus existit, sequitur ut hic adventus et nihil prorsus aliud, de Sancti Ambrosii sententia, abominatio desolationis dicendum esse videatur.

Summis his viris ducibus et magistris, mirum nemini videri debeat si alii quoque minorum gentium scriptores eamdem interpretationem proponant.

In poetica nostri loci expolitione, ab hispano presbytero Juvenco (c. 330) facta, plane

(1) *In Matth.*, XXIV, 15; ML 9, 1053-1054.
(2) *Exposit. Ev. Lucae*, l. X, n. 15; ed. *Schenkl*, CV, v. 32 (S Ambrosii Op., pars. IV), p. 461.

apparet cuncta sic exponi quasi ad postrema respiciant tempora. En quid versiculi 14 et 15 sonent, versibus hexametris contorti, quorum numeri et modi difficilia quaedam Evangeliorum verba vix ferre possunt, velut illa: a b o m i n a t i o d e s o l a t i o n i s:

«Regnorum caeli celebratio pervolitabit
In cunctas terrae metas; gens omnis habebit
Testem lucifluo sanctae sermone salutis.
Et tunc finis erit currentia saecula solvens.»

Hactenus versus 14 explanatio: «Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio». Ut ex eorum verborum: «et tunc veniet consummatio» explanatione colligitur, sentit Juvencus sermonem ibi haberi de postremis temporibus quum c u r r e r e saecla cessabunt. Itaque t u m—hoc enim modo jungit Juvencus v. 15 cum 16—adveniet a b o m i n a t i o d e s o l a t i o n i s quae a nostro poeta t r i s t i s d e f l e t i o vocatur:

«Adveniet jam t u m tristis defletio terris,
Quae Danihelis habet jussam verissima vocem;
Haec dignus tantum poterit cognoscere lec-
[tor» (1).

Approbantibus vel saltem magnam partem benevole concedentibus criticis, doctus sane benedictinus Dom G. Morin italico J u l i o F i r m i c o M a t e r n o (c. 360) «Consultationes Zacchaei et Apollonii» adscripsit. Liber hic inceptum in Occidente conatusve primus eorum exponendi, quae sunt capita doctrinarum Ecclesiae tum in re dogmatica tum in re morali, jure tibi videatur. Est ille quidem non parvi momenti

(1) *Evang. libri* IV, l. 4, vv. 117-123; ed. *Huemer*, CV, v. 24, pp. 116-117.

opus, theologice ac litterate scriptum, allicitque non parum lectoris animum eleganti quadam, casta, nobili, incorrupta ratione scribendi; quare ejus testimonium dignum est quod audiatur habeatque pondus. Octavo igitur capite e libro III ea tempora Firmicus describit quibus est Antichristus futurus. Quae quidem planum est de Firmici sententia esse propinqua, signaque promissa maximam partem evenisse. Vi praestigiisque daemonis completus est mundus iniquitate et quasi malorum immensa colluvie. «Qui (diabolus) coram continuo congressurus ita supremorum urgetur angustiis, ut, quod implendum evangelia praedixerunt, agere orbis desertione jam coeperit. Haec enim his, quae nunc memorata sunt, Dominus adjecit: cum videritis abominationem desertionis stare in minationem desertionis stare in loco sancto, qui legit intelligat; id est, cum fiet omnium solitudo terrarum sacrisque altaribus exsecrabilium imaginum abominatio praeponetur, et praedicatum fuerit hoc evangelium in toto orbe, tunc erit finis» (1). Quaecumque «abominationi desolationis» subjicienda erit res, utique «abominatio desolationis» nostri auctoris judicio ad postrema pertinet tempora.

Episcopus Aquilejensis, Fortunatianus, aut quisquis est auctor, brevibus quibusdam simplicibusque Evangeliorum notationibus, IV saeculo fere medio probabiliter scriptis, ita versum 15 interpretatur ut ad Antichristi etiam tempora nos ducat: «Abominatio, ostendit statuam antichristi positam in templo; desolatio, id est, consummatio» (2).

---

(1) Ed. *G. Morin* in «Florilegio Patristico», edito a *B. Geyer* et *J. Zellinger*, fasc. 39, p. 113.

(2) *Exposit. 4 Ev.*; *Matthaeus*; ML 30, 558.

Extremo fere IV saeculo, Quintus Julius Hilarianus, africanus, brevi quodam opusculo De mundi duratione libellus de 70 hebdomadis scribit ratione et via usus propria. «Ille primus in chronographis interpretibusque christianis Antiochi Epiphanis tempore hebdomadas absolvi docet» (1). Quod autem ad nostram rem attinet, satis aperit sententiam suam. Nam Hilariani judicio Antiochus Epiphanes forma est seu imago (=typus) Antichristi; cujus Antichristi tempora temporum quoque Antiochi similitudinem quamdam expriment (2), quamquam erunt illa Antichristi multo iniquiora et taetriora. Jam vero Hilarianus Antiochum imaginem esse (typum) Antichristi, tum notat et exprimit quum versus 26 et 27 e IX Danielis capite declarat in quibus nota illa verba reperiuntur «et erit in templo abominatio desolationis». Ipse igitur versus istos ad Antichristi tempora, significatione quadam imaginis ad exemplar, videtur referre. Quae cum ita sint, quoniam, hoc posito, reliqui duo Danielis loci, in quibus de «abominatione desolationis» sermo habetur, aut ad Antiochi Epiphanis aut ad eschatologica tempora, aut alter ad haec alter ad illa pertinere dicendi sunt, sequitur tamquam res expedita et plana quam maxime ut «abominationi desolationis» de qua Dominus in Evangelio loquitur, Hila-

(1) *Fraidl, Die Exegese der siebzig Wochen Daniels in der alten und mittleren Zeit*, Graz 1883; dritter Abschnitt, n. 30, p. 73.—Solum strictim et quasi per transennam integrum nobis fuit splendidum hoc opusculum evolvere, quippe quod jam venale non exstat. Oportunum valde esset illud de integro edi ut in recentissimis quibusdam disputationibus copiosa quae afferuntur Patrum testimonia possent diligenter ponderari et ad causam dijudicandam sapienter adhiberi.

(2) ML 13, 1097-1106.—«Ipse etiam Antiochus mente perversa Antichristi imaginem portans...» (n. XIV, lc., col. 1104); et paulo post: «Et erunt Antichristi tempora... qualia cum Antiochus sub regno suo unum populum in apostasia facere conabatur (n. XVII, col 1105).

rianus sententiam eschatologicam attribuisse dicatur, qua quidem Dominus aliquid, quod erat usu venturum, e Danielis vaticinatione praenuntiet.

Testem nunc gravissimum nominemus necesse est, cujus satis esset vel solum nomen afferre: S. Hieronymum, Doctorem Maximum. Bis saltem, saeculo IV fere exeunte atque saeculo V etiam ineunte, quid versus 15 e S. Matthaei capite XXIV significet, Sanctus Doctor explanat. Et primum quidem in S. Matthaei commentariis anno 398 confectis, in quibus initium explanandi facit statuens locum esse « mysticum » sive arcanum. Non circumscribitur S. Hieronymus definita una interpretatione, sed eam tamen principem proponit quae de Antichristo est: «Potest autem simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Caesaris, quam Pilatus posuit in templo, aut de Hadriani equestri statua...» (1). Quid praeferat Sanctus Doctor, non satis liquet hoc loco; at novem post annis, in epistola ad Algasiam planius atque liquidius loqui non potest. In quaestione quarta ex 11 quas nobilis femina usque ab extremis Galliae finibus S. Hieronymo exponit, vim interrogat eorum verborum Vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus (2).. Principio quidem statuit Sanctus Doctor ex antecedentibus versiculis manifesto vim istius pendere sententiae. Deinde exhibet aptos inter se colligatosque versus 14 et 15: «Cum enim evangelium Christi cunctis gentibus fuerit praedicatum et venerit consummatio viderintque abominationem desolationis quae dicta est a Danihele propheta, stantem in loco sancto, tunc praecipitur his, qui in Judaea sunt, ut fugiant in montes...; sta-

(1) *Comm. in Ev. Matth.*, l. IV; ML 26, 177.
(2) *S. Matth.*, XXIV, 19.

timque conjungitur: vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. In quibus diebus?» Audiatur S. Doctoris aperta definitaque responsio: «quando abominatio desolationis steterit in loco sancto; quod quidem juxta litteram de adventu antichristi praedicari nulli dubium est». Haec est Doctoris Maximi propria sententia, «licet quidam, addit Sanctus, Titi et Vespasiani adversus Judaeos et praecipue Hierusalem obsidionem pugnamque significari velint» (1). Quae verba declarant quare idem ipse interpretum in Occidente princeps eschatologicam de Antichristo interpretationem in S. Matthaei commentariis priore loco posuerit; quare in eadem etiam epistola, quaestione 11, occasione data ad locum ex II ad Thess., II, 3, explicandum, versum 15 tamquam eschatologicum notantemque Antichristi tempora, nulla prorsus alia commemorata interpretatione, simpliciter adducat (2). Tamen sive sub disjunctione sive tamquam ab aliis prolatas, alias quoque interpretationes refert S. Doctor, quibus docetur versum 15 aut ad Hierosolymae eversionem aut ad facta quaedam sive antecedentia sive consequentia, numquam tamen ab eversione Hierosolymae longe disjuncta, pertinere.

S. Hieronymi appellatio sponte sua et quasi necessario Rufini (410) memoriam excitat. Qui quum de Antichristo loquitur, sic ait, nullo addito commentario: «De quo et Dominus in Evangeliis praedixit Judaeis: Quia ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me; alius veniet in nomine suo, et ipsum recipietis (Joan. V). Et iterum dicit Cum videritis abomi-

---

(1) *Ep.* 121, *ad Algasiam liber, qq* 11; ed. *Hilberg*, CV, v. 56, pp. 15-16.
(2) l.c., pp 51-52.

nationem desolationis stantem in loco sancto, sicut dicit Daniel propheta, qui legit intelligat (Matth. XXIV)...» (1). Haec sunt tam perspicua verba ut nulla opus sit notatione.

Nolumus ultra progredi antequam virum nominamus qui, quamvis heterodoxus, satis tamen vis et efficientiae in Occidentis ecclesiis habuit per opusculum quoddam «Liber Regularum», cui fortunate contigit ut multa de illo excerperet, nonnulla etiam declararet ipse Sanctus Augustinus (2). Est ille quidem Tyconius donatista (c. 370-380) quem idem S. Doctor «et acri ingenio praeditum et uberi eloquio» appellat (3). Itaque Tyconius in VI Regula haec habet: «Aliquotiens autem non sunt recapitulationes hujus modi (4) sed futurae similitudines, sicut Dominus dicit: Cum videritis quod dictum est per Danihelem prophetam, tunc qui in Judaea sunt fugiant in montes, et inducit finem. Quod autem Danihel dixit, in Africa geritur, neque in eodem tempore finis. Sed quoniam, licet non in eo tempore finis, in eo tamen titulo futurum est, propterea Tunc dixit, id est cum similiter factum fuerit per orbem, quod est discessio et revelatio omnis peccati» (5). Haec verba, primo aspectu satis obscura, ita declarantur a Burkitt in Libri Regularum

---

(1) *Comm. in Symb. Apost.*, n. 35; ML 21, 371.

(2) *De Doctrina christiana* III, 30-37; ML 34, 81 sqq.

(3) *Contra epistolam Parmeniani* I, 1; ML 43, 53.

(4) Verba «. *non* sunt recapitulationes hujus modi» «minime negant id, quod dicendum est, *recapitulationem* esse, sed *talem* recapitulationem *qualis* est paulo ante descripta: «Aliquotiens enim sic recapitulat: Tunc, Illa hora, Illo die, Eo tempore, &.». Non est igitur «recapitulatio *hujus* modi» qualis ante describitur, sed est tamen vera «recapitulatio».

(5) Ed. *Burkitt*, apud «Texts and Studies», edita ab *Armitage Robinson*, v. III, n. 1, p. 67.—Apud Migne corruptus est locus neque satis intelligi potest.

prooemio, de integro a se atque emendate editi: «According to the terminology of Tyconius a recapitulation is made when a biblical writer is speaking both of the type and the antitype, the promise and the fulfilment... Thus we read in Mt. XXIV, 15: When ye see that which was spoken by Daniel the prophet, then let them which are in Judaea flee to the mountains. What was spoken by Daniel had come to pass long ago, for the direct fulfilment had been only one of the types of the general coming of Antichrist. But the Evangelist recapitulates this and joins the events together by saying then; that is, when a similar state of things is seen again in the world» (1). Itaque non Romae solum per S. Hippolytum sed in Africa etiam explicationes indicabantur quae interpretationem eschatologicam ita cum altera jungebant ut apte inter se atque composite utraque cohaerere videretur. Nova cito proferemus exempla.

Aureae Sanctorum Patrum aetatis extrema paene contingimus. Credideris Sanctorum Hilarii, Ambrosii, Hieronymi interpretatio fore ut in Occidente dominaretur. At S. Augustino non placuit; et S. Augustinus interpretationem istam ovantem et prope triumphantem a progressu arcuit perfectoque dominatu. Permanebat nihilominus eorum gravissima auctoritas qui ante S. Augustinum Doctores omnium praestantissimi litteris doctrinaque floruerant, imprimisque reliquorum interpretum facile principis, S. Hieronymi. Haec autem auctoritas tanta illud saltem erat effectura ut saecula sequentia tam illustrium interpretatio Patrum tamquam vere probabilis relinqueretur superstes, immo et a quibusdam longe alteri anteferretur. In hac re tanti momenti parumper commoremur.

(1) I.c., *Introduction*, 1. *The Writings of Tyconius*, p. XVI.

Interroganti Hesychio, Episcopo Salonitano, ut respondeat, mittit S. Augustinus cum alios S. Hieronymi locos tum eos in quibus idem S. Hieronymus 70 Danielis hebdomadas interpretatur, precaturque simul ut, si jam eos habuerit neque porro sibi placuerint, velit sibi suam aperire sententiam: «ego enim maxime illud de hebdomadibus Danihelis secundum tempus, quod jam transactum est, intelligendum puto; nam de Salvatoris adventu, qui expectatur in fine, tempora dinumerare non audeo...» (1). Respondet Hesychius tempus definiri proprie numerarique non posse; at e quibusdam a Salvatore datis signis alterius adventus appropinquationem colligi posse. Sigillatim vero in quaestione de Danielis hebdomadis a S. Augustino discrepat, existimatque eas non ad praeteritum tempus sed ad alterum Christi adventum pertinere. Sic enim scribit: «Quomodo ergo mysterium hebdomadarum sit impletum usque ad nativitatem et passionem Christi, admiror, cum illud in dimidio hebdomadae propheta locutus est dicendo: In dimidio hebdomadae tolletur sacrificium meum et supplicatio et abominatio desolationum erit ad sacrificium. Haec ergo abominatio si jam completa fuerat, quo modo Dominus monet et dicit: Cum videritis abominationem desolationis...?» (2). Profecto Hesychius satis vulgari et quasi puerili modo ratiocinatur. Haeret ejus argumentatio, etiamsi ipsi concedis primum Christi adventum passione circumscribi. Quidquid autem id est malene an bene instituta fuerit argumentatio, liquet toto contextu «abominationem desolationis» de qua Christus loquitur, Hesychio videri

(1) *Ep.* 197; n. 1; ed. *Goldbacher* CV, v. 57, pars IV, p. 231.
(2) *Ep.* 198, n. 7; lc., p. 242.

nondum adfuisse, extremis vero temporibus eventuram. Sic manifesto asserit S. Augustinus quum de Danielis loco IX, 27, disputat, ad quem tum ipse tum Hesychius Salvatorem respicere arbitrantur: «Hebdomades enim Sancti Danihelis non ad primum Domini adventum, sicut pluribus visum est, sed ad secundum potius existimas pertinere» (1). Constat igitur versiculum 15 Hesychio videri ad postrema tempora pertinere (2).

Epistola quadam, anno fere 420 magni voluminis instar scripta, S. Augustinus ita cunctis Hesychii quaestionibus interrogationibusque respondet ut omnia diligentissime examinet ac miro acumine et accuratione dijudicet. Facile est tanto Doctori Hesychii argumentationem infirmare aut elevare; id autem breviter agit, urbanitate tamen ac reverentia magna (3). Urget «abominationem desolationis» non ad postrema tempora sed ad Hierosolymae eversionem pertinere. Ad id autem efficiendum duo premit imprimis argumenta: 1) Salvatoris verba, in quibus de a b o m i n a t i o n e d e s o l a t i o n i s sermo est, ad Danielis locum spectare de 70 hebdomadis (IX, 27), has autem Hierosolymae fere eversionis tempore finiri (4); 2) S. Lucae locum: C u m a u t e m v i d e r i t i s c i r c u m d a r i a b e x e r c i t u J e r u s a l e m, t u n c s c i t o t e q u i a a p p r o p i n q u a v i t d e s o l a t i o e j u s (XXI, 20) tum ad postrema tem-

(1) *Ep.* 199, n. 19; lc., p. 259.

(2) Eamdem quam Hesychius interpretationem tuerentur auctores illi qui postremam saltem ex 70 Danielis hebdomadis circumscribi extremis temporibus arbitrantur. Praeter auctores a S. Hieronymo in Danielis commentariis (ML 25, 548-549) adductos, alii quoque afferri possunt, velut *Ammonius Alexandrinus* (454): *Fragmenta in Dan.*; MG 85, 1377.

(3) Ep. 199, n. 31; lc., pp. 261-262, 271.

(4) Lc., n. 21 et n. 31; lc., pp. 261-262, 271.

pora pertinere non posse, tum S. Matthaei versiculo 15 plene perfecteque respondere; quapropter obscurum S. Matthaei locum per S. Lucam illustrandum esse: nimirum obscura per clara, incerta per certa (1).

Duo haec argumenta omni semper tempore animos perculerunt; quin nostro etiam tempore tamquam tormenta quaedam adhibentur; aliquando vero, alterum praesertim argumentum, tamquam ratio omnino efficax et inexpugnabilis adversus S. Matthaei versiculi 15 eschatologicam interpretationem. Oportuno tempore connitemur ut quantum illa valeant, accurate definiamus.

Paucis post annis quam S. Augustinus Hesychii interpretationem tam studiose refutarat, gravis et religiosus testis illam rursus interpretationem adhibet cujus duo Galliarum lumina, S. Irenaeus et S. Hilarius, patrocinium firme graviterque susceperant. «Collationum» Cassiani (c. 435) prior pars anno fere 426 prodiit in lucem. In VIII «Collatione» sanctus Abbas Massiliensis, occasione data, nostrum versum 15: cum ergo videritis abominationem desolationis... brevi quidem sed notabili ratione perstringit. S. Augustini ad Hesychium epistola si ad illum jam forte pervenerat, Cassianus medium quemdam cursum tenuit notatione dignissimum. Principio quasi fundamentum jacit prudenti sinceroque judicio firmatum, videlicet: «nonnumquam... cum super una re diversa promatur sententia, potest utraque rationabilis judicari...». Duo adjunguntur exempla, de Helia primum, «quale est illud, quod Helias venerit in Johanne et iterum sit adventum Domini praecursurus»; alterum in nostro versu 15 sequentibusque versatur: «et de abominatione desolationis

(1) Lc., nn. 28-31; lc., pp. 268-271.

quod steterit in loco sancto per illud simulacrum Jovis quod Hierosolymis in templo positum legimus, et iterum stare habeat in ecclesia per adventum Antichristi, illaque omnia quae in evangelio sequuntur, quae et impleta ante captivitatem Hierosolymorum et in fine mundi hujus intelliguntur implenda». Concluditque sanctus Abbas: «e quibus neutra opinio impugnat aliam, nec sequentem prior intellectus evacuat» (1). Si solum ex principio, quod initio posuit Cassianus, hujus auctoris volumus dijudicare sententiam, videri poterit illud tantum affirmare Sanctus Abbas posse de una et eadem re varias diversasque tradi explicationes, quae sint tamen cunctae probabiles. At postrema verba ad longius progrediendum invitant, nimirum ad agnoscendas in his adductis similibusve exemplis non diversas solum interpretationes, quarum sit unaquaeque probabilis, sed interpretationes etiam quarum veritas stare simul concorditer et cohaerere possit. Simile quiddam apud S. Hippolytum invenimus; apud Tyconium etiam in «Libro Regularum» quem probabiliter novit Cassianus.

Bene dici potest Occidentis universitatem, praecipue vero saeculi V priorem partem, de S. Augustino vivere; ad eum catholicorum haereticorumque omnium oculos esse conversos: haereticorum, ut impugnent; catholicorum, ut eum tueantur ab eoque discant. Id tamen, rarissimae praeterea, quae incidunt, occasiones versus 15 S. Matthaei interpretandi —quod ipsa auctorum inopia de hac re disserentium satis comprobat— minime obstant quominus esse pergant qui eam ineant et sequantur viam quam major scriptorum pars ante S. Augustinum sequuta est in Occidente.

---

(1) *Joh. Cassiani Collationes* XXIV, *Coll.* VIII, n. IV; ed. *Petschenig.* CV, v. 13, p. 221

Scriptor quidam africanus, carthaginensis, illius opusculi auctor De promissionibus et praedictionibus Dei satis probabiliter S. Quodvultdeo (453) adscribendi, qui duas ad S. Augustinum diaconus misit epistolas fuitque postea Carthaginis Archiepiscopus Africaeque Primas (1), aptum ad rem nostram in hoc eodem opusculo suppeditat exemplum. In X capite ex IV operis parte, quo S. Quodvultdeus de Antichristo vaticinationes congerit, de postremorum temporum vexationibus disserit. Postea vero quam nonnulla Danielis exempla, e capitibus 11 ac 12 deprompta et ad Antichristum respicientia sive accommodata, protulit, sic ille pergit: «Firmat haec Dominus in Evangelio: Cum videritis, ait, vastationem desolationis, quae dicta est in Daniele propheta, qui legit intelligat...» (2). Significatio clarior esse nequit.

Satius nobis omittendum putamus Pseudo-Hieronymum qui his fere temporibus, ut videtur, Romae scripsit. In media enim brevi confusaque interpretatione, quam plurimae per translationem explicationes totam paene perfundunt seu etiam obruunt, difficile est dijudicare quae tempora brevi quadam abominationis desolationis mentione significari voluerit auctor (3).

Non constat inter criticos quo tempore auctor floruerit Operis Imperfecti, valde in Aevo Medio laudati et, quasi ipsius esset S. Chry-

(1) Cfr. *Bardenhewer, Gesch. der altkirch. Liter.*, t. IV, 3.ª part., § 75, n. 1.

(2) In *append. Oper. S. Prosperi*: ML 51, 845-846.—Cfr. part. 2, cp. 35, n. 89; Ic col. 311.

(3) *Comm. in Ev. sec. Marcum*, cp. XIII; in *S. Hieronymi Oper.*: ML 30, 628.

sostomi, frequenter adducti; saeculone V an VI dubitant (1). Hic est igitur aptus locus ad Opus commemorandum, flumine verborum insigne uberibusque sententiis, acumine etiam ingenii saepe distinctum. Nobis satis erit notare praedicta a Christo signa, carnaliter intellecta, ad Hierosolymae eversionem significandam, spiritualiter vero intellecta, ad Ecclesiae vexationem extremo tempore ostendendam auctoris judicio pertinere: «Ergo ad utrumque tempus porrige mentem, qui audis...» (2). Eamdem habet regulam quum versum 15 interpretatur, nova quadam re adjuncta, ut scilicet verba ipsa Danielis, versiculo isto significata sive tacta, mundi potius finem absolutionemque acuto huic scriptori demonstrare videantur, contra vero ipsa vaticinatio, sicut docet Christus, utrumque tempus ostendat, et Hierosolymae eversionem et mundi absolutionem: «...prophetae verba significant magis de consummatione mundi; prophetia tamen, sicut docet Christus, ad utrumque est dicta» (3).

Scriptores ex Oriente

Vix quidquam in Oriente ad Origenem usque reperimus. Hic vero, etsi manifesta dat indicia —quae paulo antea commemoravimus— eschatologicam quoque interpretationem sibi probari, in magnis tamen S. Matthaei commentariis, quum ad verbum rem conatur attingere, ad eversionis Hierosolymae tempus abominatio-

(1) Nos inclinamus ad s. V, ob ea quae identidem significantur, velut haereses, Imperatores. *Opus Imperfectum* editum est apud Migne in *S. J. Chrysostomi Operibus*. Cfr. ex. causa *Hom.* 48 et 49; MG 56, 900 sqq.

(2) Lc., col. 901.

(3) Lc., col. 907. Ibi, paulo post, S. Hilarium significare videtur ob eschatologici sermonis partitionem quae cum S. Doctoris satis congruere videtur.

nem desolationis ait pertinere; quo posito, neque ulla interpretationis eschatologicae mentione facta, sententiis quibusdam anagogicis subtiliter excogitatis delectatur, in quibus abominatio desolationis est ἑτερόδοξος λόγος καὶ ἀσεβὲς δόγμα (1). Posterius S. Joannes Chrysostomus rem omnino ad verbum mavult etiam attingere, atque hoc pacto, ea qua solet perspicuitate, universum locum interpretatur, ipsumque sigillatim versum 15 ad fani et Hierosolymae eversionis tempus sine ulla dubitatione refert (2).

Mirum jure ac merito tibi videatur si eschatologica interpretatio adversus tantos interpretes, saltem adversus S. Joannem Chrysostomum, se possit erigere et caput extollere. Atqui sic se res habuit; atque Alexandriae ipsa in urbe interpretationem eschatologicam, implicite saltem, indicat magnus ipse S. Athanasius (373). Affert aliquando S. Doctor S. Matthaei locum, explicatione nulla (3) at in Historia arianorum vivum et agentem exhibet commentarium, eschatologica sententia imbutum. Sacrilegas Constantii iniquitates enumerat, qui nihil eorum non egit quae Antichristus effecturus est. Post longam vero enumerationem, addit omnia ista in eum prorsus convenire qui Antichristi facinorum aemulus et imitator existit. Nonnulla continuo adjunguntur quibus ita explanatur versus 15 «... abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto», ut ad Constantium, Antichristi aemulum imitatoremque, refe-

(1) *Matthäuserklärung, Matth.* 24, 15-18; ed. *Klostermann*, CB, v. 38 (Orig. Op. 11), n. 42, p. 83; cfr. n. 41 sqq., p. 81 sqq.
(2) *In Matth. hom.* 75, n. 2 et *hom.* 76, n. 1; MG 58, 689, 693.— Cfr. *Adversus Judaeos* V, n. 10; MG 48, 899.
(3) Ex. causa: *Apol. de fuga sua*, n. 11; MG 25, 657, 660.

rantur: Τίς γὰρ... οὐκ ἀκολούθως ἂν εἴποι τοῦτ' εἶναι τὸ διὰ τοῦ Δανιὴλ εἰρημένον βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως; Τὸν γὰρ Χριστιανισμὸν περιβεβλημένος, καὶ εἰς τοὺς ἁγίους τόπους εἰσερχόμενος, ἑστηκὼς τε ἐν αὐτοῖς, ἐρημοῖ τὰς ἐκκλησίας...» (1). Ingenuus ille modus quo sua sponte, nulla adhibita vi, locus ad propriam Constantii personam moresque transfertur, indicare videtur S. Matthaei locum ad Antichristum S. Athanasii judicio pertinere, atque hanc veram loci esse sententiam aut unam saltem ex his quas locus potest habere.

Hierosolymae eodem fere tempore eschatologicam versus 15 explicationem directo proponit qui Princeps appellatur Catechistarum in Oriente, S. Cyrillus Hierosolymitanus (386). Bis saltem illius facit mentionem, in IV et XV Catechesi. Praesertim in hac postrema, quum S. Matthaei caput XXIV magna ex parte declarat, eos imprimis versiculos, 15-23, in quibus plus inest arcanae obscuritatis, sententiam docet plene perfecteque eschatologicam (2). Hac re, tamquam firmissimo fundamento, jacta de qua ne dubitare quidem oportet, nova potest constitui quaestio: de Antichristone tantum «abominationem desolationis» S. Cyrillus interpretabatur, an volebat eam ad fani quoque et Hierosolymae eversionis tempora pertinere? Hoc postremum doctus Maurinus Antonius Augustinus Touttée (3) opinatur. Est

(1) *Hist. arian. ad Monachos*, n. 77; MG 25, 785.

(2) *Catech.* IV, n. 15; MG 33, 472-473.—*Catech.* XV, n. 9 sqq.; lc., cols 880 sqq.

(3) «Cyrillus... ipsum Antichristum existimabat esse praedictam illam a Daniele desolationis abominationem... Quamobrem perseveraturam illam templi desolationem non omnino poterat ante Antichristum ex Daniele ponere, *nisi duplicem admitteret, quod ego credo, abominationem desolationis*: primam sub Romanis in templo Judaico, alteram Antichristum ipsum...» Quibus paulo post adjungit: «Nihil mirari debemus quod duplex uni prophetiae diverso tempore assignetur executio»: *De vita S. Cyrilli, Dissert.* I, cp. XI, n. 61; MG 33, 94.

illud quidem verisimile, si re vera S. Cyrillus, Danielis loco de 70 hebdomadis nixus, fanum a Judaeis, quamvis a Juliano Apostata adjutis, fore ut numquam iterum aedificaretur perseveravit; tamen Rufini locus (1), e quo potissimum ista sunt eruta, solum similitudinem quamdam veri conjecturasque permittit.

E tribus magnis Cappadocibus nemo in operibus, quae quidem constent, S. Matthaei versum 15 e capite XXIV explanavit (2). At in S. Gregorii Nazianzeni incerta quadam Oratione versus ad Antichristum plane refertur, hac praeterea singulari ratione adjuncta ut Pseudo-Gregorius eschatologicam interpretationem tamquam communem proferre videatur. Nam alterius interpretationis nulla mentione facta, eschatologicam his verbis orditur: «Abominatio desolationis stans (ἑστώς) in loco sancto. Dicunt Hierosolymae templum postea aedificatum iri, quum quidem Antichristus credendus sit a Judaeis Christus esse, et sessurus et visurus universae terrae rex esse...» (3).

---

(1) «...cum tamen Episcopus (S. Cyrillus) diligenti consideratione habita vel ex illis quae in Danielis prophetia de temporibus legerat, vel quae in Evangeliis Dominus praedixerat, persisteret nullo genere fieri posse ut ibi a Judaeis lapis super lapidem poneretur»: HE, l. I, cp. 37; ML 21, 505.—Satis fuerit notare Rufinum sub disjunctione loqui: *vel... vel.* Itaque dixerit fortasse quispian Salvatoris in Evangelio verba videri posse non ea esse quae versu 15 continentur; etenim si iis Danielis locus IX, 27, non significatur, —ob adhibitam a Rufino disjunctionem— tum non plus ex his quam ex aliis Salvatoris verbis erui potest ad «abominationis desolationis» perseverantiam; quod si ita est, jure videri potest aut tam esse veri simile aut magis etiam verisimile Salvatoris verba, quibus nitebatur S. Cyrillus quaeque Rufinus significabat, versu 2 contineri.

(2) Eversioni Hierosolymae significatio quaedam, etsi longe petita, ostendi fortasse potest apud *S. Gregorium Nyssenum; De hominis opificio;* cp. 25; MG 44, 216.—Indicium in vocabuli ἐρήμωσις ad Hierosolymae eversionem significandam usurpatione consistit.

(3) *Significatio in Ezech.*; MG 36, 668.

E scriptoribus IV saeculi mentio est nobis facienda *Theodori Heracleensis*, Thracis (c. 355), arianorum fautoris, quem ob elegantem dilucidamque locutionem, et verbis magis adstrictam interpretationem laudat ipse S. Hieronymus (1). Brevis mutilusque locus a Cramer editus sic se habet: «*Abominatio desolationis* universe (est) Antichristus; fuit vero *abominatio* etiam *desolationis Hierosolymae* statua Caesaris quam Pilatus in templo locavit» (2). Quod jam apud alios vidimus, animadvertere oportet abominationem desolationis ad Antichristum quidem referri, non tamen solo illius tempore circumscribi. Quandoquidem Theodori locus in S. Matthaei ἑρμηνείᾳ, ut versus 15 interpretatio, invenitur, verisimile est *abominationem desolationis*, quam in hoc versiculo significat Dominus, in Theodori amissis commentariis ad Antichristum referri.

Per S. Hieronymum ex ejus magistro *Apollinari Laodiceno* (385-392) satis perspicua nobis conservata est versiculi 15 significatio quaedam, quasi versus hic ad postrema tempora respiciat; nam vult Apollinaris postremam e 70 Danielis hebdomadis ad postrema illa tempora respicere: «...sub Antichristo, qui ponet *abominationem desolationis*, id est, idolum et statuam proprii dei in templo, et erit extrema vastitas» (3).

---

(1) *De viris ill.*, cp. 90; ML 23, 695.

(2) Ed. *Cramer*, t. I, p. 196.

(3) Apud S. Hieronymum, *in Dan.*, IX, 24 sqq.; ML 25, 548.— Per Victorem etiam Antiochenum novimus Apollinarem eo tendere ut S. Matthaei caput XXIV, S. Marci caput XIII, *abominationem* proinde *desolationis*, eschatologica ratione declaret: *Catenae GG. PP. in N. T., Mc.* XIII, ed. Cramer, t. I, p. 408.—Utique Victoris affirmatio prioribus posset istorum capitum versiculis circumscribi; quia tamen duas interpretandi rationes confert et opponit, eam,

Quemadmodum in Occidente, V saeculo ineunte, contra eschatologicam interpretationem Magnus se Augustinus armavit acriterque pugnavit: sic in Orientis partibus, IV saeculo vertente, ipse S. Joannes Chrysostomus ab ea declinavit, quamquam non impugnavit directe sed praetermisit omnino. Effectus autem par atque adeo gravior in Oriente exstitit. Magni Doctoris atque interpretis sine ullo eschatologico sapore diffusa interpretatio alteri quasi molem opposuit, eoque magis quo cum scholae alexandrinae valente interprete, Origene, in magnis S. Matthaei commentariis vires efficientiamque conjunxit. Alexandria igitur et Antiochia duorum voce inter suos alumnos atque discipulos clarissimorum interpretum atque doctorum contra explicationem eschatologicam se erigere ac pugnare videbantur. Vidimus tamen illustres post Origenem scriptores in eschatologica interpretatione perstitisse. Quod idem post S. Joannem Chrysostomum contigit.

Commemoremus, cursim saltem et quasi per transennam, S. Joannis Chrysostomi condiscipulum, postea vero adversus S. Doctoris inimicos strenuum defensorem, quamvis ab ejus orthodoxia, pura integerrimaque doctrina longe abfuerit: Theodorum Mopsuestenum (428), qui quidem ita videtur universam in eschatologico sermone continuationem seriemque rerum explicasse ut ad postremum mundi tempus concta referantur (1).

E S. Cyrillo Alexandrino exposi-

---

quae Apollinaris est Theodorique Mopsuesteni atque eam quae Titi Bostrensis ac S. Joannis Chrysostomi, universum eschatologicum sermonem generatim respicere videtur. Hoc etiam modo rem intelligere videtur ipse P. Lagrange, quum locum Victoris adducit : *Ev. s. S. Marc*, ed. 5.ª, 1929, p. 334.

---

(1) Cfr. antecedentem notationem.

tionem versus 15 e capite XXIV S. Matthaei afferre possumus nullam, quamvis verum omnino sit versus 21 et 22, arcte cum 15 junctos, ab eo eschatologice explicari (1). Ejus tamen aequalis, quocum S. Cyrillo litterarum etiam communicatio fuit, Sanctus videlicet Abbas Isidorus Pelusiota (435), versum 16 «...tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes...» ad postrema tempora refert. Quidam scilicet a S. Abbate simpliciter postulat ut τῆς τελευταίας ἀνάγκης signa declaret. Ad quod S. Isidorus nihil aliud facit nisi versum 16 ascetice exponit, eodem statu rerum eademque temporum condicione quam, ut communem ille ipse ponit qui interrogat, atque ita concludit: «His enim assequetur ut magnae illius calamitatis insidias declinet» (2). Jam vero, quidquid est de subtili quodam explicationum genere quas unus et alter posterius excogitavit (3), versus 16 per totam Patrum aetatem ita cum v. 15 visus est jungi ut uterque ad idem tempus pertinere diceretur: «Cum ergo videritis abominationem desolationis... tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes». Addere etiam possumus omnibus paene qui postea scripserunt, ita quoque visum esse. Quapropter S. Isidorus Pelusiota novus est testis, quamquam non directo, eschatologicae versus 15 interpretationis.

Eadem in Hesychio (c. 450) notari possunt, qui primum medium saeculum V ecclesiae Hierosolymitanae nobilis extitit theologus atque διδάσκαλος. Ipse quoque versus 17 et 18,

---

(1) *Glaphyror. in Gen.* l. IV, n. 12; MG 69, 224.—Cfr. *In Zachar.* n. 84; MG 72, 20.

(2) *Ep.* l. I; *ep.* 210; MG 78, 316.

(3) Ex his paucis unus est *Maldonatus* in explanatione v. 16, initio.—Ipse paucitatem istam agnoscit; sic enim explanationem orditur: «*Omnes* interpretantur: tunc cum videritis abominationem desolationis. *Ego*... hoc *tunc* non ad proxima verba, sed ad omnia, quae a versu 6 dicta sunt, referendum esse arbitror». Lc.

idem tempus significantes quod versus 16 significat, ad postrema tempora pertinere arbitratur (1). Sane, cui assignatum erat, ut videtur, in ecclesia Hierosolymitana Sacrarum Litterarum interpretandi munus, vix aliud praestare poterat, postea quam sententiam eschatologicam non multos ante annos ipse S. Cyrillus, clarissimum hujus ecclesiae lumen, tanta perspicuitate docuerat, firmitate tanta.

Apud Episcopum quemdam syrum, S. Joannis Chrysostomi adversarium ejusque eloquentiae aemulum, Severianum Gabalensem (intra 408-450) versus 15, quasi ad Antichristum respiciat, significari videtur. Hic dicitur Hierosolymam iturus ut templum rursus aedificet, praeterea. στήσεται ἐν τῷ ἁγίῳ τόπῳ (2).

Indicium istud urgere nolumus ut jam ad singularem quemdam virum praestantissimumque veniamus, qui aurea Patrum aetate exeunte viguit, qui etiam, nisi tam sero exstitisset silvamque rerum jam a majoribus comparatam adhibuisset, plane ac simpliciter quorumdam judicio «Princeps interpretum in Oriente» potuit appellari: est ille Theodoretus.

Theodoretus etiam, ut S. Joannes Chrysostomus, Antiochia venit. Quare nostra interest, Theodoretus S. Chrysostomi vestigia persequatur ejusque urgeat interpretationem necne, perpendere.

---

(1) *Fragm. in Ps.; Ps.* 101, v. 7; MG 93, 1273.—Est in adducto loco nonnulla admiratio. Citius quam duorum versiculorum contractionem esse credideris, dixeris sive auctorem sive librarium, post vocabulum ἆραι v. 17 descriptum, ad ἆραι versiculi 18 transiisse, reliquumque perrexisse describere. Inter omnes non constat haec omnia Hesychio certo esse adscribenda.—Cfr. *A. Vaccari, Esichio di Gerusalemme e il suo «Comm. in Levit.»*, apud «Bessarione», v. 24, 1918, p. 26, not. 3.

(2) *Pauluskomm aus der Griech. Kirche aus Katenenhandschr.* a *Dre. K. Staab* in «Neutestament. Abhandl.» a *Dre. Meinertz*, Münster i. W., XV. Band, p. 333.

Principio fatendum est in Theodoreti operibus, quae quidem certo constent, S. Matthaei versum 15 ad Antichristum non referri. Vocat utique Antichristum «abominationem desolationis» quum XII Danielis caput explanat, sed tamen nullam verborum Domini in Evangelio significationem dat, neque iis aliquo modo utitur ad locum illuminandum (1); quod majoris est ponderis, si consideratur versum 15 identidem a Theodoreto cum Hierosolymae fanique eversione conferri (2). Videri cuipiam potest brevi quodam loco, qui Theodoreto adscribitur, hanc collationem haberi (3). Forte ita sit, quippe cum iste locus in S. Matthaei commentariis ad versum 15 explicandum afferatur; forte tamen idem locus quamvis certo sit Theodoreto adscribendus (4), significationem arcani illius membri de «abominatione desolationis» tantummodo explicat, si quidem illud de polluto ac violato templo per Antiochum Epiphanem, per Pilatum, per Antichristum interpretatur. Jam vero regem saltem Antiochum respicere non potest Evangelium, quippe quod «abominationem» tamquam futurum quiddam appellat. Quare, quum in loco a Cramer edito nihil dicatur amplius, nullum ex eo concludi tuto potest argumentum (5). Illud certe magnus hic interpres

(1) *In Dan.* XII, 11; MG 81, 1541.

(2) *In Dan.* IX, 27; MG 81, 1484.—*In Ps.* 73, v. 5; MG 80, 1457; cfr. v. 1, col. 1453.

(3) *Catenae graec. PP.*, ed. *Cramer*, t. I, p. 197.

(4) Quidquid tamen est, locus ad summam refici potest verbis Theodoreti.—Cfr. in Dan., IX, 31; MG 81, 1484,1522.

(5) In commentario etiam Psalmi 73, v. 5, continuo post versiculum 15 partemque 16 versiculi allatam adjungitur aliquid eschatologicum, cujus causa calamitas illa, quae tempore eversionis Hierosolymae contigit, προοίμιον τῆς τοῦ Ἀντιχρίστου παρουσίας appellatur. Jam vero, quando quidem de Theodoreti sententia Antichristus «abominatio desolationis» a Daniele nominatur, prospectus eschatologicus ad «abominationem etiam desolationis» pertinere videtur quae tempore excisionis Hierosolymae evenit, ita ut ipsa etiam prooemium abominationis postremae esse videatur. Quia

identidem significat, versus alios ad judaeos spectare eversionemve Hierosolymae, alios ad postrema tempora. Non affert ille quidem versum 15, at certe versus 20 et 21, ea re notabili adjuncta ut transitus ab altero ad alterum eo penitus modo explicetur qui nostris etiam temporibus a non paucis interpretibus subtiliter et eleganter adhibetur (1).

Itaque constat Theodoretum, etsi S. Matthaei versum 15 variis versat explanatque modis, vestigiis tamen insistere quae S. Joannes Chrysostomus impresserat; solum leviora quaedam exstare quae indicio sint versum 15, hac interpretatione praecipua posita, ad Antichristi quoque tempora a Theodoreto referri. Quare neque S. Joannes Chrysostomus neque Theodoretus, scholae antiochenae clarissima lumina, pro eschatologica possunt interpretatione produci (2). Non desunt ta-

---

tamen eschatologicum istud in uno tantum exstat de exemplaribus, non satis constat utrum Theodoreti sit an additamentum posterius: MG 80, 1457, not. 11.

---

(1) *In Dan.* XI, 3, 4, 35; MG 81, 1505, 1525.

(2) *Heinrici*, qui S. Matthaei commentarios, a Petro Laodiceno conscriptos, accurate et emendate edidit, indicat *Severo Antiocheno* (538) fortasse locum quemdam esse adscribendum in quo vv. 20-22 ad Judaeos ἱστορικῶς, ad mundi vero finem ἀνηνεγμένως accommodantur. Qui sic cogitat, idem de vv. 15 ac sequentibus diceret: (*Des Petrus von L. Erklär. d. Matthäusev.*, XXIV, 20-22; p. 275, 11). Haec conjectura firmatur, si locus alius consideratur quem *Fraidl* (lc., vierter Abschnitt, n. 45, p. 99) de eodem Severo A. producit. Quin idem locus impellit ut suspiceris atque perpendas num Severus vaticinationem tum Hierosolymae tempore evenire tum postremis temporibus eventuram existimet. Locus exstat apud *Mai, Scriptorum veterum nova collectio*, t. I, *pars II, p. XXXV et p.* 213. *Ex* Fraidl haec pauca describimus; βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως φάμεν τὸν ἀνδριάντα ἄμεινον δὲ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως τὸν ἀντίχριστον εἰρῆσθαι· ἐπειδὴ μηδὲ πάντα τὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ τοῦ εὐαγγελίου κείμενα ῥήματα δυνατὸν ἑρμηνεῦσαι κατὰ τὴν τῆς ἱστορίας ἀπόδοσιν. τὰ γὰρ αὐτὰ ῥήματα τοῦ εὐαγγελίου δυνατὸν καὶ ἱστορικῶς λαβεῖν. ὡς περὶ τῆς ἐρημώσεως καὶ ἁλώσεως ἑρμήνεια τῆς Ἱερουσαλήμ.

men aliarum in Oriente ecclesiarum testimonia, quae statim afferemus.

II: a saeculo VI ad saeculum VIII

Itaque maneamus in Oriente. Non satis constat quo tempore in lucem prodierint, etiamsi VI saeculo vertente aut VII ineunte eorum ortus probabilior videtur esse, commentarii quidam Apocalypsis, in primis maximeque in Oriente popularibus certe numerandi, ab A n d r e a Archiepiscopo Caesariensi in Cappadocia conscripti. Andreas, ut S. Isidorus Pelusiota, ut Hesychius Hierosolymitanus, versum 16, quo idem quod versu 15 tempus significatur, ad Antichristi tempora pertinere decernit (1); quare quaecumque de S. Isidoro Pelusiota diximus, ad Andream similiter accommodari necesse est.

Quod ex omnibus hactenus allatis Orientis testimonnis colligi potuit, gravissima in utramque partem testimonia existunt; utraque sententia, tum eschatologica tum ea quae totum refert ad Hierosolymae eversionem, clarissimis iisdemque non paucis monumentis testata consignataque est. Quare nihil mirum si post auream Patrum aetatem, saeculis consequentibus quum de praeterito praecipue vivitur, id potissimum enituntur auctores ut explicationem utramque proponant.

P e t r u s L a o d i c e n u s, quamvis commentarios habeat Origene et S. Joanne Chrysostomo penitus imbutos, utramque tamen interpretationem plane commemorat a v. 14 ad 23 quo jam tempora dumtaxat postrema significari putat (2); quamquam verum est satis apparere illustrium horum interpretum, quorum spiritu doc-

(1) *Comm. in Apoc.*, XVI, 20; MG 106, 373

(2) *Des Petrus von L. Erklär. d. Matthäusev.*, XXIV, 14-23; ed. Heinrici, pp. 272-275.

trinaque erat imbutus, interpretationem alteri ab eo anteponi (1).

Mirum in modum interpretatio in Pseudo-Caesarii Dialogis prodit in lucem. Quarti Dialogi 196ª interrogatio, ut rem perspicuam, ponit versiculos 16-20 ad postrema tempora pertinere; hoc autem stabilito et fixo, explicationes postulantur. Sive ille qui interrogat, exstitit vere, sive commentitius et fictus est a Pseudo-Caesario, utracumque re posita, potius tamen fortasse si alterum ponitur, opinio pro eschatologica interpretatione non parum videtur esse diffusa (2). Contra, Pseudo-Caesarius, quum respondet, interpretationem eschatologicam penitus silentio praeterit.

Exacta jam Sanctorum Patrum aurea aetate, nullus usque ad S. Joannem Damascenum gravior est in Oriente theologus quam fortissimus martyr S. Maximus (662). Sedi Romanae quum fuerit maxime addictus, magnorumque IV et V saeculi Patrum in evolutione frequens, doctrinaque totus imbutus, ejus testimonium omni modo gravissimum est dignissimumque quod religiose colligatur. In ejus operibus moralibus et asceticis Capita de caritate numerantur, in quatuor centurias distributa: 400 sententiarum de multis variisque rebus apta collectio. Alterius centuriae in 31ª sententia S. Maximus versiculi 15 e S. Matthaeo vim primum moralem asceticamve describit; postea vero, quam vim, si rem ipsam et verba sequimur, habeat, paucis verbis luculenter

(1) Id etiam e versiculis 16-20 per translationem explicatis elucere dixeris.—Compositi a Petro collectii operis nota e certo quodam rerum quasi congestu dijudicatur, quas ut conglutinet, auctor saltem aperte non curat. Exempli causa in versiculi 23 explicatione (p. 276), S. Joannem Chr. sic ab initio tantaque religione sequitur Petrus quasi antea nihil dictum esset nisi de Hierosolimae eversione. Fortasse etiam hoc indicat Petri judicio in eschatologica explicatione *anagogicam* tantum seu *spiritualem* —*quod* tunc dici solebat— inesse sententiam.

(2) MG 38, 1185, 1188.

ostendit. Locus dignus est qui afferatur, tum quod S. Maximi est, tum quod exponere videtur ecquis demum fuerit in Oriente, exeunte fere Patrum aetate, versiculi 15 status ceterorumque cum eo junctorum idemve tempus significantium. Sic autem se habet: «Haec vero etiam juxta rei gestae fidem (= ἱστορικῶς) jam evenisse, nemo, arbitror, ambiget qui libros a Josepho conscriptos legerit. Sunt tamen qui tempore etiam Antichristi haec futura dicant» (1). Haec sunt verba consideratione perdigna. Eorum vim si accurate perpendimus, utraque interpretatio propriam et ad verbum videtur habere sententiam: altera de re jam praeterita, historica (= ...ἱστορικῶς ἤδη ταῦτα γέγονεν); altera de re eventura, futura (= ...ταῦτα γενήσεσθαι ἐπὶ τοῦ Ἀντιχρίστου). S. Joannis Chrysostomi praeferri videtur interpretatio, quippe cui S. Maximus principem det locum, quam etiam ut suam proponat. Tamen idem Sanctus animadvertendum esse putat alteram quoque ab aliis proferri explicationem. «Sunt tamen qui tempore etiam Antichristi haec futura dicant», scribit S. Maximus; quibus verbis significare videtur de eorum defensorum sententia, quos quidem ipse noverit, ab interpretatione eschatologica alteram minime excludi.

Quum S. Joannes Damascenus, quantum scimus, versum 15 e S. Matthaei capite XXIV non explanet, S. Maximi testimonio aetatem Patrum in Oriente claudamus.

Ad Occidentem igitur abeamus. Ubi pauca his quidem temporibus monumenta restant, sed notatione dignissima. Et imprimis eschatologicam sententiam clarissima voce Gallia profitetur. Nobilissima enim Galliarum ecclesia, quam magni sui Doctores S. Irenaeus, et S. Hilarius interpre-

(1) MG 90, 993.

tationem docuerant, oblivisci omnino non poterat. Itaque vir clarissimus, qui per 20 annos praestantissimam habuit eo tempore totius Galliae sedem, S. Gregorius Turonensis (593 vel 594), hanc interpretationem tamquam patrimonium a majoribus traditum sancta religione conservat atque hoc eodem modo eam proponit post solemnem fidei professionem qua magnum illud opus «Historiam Francorum» orditur: «Credo ergo in Deum patrem omnipotentem. Credo in Jesum Christum... Et omnia quae a 318 episcopis Nicaenae instituta sunt credo fideliter. De fine vero mundi ea sentio quae a prioribus dedici, Antechristum prius esse venturo. Antechristus vero primum circumcisionem inducit, se asserens Christum, deinde in templo Hierusolimis statuam suam collocat adorandam, sicut Dominum dixisse legimus: Videbitis abhuminationem desolationis stantem in loco sancto...» (1).

S. Gregorii Magni (604) testimonium et auctoritatem afferre non possumus. Neque enim S. Gregorius versum 15 e capite XXIV S. Matthaei usquam exponere videtur. Non licet tamen praejudicata duci opinione eum hac in re, sicut in multis, nisi aliud facturum fuisse, si data esset occasio, nisi S. Augustini cogitationem atque sententiam puram liquidamque expressisset. Etenim quum in quosdam eschatologici sermonis versiculos S. Gregorius incurrit, eosque sive attingit sive declarat, a S. Augustino dissentire non dubitat, velut in versibus 21 et 22, quos ita interpretatur

(1) *Hist. Francorum*, l. I; ed. *W. Arnd* et *Br. Krusch*, MGh, *Script. rerum merov.* t. I, pars I, pp. 33-34.—S. Gregorius amabili quadam ingenuitate ita orditur ut se grammaticae non valde peritum esse faceatur, impelli tamen ut scribat eo quod, ut dici solet, «philosophantem rhetorem intellegunt pauci, loquentem rusticum multi», lc., pp. 31, 33.

ut ad Antichristi tempora pertinere decernat (1). Idem vero asseri potest de S. Isidoro, quem nonnulli postremum omnium Patrum appellant. Itaque Sanctus etiam Isidorus, S. Gregorii imitatione et exemplo, a S. Augustino discedit quum S. Matthaei versum 21 e sermone eschatologico explanat (2). Nihil mirum; ipse enim S. Fulgentius Ruspensis (c. 533), fidelissimus S. Augustini discipulus, magistrum jam antea reliquerat, quum eschatologici sermonis versus quosdam interpretabatur, velut versus 21 et 22; nam versum 15 nusquam attingit (3). Opportunum vero est addere S. Fulgentium auctoritate maxima eo tempore praeditum fuisse. Clarissimum Occidentis lumen quum haberetur, quae ipse diceret, quasi ex oraculo dici putabantur.

Unus restat VIII saeculo jure ac merito nominandus, universae Ecclesiae Doctor, cujus ore antiquitas ipsa propriis verbis plerumque loqui videtur, ipsa gloria Patrum ac splendore decoratus ut a multis Pater etiam Ecclesiae appelletur: S. Beda Venerabilis (735). Sanctus hic atque praeclarus auctor, nostra in re, verbum e verbo, S. Hieronymi commentarios reddit, velut illa verba, in quibus princeps proponitur significatio quae de Antichristo est: «Potest autem (abominatio desolationis) simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Caesaris quam Pilatus posuit in templo, aut de Adriani equestri statua...» (4).

In hujus tanti viri testimonio insistamus, a quo, si scriptores ad auream usque Scholarum aetatem lustrare volumus, ducere oportet exordium. De libris enim ejus alti sunt, plurimumque ex iis ma-

(1) *Moralium,* l. 32, *in cp.* 40 *B. Job,* cp. 15, n. 23; ML 76, 649-650.
(2) *QQ. in V. T.; in Genesim,* cp. XII, n. 9; ML 83, 241-242.
(3) *Ad Transimundum,* l. I, cp., 17; ML 63, 240-241.
(4) *In Marci Ev. exposit,* l. IV, cp. XIII; ML 92, 261.

teriae locosque plurimos, ut illis temporibus mos erat, multi deinceps interpretes theologique prompserunt.

Brevis Epilogus

Quod si nunc totum per octo saecula temporis spatium in Oriente et Occidente lustramus, aliquid varietatis in tanto sententiarum cursu notemus necesse est.

Ante S. Augustinum, nullus est in Occidente magna auctoritate scriptor qui eschatologicae interpretationi refragetur; quin addere etiam licet ne totum quidem tempus Patrum post S. Augustinum hujus modi scriptorem exstitisse. Contra, praeter S. Augustinum, praestantissimi Occidentis Doctores, qui quidem e S. Matthaei XXIV capite versum 15 interpretentur, sententiam eschatologicam plane et aperte tuentur, eamque sive alteri anteponunt vel etiam longe anteponunt, sive dumtaxat eligunt, altera penitus omissa (1).

Aliter se res habet in Oriente. Ibi versiculi 15 interpretatio serius existit; quamvis autem antiquiora nonnulla prodeant indicia eschatologicum quiddam sonantia, merito fortasse dixeris versiculi 15 interpretationem sic ferme oriri ut Origenis voce, in magnis saltem S. Matthaei commentariis, sententiam non eschatologicam incipiat tueri et ornare. Si Origeni S. Ephraem (2), S. Joannem Chrysostomum, Theodoretum adjungimus, summos Orientis viros attulerimus qui ver-

(1) Redeat lector in memoriam quid de S. Hilario, S. Ambrosio, S. Hieronymo dixerimus.

(2) *Ev. concordantis exposit.*, ed *Aucher-Moesinger*, cp. XVIII, pp. 213-215.—Tamen in vv. 19 et 20 expositione indicium aliquod apparet a S. Ephraem eschatologicum quiddam teneri (p. 215). Saltem versus 21 sqq. eschatologice explicantur: Cfr. v. gr. *Hymni et Sermones, Serm. de fine et admonit.*; atque *Serm. de fine extremo et Antichr.*; ed. *Lamy*, t. III, cols. 156, 208.

sum 15 ad templi ac Hierosolymae eversionem spectare dicunt, solum vero indicia quaedam dant interpretationis eschatologicae aut eam penitus silentio praetereunt; quo quidem aut eam non admittere aut minus habere probabilem videntur. Quod quamvis ita sit, quum tamen interpretationem eschatologicam simpliciter eligant S. Athanasius, S. Cyrillus Hierosolymitanus, reliquorum scriptorum chorus, quorum nonnulli nobiles, etsi non summi, ut S. Isidorus Pelusiota, Hesychius Hierosolymitanus, sequitur ut horum omnium conjuncte testimonia suo pondere testimonia contradicentium satis compensare videantur. Diceres nihilominus S. Joannis Chrysostomi interpretationi partes deferri priores. Fortasse modus ille, quo S. Maximus et principem huic interpretationi dat locum et simul quasi constringitur ut notet ab aliis eschatologicam quoque interpretationem teneri, optime videtur exprimere quae tunc condicio rerum in hac causa post auream Patrum aetatem esset in Oriente: excellit S. Joannis Chrysostomi interpretatio, servat dignitatem et probabilitatem eschatologica.

§ II

Interpretationis eschatologicae per consequentes et posteras aetates exempla quaedam proponuntur

Exacta jam Patrum aetate, propositum nobis non est, congerendis exponendisque testimoniis, eumdem cursum tenere. Ne illud quidem enitemur ut eschatologicae interpretationis ad nostra usque tempora progressus, vel extremis dumtaxat lineamentis describendo, adumbremus. Aliquot solum testes illustres, temporibus praecipuis notandis, quasi exempli causa, producere conabimur, ut plane perspici possit interpretationem eschatologicam adhuc permansisse ac porro permanere.

Orientem possumus praeterire. Etsi conatus qui-

dam major ad S. Joannem Chrysostomum quotitie magis ac magis accedendi existere videtur, tamen idem fere status causae rerumque condicio quam supra descripsimus, post secessionem etiam Orientis manet (1).

Itaque ad Occidentem animos attendamus. S. Bedae Venerabilis mentionem antea fecimus, notavimusque Sancti hujus Doctoris libros a multis passim et libere ad auream usque Scholarum aetatem esse descriptos. Hunc ergo tantum virum rursus nominamus ut ab eo ducamus exordium. Praeter illum tres alios satis fuerit afferre qui mirabilem vim per totum medium aevum mirabilemque efficientiam habuerunt: Pseudo-Bedam, qui cito ipsius S. Bedae auctoritate honoratus apparuit; duas etiam celeberrimas Glossas, ordinariam Walafridi Strabonis (849), et interlinearem Anselmi Laudunensis (1117). Tres isti auctores a S. Hieronymo vel S. Bedae commentariis describere videntur; itaque omnes eschatologicam interpretationem sub disjunctione proponunt (2).

---

(1) Ex gr. *Theophylactus* (1078), quem «Chrysostomi pedissequum» Knabenbauer appellat, quamvis aperte notet v. 21 ad Antichristi tempora minime spectare, hujus vero res atque tempus inde a v. 23 —quod idem asserit S. J. Chrys.— incipere describi, tamen indicare non omittit v. 15 a nonnullis de Antichristo accipi: *Enarrat. in Ev. Matth.* XXIV, 16; MG 123, 412.—Bar Salibi, quamvis S. J. Chrysostomum exprimere fere soleat ad verbum, tamen in *Apoc. Comm.* eschatologicam S. Hippolyti interpretationem —quod antea vidimus— exhibet.

(2) *Pseudo-Beda*; *In Matth. Ev. exposit.*, l. IV, cp. XXIV; ML 92, 102. Apud Migne mendum exstat, ut videtur, apertum; pro *Antichristo* legitur *Christo.—Glossa ordin.*: *Ev. Marci*, XIII, 14; ML 114, 227. In S. Matthaei commentariis membrum manifesto deest, nam *glossa* sic orditur: «Vel si de excidio urbis, abominatio, id est, idolum...».—*Glossa interlin.*: *Enarrat. in Matth.*, XXIV; ML 162, 1451.—Negare tamen nolumus illis etiam temporibus quosdam, et quidem doctrina praestantes, propensiores esse ad oppositam eschatologicae sententiam. At ipsa moderatio, qua in adversando utuntur, vel ea sola indicio est quantum eschatologica sententia haberet auctoritatis. Exempli causa scriptor bavarus *Gerhohus Reichersbergensis* (1169), quamvis perpugnax in disputando,

His aliisque praestantissimis viris in ipsam naturam et modum efficiendae interpretationis per longissimum tempus influentibus, fieri non poterat quin, ipso etiam aureo theologiae saeculo, eschatologica floreret interpretatio. Et re vera primis aurei saeculi annis cum aliorum tum Hugonis de S. Charo vox et interpretatio editur cognatum quidpiam S. Hieronymi vel S. Bedae explicationi referens (1). Sed imprimis S. Bonaventura et S. Albertus Magnus gloriosa existunt exempla, et quodam modo ipse S. Thomas. Profecto graviora et sapientiora testimonia reperiri nulla possunt.

S. Bonaventura in Ecclesiastae commentariis breviter quidem sed aperte interpretationem eschatologicam adhibet. Malos scribit hac mortali vita interdum extolli, velut Antichristum: «...sicut et antichristus, de quo Matthaei vigesimo quarto: Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto» (2).

---

videtur tamen timide et quasi se excusans ab eschatologica explicatione recedere: «Sic ergo et forte Antichristus in templo aliquo manu facto sedebit, ad cetera vero templa imaginis suae statunculum mittet ut impleatur quod dictum est per Danielem prophetam et quod in evangelio ab ipso Domino praedictum est, staturam abominationem desolationis in templo vel, quod idem est, in loco sancto sive ubi non debet... Et nos quidem tali sessioni Antichristi in templo manu facto non contradicimus, sed adimpletionem (forte, *ad impletionem*) prophetiae necessariam non aestimamus». Adjungit statim satis esse, ut Scripturae vaticinationi satis fiat ad verbum, fanum quibusdam statuis, tempore Tiberii et Caligulae in illud introductis, pollutum ac violatum esse: *De investigatione Anti-Christi*, I. , § 4; MGh, *Libelli de lite...*, t. III, p. 313.

---

(1) *Ugonis de S. Charo...*, t. VI, *In Ev. secundum Matth.*, ed. Coloniae Agrippinae 1621, fol. 75v.

(2) *Comm. in Eccl.*, cp. VIII, vv. 9, 10; *Opera Omnia*, ed. Quaracchi, t.VI, p. 68.—In S. Bonaventurae concionibus quaedam est cujus explananda sententia ipse est v. 15 e cp. XXIV S. Matthaei; una proponitur interpretatio: eschatologica. Indicio esse potest quid eo tempore alii sentirent, concio quaedam in Opera S. Doctoris inclusa: *Sermones de tempore, Dom. XXIV post Pent.*, *Sermo* I; *Opera Omnia*, lc., t. IX, p. 454.

Praesertim vero S. Albertus Magnus splendidis S. Matthaei et S. Marci commentariis, exacta propemodum aetate conscriptis, diem designat et quasi consecrat nulla oblivione delendum. Utriusque Evangelii interpretatio cohaerere videtur ad summam, quamvis in partibus orationis eschatologicae distribuendis aliquid varietatis appareat. Quod est praecipuum afferemus. Sancti Matthaei caput XXIV in tres dividit partes S. Albertus: «Primo enim ostendit signa futuri excidii; secundo, signa excidii et consummationis saeculi...; tertio, dat signa adventus sui ad judicium» (1). Altera pars ab ipso v. 15 ducit exordium; verum inter eam et primam partem quaedam interjecta est junctio (2), quae tum antecedentia tum consequentia afficit, primam videlicet alteramque partem: junctio membro illo constituitur «...et tunc veniet consummatio» (v. 14); quare, sic pergit S. Doctor «(consummatio) Judaeae vel mundi, quia... istud et ad antecedens et ad consequens refertur» (3). Continuo altera pars adjungitur, cujus est initium et caput versus 15: «Hic incipit tangere tria signa consummationis saeculi in signis consummationis Judaeae; quia eadem particulariter praesignabant destructionem Judaeae relata ad Titum et Aelium Adrianum, quae universaliter accepta, relata ad Antichristum

(1) *In Ev. Matth.*, XXIV, 4; ed. *Borgnet*, v. 21, p. 84b.

(2) Lc., p. 85a: «...in medio duarum partium positum *diaserticum* est: hoc est ad praecedens et ad sequens referendum». *Diaserticum*, eritne erratum quoddam? sin autem, fatemur nobis integrum non fuisse hujus modi reperire verbum. *Du Cange* illud non affert. Fortasse oriatur a vocabulo *dis*, bis (seu *di*, quum jungitur) et a verbo *assero*. At esset tunc *diásserticum*; forte sit *diassertivum*. Nos confuse rem transtulimus appellando *junctionem*. Proprie esset «bis asserere», seu ad rem quod attinet «duorum asseveratio»; alterius antecedentis, alterius consequentis. Nisi forte oritur a *dia* scilicet *per*; tunc vero significaret aliquid per quod fit transitus, velut *pontem*... Sed haec mixta compositio verisimilis non videtur. R. P. Deneffe, «cujus nobis dulcis est memoria», qui etiam proponit *diasyrticum*, litteris ad nos datis.

(3) Lc., p. 95a.

finem mundi significat» (1). Haec autem non est a verbis recedens sententia; istiusmodi enim sententia seorsum traditur. Quin etiam in ipsa versiculorum 16-18 explicatione, ubi nonnulli, saltem interdum, sententias per translationem anquirunt, S. Albertus Magnus sic scribit: «Tempore autem Antichristi, cum confirmabitur potestas ejus, tunc maxime regnabit in Judaea persequens Ecclesiam fidelium; et tunc oportet ad litteram fugere ad montium speluncas et deserta» (2). Eodem autem tenore alteram partem totam interpretatur, usque adeo ut in versibus 21 et 22 difficile sit alterius explicationis quam eschatologicae indicium aliquod videre.

In S. Marci commentariis orationis eschatologicae distributio nonnihil discrepat; illa tamen versiculorum complexio, in quam versus includitur qui S. Matthaei versiculo 15 respondet, S. Alberti Magni judicio continet «signa communia et adventus Domini ad judicium extremum et destructionis Judaeae» (3).

Haec interpretandi forma, ad cujus regulam versus 15 e S. Matthaeo vel qui e S. Marco ei respondet, reliqui etiam quibuscum est ipse junctus, simul referuntur nullo a verbis recessu tum ad Hierosolymae fanique eversionem tum ad Antichristum ejusque tempus, vere est mirabilis omnique commemoratione dignissima. Nemo illam usque ad S. Albertum Magnum tanta perfectione tantaque absolutione proposuerat.

Si S. Thomas pari similive firmitudine eamdem viam esset ingressus, eschatologica interpretatio summam esset auctoritatem consecuta.

---

(1) Lc., p. 90b.—Loco edito legitur *significat*; sed totius loci contextus planius *significant* requirit. Fortasse sit mendum. Res tamen idem videtur valere.

(2) Lc., p. 92a.

(3) *In Ev. Marci,* XIII, 5; lc., p. 670a.

Verum S. Doctor quamvis utramque proponat, inclinare tamen videtur in S. Augustini et S. Joannis Chrysostomi interpretationem. Ab ea capit expositionis exordium, in eaque satis commoratur, quum S. Matthaei caput XXIV, a versu 15 ad 22, interpretatur. Ad id autem cum alios tum S. Hieronymum e S. Matthaei commentariis adducit, amputatis tamen iis quae ad Antichristum pertinent, constituuntque primum membrum e tribus a S. Hieronymo sub disjunctione propositis. Jam nihil fere animus exspectat —propterea fortasse nonnulli decepti sunt, sicut nos quoque initio decepti fuimus—, quum ecce magnus interpres et Doctor quasi videtur insistere, atque Sanctorum Patrum observantissimus, ut mos ejus est, ita pergit porro, S. Hilario auctore nominato: «Vel aliter. Totum indicium adventus futuri Dominus ponit dicens C u m v i d e r i t i s a b o m i n a t i o n e m . De Antichristi enim temporibus haec locutus est Propheta» (1). Postea vero quam brevem affert explicationem, m y s t i c a m adjungit loci sententiam de Origene deprompt-

(1) *Catena Aurea in Ev. Matth.*, XXIV, n. 5; *Opera Omnia*, ed. Parma, v. 11, p. 274a.—Nobis non placet interpunctio loci, quamvis ita etiam ab aliis locus edatur; cfr. v. gr. «ed. Pianam», Romae 1570, t. XV, fol. 83v. Vox *totum* isto interpunctionis genere violenta videtur et mira. Nisi manuscripta jubent cum auctoritate contrarium (de quo dubitare licet, quum de mera interpunctione sit quaestio) in hanc interpunctionem inclinamus: «Vel aliter totum. Indicium...» Tunc sine salebris fluit oratio. Nimirum *tota versiculorum insequens series* sententiam mutat, si v. 15 eschatologicus est. Praeterea illud *totum* abest a S. Hilario; esset igitur cogitatio nova a S. Thoma S. Hilarii loco addita. Jam vero melius est id non admitti, si potest locus sine tali additamento explicari. —In S. Marci expositione interpretatio eschatologica elucet e *S. Bedae* testimonio de Hieronymo deprompto: XIII, 14; lc., n. 4, p. 415a.—Cfr. etiam *In Ep. II ad Thess.*, cp. II, lect. I; *Opera Omnia*, ed. Parma, v. 13, p. 578.—*Comm. in Matth.*, XXIV; lc., v. 10, p. 219a. Uterque hic locus non est adeo certus. Quod ad Commentarios attinet *Ep. II ad Thess.*, teneri solet summam ipsi S. Thomae esse adscribendam, commentarios vero compositos esse a Fr. Reginaldo de Piperno ex scholis a S. Doctore habitis: Cfr. *Die echten Schriften des Hl. Thomas v. Aquin*, a *Dre M. Grab-*

tam (1), quod quidem, explicatis jam ad verbum locis, solet Sanctus Doctor subtiliter accurateque praestare (2).

Fallimur fortasse; at tamen, si minus ipsa longior expositio, certe monumentorum pro S. Joannis Chrysostomi interpretatione ubertas major et copia, praeterea quod S. Thomas pro eschatologica interpretatione S. Hilarium dumtaxat affert, etsi poterat alios quoque velut S. Hieronymum adducere, nos aliquo modo impellit ut S. Chrysostomi interpretationem alteri praeferri a S. Doctore credamus. Quamvis ita esset —quod non liquet— interpretatio tamen eschatologica in honore vel etiam magno in honore fuisse per excelsam illam et auream theologiae aetatem utique dici potest. E tribus enim illorum temporum magnis universae Ecclesiae Doctoribus, duo illam anteponunt: S. Bonaventura et S. Albertus Magnus; tertius, S. Thomas, cum laude commemorat.

Ad aliud excelsum illustrissimumque tempus veniamus, quod maxima interpretum theologorumque corona unum fere eminet, splendida mi-

---

mann, in «Beiträge z. Gesch. d. Phil. d. Mittelalters; Band XXII, Heft 1-2, p. 200.—Tandem quod ad *Comm. in Matth.* attinet, obscurior fit in dies ejus adscriptio. Certe quidem, satis multa videntur ibi exstare quae aut S. Thomae non sunt aut ab aliquo satis indocto refecta.

---

(1) Lc., p. 274b.—Etiam hoc loco dubitamus sitne vera interpunctio. Sic se locus habet: «Mystice autem in loco sancto omnium Scripturarum, tam Veteris Testamenti quam Novi. Antichristus, qui est falsum verbum, stetit frequenter». Videtur tollendum punctum quod est post *Novi*, prout fit in «ed. Piana», Romae, 1570, t. XV, fol. 83v.

(2) Redire oportet in memoriam quid dicat in *Epistola dedicatoria*: «Fuit autem mea intentio in hoc opere non solum sensum prosequi litteralem, sed etiam mysticum ponere...» lc., p. 2a. —Id notamus ne quis *mysticas* opinetur esse sententias per translationem a S. Doctore aliisque propositas quum vv. 16-20 interpretantur. Neque enim sententia per translationem expressa (*metaphorica*) eadem est quae mystica. Sententia per translationem (*metaphorica*) sententia est quae ad verbum rem interpretatur (*litteralis*).

rabilium operum effusa copia qualem fortasse numquam in Ecclesiae annalibus reperire possis. Si extremis quibusdam lineamentis illud adumbramus, saeculi XVI postremam fere mediam partem, saeculi vero XVII priorem partem vel etiam aliquid amplius complecti videtur.

Sed ut auream utramque aetatem aliquo modo continuare possimus, nominemus saltem Doctorem Exstaticum, Dionysium Ryckel, «Carthusianum» (1471). Quamquam ordine immutato, tria tamen membra, quae novimus jam ex S. Hieronymo Sanctoque Beda, quorum unum est Antichristus, sub disjunctione proponit (1). Videre nihilominus licet pro interpretatione eschatologica quiddam notatione perdignum. Scribit Dionysius Ryckel: «Insuper quae sequuntur usque ibi Orate ut non fiat fuga vestra hieme, (nimirum versus 16-20), quidam exponunt pro tempore destructicnis Jerusalem a Romanis, vel persecutionis illatae Judaeis ab Adriano Jerusalem reaedificante, et omnes Judaeos ab ea penitus repellente. Et quamvis littera valeat applicari ad haec, tamen, quantum considerare et capere possum, si ordinem textus Marci, ubi haec eadem continentur, diligenter pensemus, cogimur ea exponere pro tempore consummationis saeculi. Singulae tamen expositiones breviter sunt tangendae» (2). Versus 16-20, quos Dionysius Ryckel «quantum considerare et capere potest» «cogitur exponere pro tempore consummationis saeculi» illi ipsi sunt quos praecipuo quodam modo ad eversionem Hierosolymae

---

(1) *Enarrat. in Ev. S. Matth., XXIV,* 15 sqq.; *Opera Omnia,* v. 11, Monstrolii 1900, p. 262b sqq.

(2) l.c., pp 262-263

dumtaxat pertinere posse ajunt eschatologicae interpretationis reprehensores.

Medio fere saeculo XVI, quum theologia et interpretandi scientia renovari et florere coeperunt, vir eminet sapientia et sanctitate praestans, S. Thomas a Villanova, Archiepiscopus Valentinus (1555). Theologiae magister discipulum habuit Dominicum Soto. S. Thomas a Villanova, quippe S. Augustini Eremitarum Ordinis alumnus, se, ut aequum erat, observantissimum S. Doctoris ostendit, quem saepe Parentem Augustinum vel Sanctum Parentem Augustinum commemorando appellat. Itaque jure ac merito putaveris fore ut, versum 15, si quando expositurus esset, ad illam regulam exponeret a S. Augustino magna ingenii vi et acerrima contentione statutam qua omne eschatologicum a versu 15 penitus exterminatur. Nequaquam tamen sic se res habet. Velut in oratione quadam in qua versum 15 S. Matthaei suscipit ut explanet. Jam vero, a principio ad exitum una eschatologica interpretatio explicatur et circum eam omnis consideratio vertitur: «Ut autem dies illa (postremi judicii) non nos inveniat incautos sed paratos, Dominus in Evangelio hodierno dat signum dicens Cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat... Credo hoc de Anti-Christo primo intelligi debere; illa enim est abominatio, qualis non fuit ante» (1).

Dominicum Soto (1560), Ordinis Praedicatorum lumen, S. Thomae a Villanova discipulum commemoravimus. Quum vero egre-

(1) *In Dom. XXIV post Pent.; Opera Omnia,* v. 3, Manilae 1882, n. 3, pp. 307-308

gius hic vir caput XXIV S. Matthaei paulum commorando percurrat, breviter de illo disseramus. Ad causam illam dijudicandam «utrum judicio finali aliqua sint signa antecessura», fieri non poterat quin ad eschatologicam Salvatoris orationem Soto conveniret. Si quidem discipuli tum de templi eversione tum de mundi fine utramque confundunt interrogationem, «Christus utriusque signa promiscue posuit. Quocirca, non solum quaedam ad Hierosolymam referuntur et quaedam ad finem mundi..., verum aliqua utrumque simul sensum referunt» (1). Quod ad versum 15 attinet, opinatur Soto eo versu responderi ad primam de templi eversione interrogationem. Addit tamen: «Quamvis et in eadem strage finis mundi fuerit praesignatus... Nihil ergo vetat utrumque sensum Christum insinuasse». Et paulo post, quum de a b o m i n a t i o n e d e s o l a t i o n i s a Daniele dicta singillatim disputat, eam negat ad Antiochi Epiphanis tempus pertinere posse; potius «...verbum Christi non alludit nisi ad desolationem quae Romanorum impetu post ejus passionem facta fuit... Vel ad desolationem mundi illic designatam» (2). Ergo effinguntur etiam apud Dominicum Soto, quamquam minus expressa, lineamenta illa quae S. Albertus magna vi, S. Thomas minore firmitate descripserat.

Vir eximius, Traditionis maxime retinens, universae Doctor Ecclesiae, S. P e t r u s C a n i s i u s (1597), exeunte fere saeculo XVI, suffragium fert gravissimum pro eschatologica versus 15 interpretatione. In libro N o t a e i n E v a n g e l i c a s l e c t i o n e s, quum ad D o m i-

---

(1) *In IV* (quem vocant) *Sentent.* T. II, dist. 46, q. 2, a. 1; Venetiis 1575, p. 532a.—Quum disputare orditur, auget Soto rei obscuritatem his verbis: «...de signis Christus sic amphibole locutus est ut vix oculatissimus dignoscere queat utrum...» Lc., 531b.

(2) Lc., pp. 532-533a.

nicam XXV, ut ipse ait, post Trinitatis pervenit, XXIV S. Matthaei caput, tamquam materiam quae solum et quasi fundamentum esse debeat meditationum et precationum circa Evangelium, exponit. Nihil fere proprie sigillatimque declarat; paululum tantummodo commoratur quum describit, etsi satis communiter, «ea signa, quae mundi finem respiciunt et aetati nostrae congruunt magis». Illud non parum urget quod «Christi responsio redditur obscurior, quoniam ex illa non satis constat, ad quodnam tempus proposita signa referantur, quum pleraque ad excidium Hierosolymitanum non magis quam ad finem mundi vel secundum Domini adventum referri posse videantur». Verum nostra nunc maxime interest eum, quamvis prudens et sciens brevem et quasi infinitam expositionem persequatur, ad extremum paene sic scribere: «Hoc unum addam, Irenaeo, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, pluribusque Patribus visum esse ut Gabrielis, Danielis et Christi verba de abominatione desolationis dicta, ad Antichristum referantur...» (1). Multos Sanctos Patres hac esse usos interpretatione certum est. At S. Petrus Canisius eam S. Gregorio Nazianzeno et S. Joanni Chrysostomo adscribit, quibusdam nixus homiliis falso his Sanctis attributis, de quibus homiliis jam antea loquuti sumus. Quidquid autem id est, haec tamen notatio in media tanta brevitate descriptionisque infinitione admonere nos studiose videtur ut interpretationem eschatologicam, antiquis Patrum testatam consignatamque monu-

(1) *Notae in Evangelicas lectiones, quae per totum annum dominicis diebus in Ecclesia catholica recitantur* Authore *R. P. Petro Canisio* Societatis Jesu Doctore Theologo.—Friburgi Helvetiorum MDXCI.—Cfr., pp. 1136-1138.

mentis, ante oculos attentissime ponamus neque deleri oblivione patiamur (1).

Ex hoc florentissimo tempore nobilem alium auctorem commemoremus paulo aetate posteriorem, Gregorium de Valencia S. J. (1603). Quum de signis loquitur quae omnium resurrectioni postremoque judicio antecedent, adductis versibus 15 et 16, ad hunc modum expositionem instituit: «Intelligitur namque hoc, interprete ibi Hieronymo et aliis, non solum de imagine Caesaris quam Pilatus posuit in templo, aut de Adriani equestri statua... sed etiam de Antichristo» (2). Adhibita exponendi ratio ad illius interpretationis memoriam, quam apud S. Albertum Magnum vidimus, animos nostros revocat. Alias ultra progredi videtur, asseritque Salvatoris verba ad Antichristum imprimis referri. Locum seligamus e Disputatione VI De sacramento Eucharistiae in IV commentariorum theologicorum volumine, quae disputatio se magno cum libro fere aequat. De multis rationibus, quibus sanctam Missam legitimum esse sacrificium tuetur, una e XII Danielis capite, versu 11, deprompta est, ubi leguntur haec verba: «Et a tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta». Jam vero, ut ante

(1) In *meditationibus et precationibus* quae statim post *argumentum* consequuntur, Sanctus Doctor totum se convertit ad permovendos animos considerationesque proponendas de paucis quibusdam versiculis, praesertim de iis qui ad falsos vates pertinent Antichristique praecursores. Semel solum versum 15 leviter rursus attingit atque hoc modo scribit: «...locus praesens, quem Christus ex Daniele citat, variam interpretationem admittit, sicut Graeci ac Latini Theologi suis scriptis produnt quando de abominatione desolationis, de loco sancto, deque septuaginta hebdomadis Danielis ad Christi adventum applicandis sua sensa depromunt.. » lc., p. 1148.

(2) *Gregorii de Valentia* Metimnensis e Soc. J., Sacrae Theol. in Academia Ingolstadiensi Professoris, *Comm. theol.*, t. IV, disp. XI, q. II, punctum I, Lugduni 1619, col. 1728.

occupet quod opponi putat argumento, tres celebres Danielis locos P. Valencia diligenter expendit, in quibus sermo est de sacrificio et desolatione: VIII, 13; IX, 27; XII, 11. Rei disquisitio aliquid tarditatis habet, est etiam subtilis, quae solent esse Patris Valencia disquisitiones. Nos unum eruemus locum: «Quin etiam, cum urbis eversio figura fuerit consummationis mundi, ut ex consequentia Christi sermonis apparet; ideoque Danielis prophetia secunda (IX, 27) allegorice significet extremam persecutionem Antichristi, mundi fini vicinam, quam prophetia tertia (XII, 11) ad litteram describit: hoc ipso quod Christus Dominus prophetiam secundam commemorat, alludit etiam ad prophetiam tertiam, eamque tacite referri vult ad mundi tempus extremum de quo praecipuum sermonem instituit. Nam et hujus rei videtur mihi nos admonuisse Evangelista, cum post illa verba Christi Cum videritis abominationem... subjunxit, sive ex sua sive ex Christi sententia, per parenthesim qui legit intelligat; id est, animadvertat desolationem eam abominationis seu prophanationis templi aliam deteriorem significare, de qua Daniel postea vaticinatus fuerit, et ad quam Christi sermo imprimis dirigatur; nempe... Antichristum sedentem sub mundi finem in templo Dei» (1). Considerari oportet postrema verba praesertim: Christi sermo ad abominationem, quae est Antichristi tempore futura, imprimis dirigitur.

Scribebamus paulo antea: «Exacta jam Patrum aetate... aliquot solum testes illustres, temporibus praecipuis notandis, quasi exempli causa pro-

(1) Lc., disp. VI, q. XI, punctum I, col. 1059.

ducere conabimur, ut plane perspici possit interpretationem eschatologicam adhuc permansisse ac porro permanere». Ergo aliquot jam testimoniis adductis e duabus theologiae interpretationisque catholicae praecipuis aetatibus, ad nostrorum temporum exempla veniamus.

Ea judicii firmitudine, eoque dicendi genere acri et robusto et quasi triumphali quo saepe uti solet, ipse Cardinalis Billot pro eschatologica interpretatione vehementer propugnat. Quod autem plus habet admirabilitatis illud est quod de ejusdem auctoris sententia S. Matthaei versus 15, si ad verbum attingitur, spectat quidem ad Hierosolymae obsidionis fanique eversionis tempora, sed praeterea, immo potissimum ad Antichristi tempora. Nam postquam affirmavit locum ad Hierosolymae eversionis tempora sine ulla dubitatione respicere, haec addit: «Mais ce qui semble plus évident, s'il se peut, et plus certain encore, c'est que l'oracle de Daniel principalement visé, était celui du chapitre douzième, celui-là même que nous avons interprété en dernier lieu, concernant le temps de l'antéchrist et de la grande persécution qui viendra sous son règne» (1). Et paulo post: «De tout cela, il résulte que, dans le passage de saint Matthieu qui a fait l'objet de la présente étude, Notre Seigneur a visé à la fois les deux oracles de Daniel ci-dessus mentionnés, et joint dans un même tableau prophétique les événements correspondants, ceux du siège, et ceux de la persécution de l'antéchrist» (2). Planius et apertius vix loqui possis.

Anno 1926, S. Matthaei Evangelium neerlandice redditum edebatur notationibus quibusdam brevique illustratum commentario a Th. Bee-

(1) *La Parousie*, art. IV, ed. 2, 1920, p. 128.
(2) l.c., p. 130.

len, rursus novis locupletatum notationibus a docto Sacrae Scripturae Magistro A. Van der Heeren (1). Van der Heeren interpretationem eschatologicam certo stabilique judicio tuetur, atque ita quidem ut alteram prorsus excludat. En loci quidam notatione digni: «Quod initio hujus capitis dicebamus... satius nobis videtur hos etiam versus 15-22 ita considerare quasi contineant, non ipsum Hierosolymae finem, sed, quemadmodum tum antecedentes versus 4-14, tum etiam consequentes 23-31, ipsum mundi finem. Profecto versus 15-22 junguntur «formaliter» cum iis quae antecedunt: «Cum ergo videritis...»; similiter versus 23 cum versibus 15-22 manifesto cohaeret: «Tunc si quis vobis dixerit...»; perspicuum est vocabulum tunc cum tempore ceterisque adjunctis in versibus 21-22 descriptis esse connexum. Multo etiam minus verisimile nobis videtur versus 15-20, quod nonnulli ajunt, a versu 21 et sequentibus esse disjungendos, quasi versibus 15-20 de Hierosolymae eversione, versu autem 21 et sequentibus de mundi fine sermo haberetur; etenim versus 21 et sequentes rationem afferunt antecedentium (sic versu 21: 'erit enim...')» (2). Jam paulo post, quum ipsum versum 15 interpretatur, scribit: «In antecedentibus omne signorum genus Jesus dedit mundi finem remote (mediate) praecurrentium...; tandem v. 15 et sqq. postremum signum proxime (immediate) praecurrens describit: cum ergo videritis... Hoc signum nihil aliud nobis esse videtur nisi Antichristi praesentia atque vexatio» (3).

---

(1) *A. Van der Heeren, Het H. Evangelie van Jesus Christus volgens Mattheus* door Mgr. *Jo. Th. Beelen* S. T. D. ... aangeteekend door *A. Van der Heeren*, S. T. D., &. Brugge, 1926.

(2) Lc., p. 111.

(3) Lc., p. 112.

Van der Heeren plane pronuntiat aperteque sententiam; at suo jure. Nemo enim carpere eum poterit quod in solitudine erret; clarissimis magistris comitatus incedit: Sanctis Patribus Ecclesiaeque Doctoribus.

Recenti tempore R. P. Béda Rigaux O. F. M., Sacrae etiam Scripturae Magister, Dominum Van der Heeren identidem, laudibus efferendo, commemorat; addit tamen: «il exagère peut-être un peu en faveur de la perspective sur la fin du monde» (1), eo videlicet quod ab interpretatione eschatologica alteram excludi velit. De cetero R. P. Béda optime affectus est erga eschatologicam interpretationem, existimatque Hierosolymae eversionem toto hoc loco quiddam esse secundarium; uterque tamen eventus, Hierosolymae excisio et mundi finis, in universa descriptione apocalyptica nequaquam, alter alterum, de ipsius sententia excludit, sed sub uno eschatologico prospectu uterque se una confundit (2). Patris Béda Rigaux interpretatio exquisita est, subtilis, scienter ac perite elaborata, in quibusdam tamen minutis subdifficilis nobis quidem videtur. Uberius de ipsa loquemur, sed suo tempore; interea satis fuerit affirmare eam ad summam esse eschatologicam, quamquam non ita ut alteram excludat. Declarandae hujus rei causa, nonnulla describimus: «Il est évident, par les questions des Apôtres, que Marc et Matthieu veulent parler de la destruction de Jérusalem; mais rien dans leur texte ne permet d'affirmer qu'ils ont dissocié dans le temps ruine du monde et celle de l'état juif. Rien non plus ne laisse soupçonner que, dans leur discours, certaines parties doivent être attribuées à la description de la fin du monde et d'autres à

---

(1) *L'Antéchrist et l'Opposition au Royaume Messianique dans l'A. et le N. T.*, part. 2, ch. I, Gembloux-París, 1932, p. 225, not. 12.
(2) Lc., p. 224 sqq.

celle de Jérusalem. C'est la même perspective partout; mais à un endroit, dans la prédiction de l'abomination (1) de la désolation, ils englobent et encadrent al fin du monde juif dans celle de la fin des temps» (2).

Tandem brevissime adjungere liceat apud eos etiam, qui extra religionis catholicae terminos versantur, tum «conservatores» tum «liberales», eschatologicam versiculi 15 e S. Matthaei capite XXIV interpretationem magno in honore et gloria esse. Th. Zahn (3) et A. Loisy (4) nomina, qui pro ea venementer propugnant, satis fuerit ad exemplum attulisse.

Cuncti hi modi rationesque variae capitis XXIV e S. Matthaeo, versiculi praesertim 15, ad vim atque sententiam quamdam eschatologicam explicandi, sensim obscurabantur et evanescebant advenientibus novis quibusdam interpretationibus quas recentes interpretes, complures sane ac praepotentes, tamquam solum defendendas tuebantur. Si auctoribus recentioribus, quamvis etiam pluribus, pro eschatologica interpretatione afferendis initium disputandi fecissemus, eorum voces fortasse apud multos mirum quiddam inauditumque sonuissent. Sed istud jam esse non potest, praesertim postquam universam Patrum aetatem diligenter pro nostra parte accurateque lustravimus.

Maneat igitur stabilitum et fixum hoc factum, scilicet, eschatologicam versus 15 e S. Matthaei capite XXIV interpretationem, modo sub disjunctione propositam, modo ratione quadam alteram interpretationem excludente, modo tandem ea ratione quae utramque interpretationem simul

(1) *Prédiction de la domination* (!) *de la désolation,* legimus; videtur esse mendum.

(2) L.c., pp. 242-243.

(3) *Das Ev. des Matthäus,* § VII, ed. 2.ª, Leipzig 1905, p. 652 sqq.

(4) *Les Év. synopt.,* II, § LXXX, p. 393 sqq.

esse patiatur, semper viguisse et in honore semper fuisse, praesertim per totam Patrum aetatem, praecipue vero in Occidentis Ecclesia cujus certe propria nota non est novitatis aut peregrinitatis amor. Multis est modis proposita; semper tamen postremorum temporum mysteriis quasi obvoluta est. Divini Magistri verba meditantes mortalium animi sacro semper quodam perfunduntur horrore, quum luce terribili et minace, postremis Antichristi temporibus, lucentem «abominationem desolationis» cogitatione praecipiunt, eamdemque «stantem in loco sancto» commota mente praesentiunt.

Versus 34: «Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt».

Gravissima haec verba maximeque sollemnia, post universam apocalypticam descriptionem, in qua plane aperteque de fine mundi sermo habetur, prolata, nonnullorum aures offendere et quasi ferire horribili sonitu videntur. Putant videlicet isti maxime planum maximeque expeditum esse verba illa generatio haec ad Jesu aequales respicere. Vicissim maxime planum expeditumque aut est aut esse ipsis videtur verbis illis omnia haec, quodcumque Dominus antea dixit, comprehendi, proinde multa quae ad postrema tempora pertinent. Itaque non possunt motum quemdam admirationis intimum prohibere, ac ferme videntur intus dolere quod haec verba sunt prolata. Atqui prolata sunt, et maxime quidem sollemniter; quin etiam a tribus synopticis religiose sanctissimeque collecta. Eadem religione, eademque sanctitate volumus nos illa colligere, atque non solum non praeterire cursim, sed ea diligentissime pro nostra parte

perpendere. Verum antequam interpretationem ullam attingimus ,rursus quaedam facta consignanda atque testanda judicamus.

§ I

Factum primum: Quid valeant tempore Patrum verba illa ἡ γενεὰ αὕτη e capite XXIV S. Matthaei, versu 34.

Ergo id temporis verba ista fere numquam aequalium Jesu aetatem significant. Nihil est quare in hac re demonstranda diutius commoremur. Exploratus enim est hic locus, et, si communiter loquimur, sapientum judicio sine controversia receptus. Itaque nonnulla solum animadvertemus.

Primum quidem, quantum ex monumentorum inopia, quae ad nos usque pervenerunt, judicare possumus, magnum per duo priora saecula de loco isto est silentium. Neque Occidens traditionum maxime retinens, neque Oriens novarum rerum atque subtilium persequentissimus, de hoc loco, saltem directe, loquuntur (1). Tertio ineunte saeculo, eo-

(1) Indicium aliquod medio saeculo II apud *Marcionem* haereticum invenimus. Etsi difficile est ex his, quae falsus et mendax scriptor offert, aliquid rite concludere, notemus saltem Marcionem verba ἡ γενεά, sive interpretando sive pro his alia verba substituendo, ita reddere: ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ. Id testatur Tertullianus, nisi forte mavis Tertullianum ipsum, utpote quum res agatur nullius momenti ad ejus suspectum finem, auctorem interpretationis existere: «Adhuc ingerit non transiturum caelum ac terram nisi omnia peragantur...» *Adv. Marcionem*, IV, 39; ed. *Kroymann*, CV, v. 47, pars III, p. 558.—Cfr. *Harnack, Marcion: Das Ev. vom fremdem Gott, Beilage* V; TU, v. 45, ed. 2.ª, p. 232. *Clemens Alexandrinus* nostrum locum non attingit. Verum non possumus non animadvertere quam sua sponte, ac sine ulla vi, γενεά *populum, nationem genesve* apud illum significet. Ex. causa in *Paedagogo* poetice confert Clemens A. Judaeorum populum cum novo populo, scilicet christianorum, hoc modo: ἡ μὲν γὰρ γενεὰ ἡ παλαιά, σκολιὰ καὶ σκληροκάρδιος, χορὸς δὲ νηπίων, ὁ καινὸς ἡμεῖς λαός, τρυφερὸς ὡς παῖς: l. I, cp.

dem fere tempore tum in Oriente tum in Occidente praestantissimi duo viri vocem tandem clarissimam mittunt: alter, praecipuus id temporis Ecclesiae Romanae theologus, S. Hippolytus; alter, tria priora saecula splendidissimum totius Orientis vel fortasse universae etiam Ecclesiae ingenium et lumen, Origenes. Neuter verba ἡ γενεὰ αὕτη de Salvatoris aequalium aetate interpretatur; immo Origenes sententiam istam plane refellit (1).

Neque porro sunt illi sphinges solitariae. Praestantissimi quique auctores postea in aureo etiam saeculo sententiam ferent atque defendent. Interea vero in magno illo temporis spatio, quod interjectum est inter extremum saeculum II et medium vel extremum etiam saeculum III, mirum quiddam animadverti potest. Id nobis praebent loci illi qui ab ultimis temporibus in latinum conversi restant ex Novo Testamento, proinde Vulgata antiquiores. Negari certe nequit his locis verba ἡ γενεὰ exprimi saepe verbo generationis. Verum generatio est verbum novum, praeterea ambiguum; imprimis vero qui generationis vocabulo utuntur, verba etiam adhibent natio, gens, similia quae, si ipsa vocabuli vis bene consideratur, ne tempus quidem significant. Haec autem verba natio, gens... non modo adhibent quum versiculum

---

V; ed. *Stählin*, CB, v. 12, p 101.—In pulchro autem simplicique poemate Salvatori consecrato, quo *Paedagogus* clauditur, una ex precationibus haec est: βροτέας γενεᾶς-σῶτερ Ἰησοῦ: «generis humani—Salvator Iesus»; lc., l. III, cp. 12, p. 291.

---

(1) *S. Hippolytus*; *In Matth.* XXIV, 34; ed. *Achelis*, CB, v. 1, part. 2.ª, p. 207.—*Origenes*: *Matthäuserklärung*, *Matth.* XXIV, 34; ed. *Klostermann*, CB, v. 38 (ex Orig. Op. 11), n. 54, pp. 121-124.—Quam vim subjiciant verbis ἡ γ. α. postea indicabimus quum versum totum explicabimus.

34 e S. Matthaei capite XXIV vertunt aut eos qui ex S. Marco Sanctoque Luca illi respondent —quod scienter studioseque factum videri potest ut locum obscurum declinent— sed etiam quum alios convertunt locos, sive obscuros sive planos et expeditos En aliquot exempla.

XII S. Matthaei capite, versibus 41 et 42, haec leguntur: «Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae. Et ecce plus quam Jonas hic.—Regina austri surget in judicio cum generatione ista, μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, et condemnabit eam, quia venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic». Omnia hoc loco conferre videntur ad verbum γενεὰ generatione reddendum. Nihilominus, quae inde ab antiquissimis temporibus in latinum conversa S. Cypriani tempore pervagabantur, ab eodem Sancto usurpata et per codices Palatinum (e) ac Bobiense (k) ad nos usque tradita, vertunt γενεὰ per verbum natio tum his locis tum eo qui paulo post sequitur (v. 45): «Sic erit et generationi huic pessimae» (1). Similiter antiquissimus ac fidelissimus S. Irenaei interpres (2) hoc modo scribit: «Et

---

(1) Codex Bobiensis, nunc Taurinensis, (k), editus est apud *Old-Latin Biblical Texts*: N. 11 a *J. Wordsworth, W. Sanday et H. J. White*, Oxford, 1886.—Palatinus (e), Bobiensis quoque apud TU, Band 33, a *Von Soden*, Leipzig, 1909.—Bobiensis codicis in locis dominatur verbum *natio*. E novem versiculorum summa, sexies adhibetur *natio*; e reliquis tribus, apud S. Matth. XII, 39, adhibetur *progenies*, apud S. Marc. VIII, 30, *saeculum*, solum vero apud S. Matth. I, 17, ubi γενεά est in numero «plurali», videturque vitari non posse *generatio*, haec vox usurpatur.—Palatinus cum Bobiensi congruit in his quae ex Bobiensi restant; de reliquis, 8 versiculi habent *generatio*, 7 *saeculum*, 4 *natio*, 1 *caelum*.

(2) De «textu» N. T. ab interprete S. Irenaei adhibito, de ejus antiquitate, &. cfr. praeclarum opus: *Nouum Testamentum S. Irenaei Episcopi Lugd. a W. Sanday, C. H. Turner* et *A. Souter* apud *Old-Latin Biblical Texts*: N. VII, Oxford, 1923.

regina austri a finibus terrae veniebat ad eum, sapientiam quae in eo erat scitura, quam et Dominus ait in judicio resurrecturam cum eorum natione... &» (1). Simili S. Lucae loco IX, 41, latinum quod ante oculos erat Tertulliani, quo etiam ipse, ut videtur, utebatur, e verbo γενεά reddit genitura: «O genitura incredula, quousque ero apud vos...»; paulo autem post, quodam loco quem Kroymann inculcatum putat (2) —etsi interpositio antiqua valde esset—, alii vero ipsius esse Tertulliani arbitrantur, sic legimus latino sermone meliore, eadem tamen sententia: «O natio incredula quamdiu ero vobiscum...» (3).

Ad nostrum locum accedamus: S. Matth. XXIV, 34. Deest in codice Bobiensi (k), qui codex neque S. Lucae Evangelium comprehendit. Exstat vero in eodem codice locus S. Marci, XIII, 30, qui loco e S. Matthaeo XXIV, 34, plene perfecteque respondet. Jam vero S. Marci locus ita latine redditur ut cum Palatino (e) penitus congruat, in quo tres illi loci servantur qui apud tres Synopticos sibi respondent: S. Matth. XXIV, 34; S. Marc. XIII, 30; S. Luc. XXI, 32, In codice (e) rem satis miram animadvertimus, quae nonnihil etiam ad nostram causam valere videatur. Videlicet tribus his versibus latinum verbum, quod voci γενεά respondet, diversum est: apud S. Matthaeum, generatio; apud S. Marcum, saeculum; apud S. Lucam, caelum. Quum saeculum possit etiam significare genus, progeniem, similia; quum, etiamsi tempus notat, multo crebrius tem-

---

(1) *Adv. haer.* l. IV, cp. XXVII, n. 1; MG 7, 1057-1058.

(2) *Adv. Marcionem* IV, 23; ed. *Kroymann*, CV, v. 47, p. 407.

(3) Cfr. *Harnack, Marcian*; *Das Ev. vom fremdem Gott, Beilage* IV, A. Einleitung, 1, ed. 2.ª, p. 180; apud TU, v. 45.—*Lagrange O. P. Critique Textuelle du N. T.*, II *La Critique Rationnelle*, l. 1, ch. VII, § VI et VII, p. 259 sqq.

pus significet aetate una minime circumscriptum—aetatem vero dicimus spatium vitae quod mediae fere hominum parti concedi solet—; quum ex altera parte neque caelum tempus proprie significet: ad arbitrium libidinemque res ageretur, si tribus vocabulis, generationi, saeculo, caelo, aetatis notio tamquam planior subjiceretur, ea nimirum sententia et vi quam antea diximus, multoque magis si aetatis notio subjiceretur 30 fere annis circumscriptae. Sermone illo, quo S. Lucae interpres utitur: «Amen dico vobis, quoniam non transiet caelum istud, donique omnia perficiantur», potius in memoriam redit Marcionis oratio, sive conversa sive tradita saltem per Tertullianum: «Adhuc ingerit non transiturum caelum ac terram nisi omnia peragantur» (1).

Ex eadem S. Columbani bibliotheca Bobiensi, unde est (k), ortae sunt etiam ambrosianae partes (s) Evangelii secundum Lucanum (2). Capitis XVII in versu 25 novo modo γενεά vertitur: «sicut enim fulgor sub caelo fulgurans, sic erit et aduentus fili hominis; prius autem oportet eum multa pati et reprobari a gente hac». Gens proprie significat «hominum familiarumve multitudinem quae ab eodem capite oritur»; latius patente notione, significat quoque populum vel nationem; sero autem admodum, corrupta praesertim Aevi Medii latinitate, significavit «hominum multitudinem sim-

---

(1) Cfr notationem primam expositionis versiculi 34, § I.—Idem codex (e) adhibet *saeculum* in v. 36 cp. XXIII S. Matthaei: «Amen dico vobis, venient omnia super *saeculum* istud. Hierusalem quae interficis prophetas...», &. In eodem versiculo unus de optimis codicibus S. Irenaei in latinum versi, Claromont. (C), scribit *nationem*: «Venient omnia ista super *nationem* istam».

(2) *Old-Latin Biblical Texst*: N.° II; *Fragmenta Evangelii secundum Lucanum ex codice Bobiensi nunc Ambrosiano* (s); lc., p. 85.

pliciter», originis pratermissa communitate: nimirum quod hispani nunc solemus appellare g e n t e (1). Omnes istae notiones plurimum distant a temporis spatio significando quasi 30 annorum, aut, si magis communiter loquimur, a temporis spatio quod mediae fere hominum parti tribui solet. Atqui praeter locum ambrosianum modo allatum, ille qui antiquissimus habetur Evangeliorum codex latine redditorum, codex V e r c e l l e n s i s (a), cujus scriptura generatim ad saeculum IV pertinere dicitur, qui praeterea, ut fert antiqua traditio, S. Eusebii Vercellensis (371) fuït vel etiam ab ipso est forte conscriptus, illud praebet notatione dignissimum quod, quum S. Lucae Evangelium latine reddit, graecum γενεὰ in latinum g e n s plerumque convertit (2). Exempli causa: «Cui ergo adsimilabo homines gentis huius...» (VII, 31); «...gens haec, gens nequa est» (XI, 29); «...uiri nineuitae surgent in indicio cum gente hac et condemnabunt eam» (XI, 32); tandem in XXI, 32, haec leguntur: «...non transiet gens illa, donec omnia fiant». Quidquid est postremo hoc loco de accurata vocabuli g e n t i s notione definienda, utique neque tempus neque spatium temporis g e n s significat. Unum tamen hoc dari potest, rationem istam loquendi, si ipsa in se tantummodo suaque vi ac natura consideratur, nequaquam excludere fieri posse ut g e n s i l l a re ac veritate seu «materialiter», ut dicitur, cum g e n e r a t i o n e secundum definiti cujusdam temporis spatii notionem congruat (3).

---

(1) Cfr., v. gr *Forcellini, Du Cange,* &.

(2) Ex 11 versiculis, in 3 adhibetur *generatio,* in 1 *saeculum,* in reliquis *gens.*—Quum in S. Matthaei et S. Marci Evangeliis graecum γενεὰ vocabulo semper *generationis* vertatur, forte non sit idem interpres

(3) Ex omnibus Vercellensis locis, in quibus graecum γενεὰ latino *gens* vertitur, obscuritatis aliquid habere possunt tum locus

Vocabulorum varietas in voce γενεά latine reddenda, quorum ne tempus quidem aliqua significant, demonstrat neque accurate neque vere dici generationis vocabulo definiti temporis spatii notionem fuisse subjectam, spatii saltem temporis quod mediae fere hominum parti concedi solet, multoque minus spatii quasi 30 annorum. Praestantissimi eo tempore scriptores suis explicationibus commentariisque, ceteroqui rarissimis, idem judicium roborant.

Unus existit interpres, qui in S. Matthaeo XXIV, 34, interpretando iis utitur monumentis quae ante Vulgatam in latinum conversa restant: S. Hilarius (367). Generationis vocabulum S. Doctor usurpat, at cuncta ejus verba definiti temporis spatium, quod aequalium Jesu vitam adaequet, plane et perspicue excludunt. Sic enim scribit: «...adjecit generationem nostram praeterire non posse, nisi universa ista transcurrerent» (1). Manifestae hujus asseverationis superest explanatio.

Ad Vulgatam accedamus. Nullus gravior nec locupletior testis esse potest quam S. Hieronymus ad declarandum quam ipse vim genera-

---

antea adductus XXI, 32, quod vox *illa* adhibeatur, tum multo magis XI, 50, «...ut exquiratur sanguis omnium prophetarum qui effusus est ab origine mundi usque in gente hac», ubi *in gente hac* tempus significare, primo saltem aspectu, videtur. At istud nequaquam esse potest; quia nulla temporis notio *genti* subjicitur, solum autem propter adjuncta, ut aliud verbum quodlibet ex his quae tempus non significant, sic *gens* in varia tempora verti potest. Quapropter tum aliae dari possunt explicationes, tum fortasse haec: scilicet, creberrimus nostro tempore vocabuli *gentis* usus ad significandam «hominum multitudinem simpliciter, originis praetermissa communitate» multo altius repetendus est, ab illo saltem tempore quo ante S. Hieronymum in latinum Evangelia conversa sunt.—Ad usum vocis *illa* in XXI, 32, conferatur v. gr. S. Lucas XIX, 27, ubi graecum τούτους tum in Vercellensi tum in Vulgata vocabulo *illos* redditur.

---

(1) *Comm. in Matth.*, cp. XXVI, n. 3; ML 9, 1057.

tioni subjecerit, quum hoc vocabulo sive eligendo sive probando graecum γενεὰ reddidit. Itaque S. Hieronymi verba sunt haec: «...Igitur aut omne genus hominum significat, aut specialiter Judaeorum» (1). Neutra vocabuli notio «aequalium Jesu aetati» locum dat.

In Oriente, aurea Patrum aetate, S. Joannes Chrysostomus certo stabilique persequitur judicio Origenis impressa vestigia, negatque plane sermonem esse de Salvatoris aequalium aetate (2). Ante S. Joannem Chrysostomum eamdem viam ingreditur Episcopus Bostrensis, Titus (364-378), vir sacris profanisque litteris excultus, magnaque suo tempore auctoritate praestans (3). Ejus verba ad perbreves luculentasque formulas, scite quadratas, redacta, postea a S. Cyrillo Alexandrino (444) descripta sunt: «Γενεὰν δέ φησιν... οὐ τοὺς τότε ἀλλὰ ἀνθρώπους τοὺς ὁμοίους τῷ τρόπῳ» (4).

Si ea quae sunt a Cramer edita ac Theodoro Mopsuesteno (428) attributa, Theodori reapse essent, notus hic controversusque interpres una cum explicatione quam modo videbimus, alteram proposuisset qua voci γενεὰ

---

(1) *Comm. in Matth.*, l. IV, cp. XXIV, 34; ML 26, 180.—Si S. Hieronymus, ut fert communis opinio, auctor est etiam Vulgatae, quod ad epistolas attinet S. Pauli, aliquando vel delegit vel reliquit vocabulum *natio*, ubi graecum erat γενεὰ. Bis tantum γενεὰ «singulari» numero exhibetur: *Phil* II, 15 et *Hebr.* III, 10. Primo loco «...μέσον γενεᾶς σχολιᾶς etc." vertit Sanctus: «...*in medio nationis pravae*, &.».—*Ambrosiaster* eodem modo vertit: *Comm. in Ep. ad Phil.* II, 14-18; ML 17, 435.

(2) *In Matth. hom.* 77, n. 1; MG 58, 701-702.

(3) *Sickenberg, Titus von Bostra. Studien zu dessen Lukashomilien*, in TU, v 21, pp 238-239.—Eamdem viam, quod praevideri poterat, ingreditur *Eusebius Caesariensis* (339-340) tum in operibus quae certo constant tum in iis quae ipsi adscribuntur. Cfr. *QQ. Evang. ad Steph.*, qq. XII, XIII; contractum opus apud MG 22, 924 sqq. *Comm in Luc.* XVII, 25 et XXI, 32; MG 24, 584, 601, 604.

(4) *Sickenberg. Titus von Bostra*, &.; lc.—De *S. Cyrillo*, cfr. *Comm. in Luc.* XXI, 30; MG 72, 900.

satis dilucide notio subjiceretur notioni «aetatis aequalium Jesu» ota contraria (1).

Deflorescente Sanctorum Patrum aurea aetate, per totum illud tempus quod ex Patrum aetate restat, in media eaque magna solitudine tum commentariorum tum etiam significationum versiculi 34 e S. Matthaei capite XXIV, eorumve qui apud alios Synopticos huic versiculo 34 respondent, emergunt rarae quaedam et disjunctae significationes et indicia illius interpretationis quam in Oriente Origenes et S. Joannes Chrysostomus, in Occidente S. Hilarius et S. Hieronymus tradiderunt (2). Harum omnium significationum longe gravissima apud S. Gregorium Magnum (604) sine dubitatione exstat. Non describit S. Doctor quid vocabulum generatio valeat; perspicue tamen sentit vocabulo isto tempus certum definitumque, quo illi Apostolorum quaestioni respondeatur: «quando haec erunt?» non significari, multoque minus tempus quod aequalium Jesu aetatem adaequet. Ratio vero patet et in promptu est. Etenim postea quam versus 25-31 e capite XXI S. Lucae, vi sententiaque tantummodo eschatologica, S. Doctor exponit, haec addit: «Quae omnia sub magna certitudine confirmantur, cum sententia subjungitur qua dicitur Amen dico vobis quia non praeteribit generatio haec, &.» (3).

Post Patrum aetatem, in Oriente, ejus etiam

---

(1) *Catcn. graec. PP. in N. T.*, t. I, *In Marc.* XIII, 32, pp. 414-415.

(2) Ex. gr.: *Procopius Gazensis* (c. 528), *In Exodum*, XX, 5; MG 87 (I), 611-612.—*Petrus Laodicensis* (medio s. VII), *Erklärung des Matthäusev.*, XXIV, 34; ed. *Heinrici*, pp. 279-280.—«*Opus imperfectum*», *In Matth.*, *hom.* 49; MG 56, 920-921.

(3) XI. *Hom. in Ev.*, l. 1, *Hom.* 1, n. 4; ML 76, 1080.

secessione perfecta (1), triumphare pergit interpretatio illa, quae a vocis γενεὰ significatione «aequalium Jesu aetatem» prorsus excludit. In Occidente etiam usque ad saeculi XV postrema tempora, eadem viget interpretatio magnam «habens impositam nubem testium» (2). Ab iis tamen afferendis abstinebimus; jam enim diximus nihil esse quare manifestam rem demonstrare conemur. Contra, officium nostrum esse ducimus indicia nonnulla, quae longis intervallis de repente existunt, faventque recentiorum quorumdam interpretationi de vocabulo γενεὰ «aetate aequalium Jesu» circumscribendo, fideliter collecta proponere. Loquimur, ut patet, de Sanctorum Patrum aetate.

1. Itaque veniamus ad Occidentem. Ubi nihil quicquam aliud nisi Juvenci poetica quaedam verba atque ignoti cujusdam auctoris saeculi IV significationes quasdam satis obscuras incertasque cognoscimus.

Juvencus (c. 330) post sermonis eschatologici poeticam expolitionem cujus sunt duo hi optime sonantes hexametri qui versiculo 32 respondent:

---

(1) Magnos illos Orientis interpretes dicimus, etsi heterodoxos, *Euthymium*, *Theophylactum*, *Bar Salibi*, in eorum commentariis toties a nobis adductis.

(2) Initio a S. Beda ducto, afferri generatim possunt cuncti auctores a nobis in iis, quae antecedunt, adductis: *Christianus de Stavelot*, *S. Paschasius Radbertus*, *S. Bruno Astensis*, *Anselmus Laudunensis*, *Zacharias Chrysopolitanus*, &., &.—*Pseudo-Beda* locum non interpretatur, satis tamen sententiam aperit in explicando cp. XXIII, 35-36; ML 92, 101.—Neque *Walafridus Strabo* locum interpretatur, alibi tamen quid sentiat, declarat: cfr. XXIII, 36 et *S. Luc.* XI, 50; ML 114, 160, 294.—*Rhabani Mauri* commentarii, qui toti fere capiti XXIV respondent, perierunt; ejus tamen sententia ex aliis locis erui potest, v. gr. e commentariis cps. XXIII, 36; ML 107, 1075.—Similiter non pauci *Homiliarum* auctores ex illo tempore afferri possunt: *Haymo de Halberstadt* (853), *Hom* II; ML 118, 24.—*Remigius d'Auxerre* (908), *Hom.* I; ML 131, 869. —*Godofridus d'Admont* (1165), *Hom.* VII et VIII; ML 174, 54, 59.

«Tum tuba terrifico stridens clangore vocatos
Justos quadrifido mundi glomerabit ab axe», id
ita pergit:
«Praeteriet neque enim praesens generatio saecli
Donec cuncta sequens claudat sibi debita finis (1)

Semel solum Juvencus g e n e r a t i o n i s vocabulum rursus usurpat (2); alias, ubicumque graecum est γενεά, adhibet vocabula g e n s, g e n u s, p l e b s (3). Hoc posito, quum Salvatori Nostro errorem a Juvenco adscribi sit penitus absurdum; quum idem auctor Salvatoris sermonem eschatologice interpretetur, neque subtili recentiorum more partes a partibus in eodem sermone distinguat: hexametri illius explicationem adhiberi necesse est qua poetica Juvenci verba aequalium Jesu aetate non circumscribantur. Si idcirco quia Juvencus poeta est, incisum istud «praesens generatio saecli» adhibitum forte esset pro «praesentis generatio saecli» poetica quadam licentia satis communi, explicatio tunc plana verborum Juvenci redderetur: nimirum sermo esset de humano genere praesentis saeculi, prout praesens saeculum futuro saeculo opponitur quod post alterum Christi adventum existet. Quocumque tandem modo, quum nullus exstet apud Juvencum locus —hoc interim omisso de quo nunc disceptatur— ubi verbum g e n e r a t i o, vocabuli vi atque notione perpensa, aequalium Jesu aetate circumscribatur, «p r a e s e n s g e n e r a t i o saecli» bene potest valere «p r a e s e n s humanum g e n u s in mundo» prout «futuro humano generi» opponitur; quod tandem aliquando in summa ipsa valet «humanum genus hac vitae condicione», prout «humano generi alia condicione»,

(1) L. IV, 157-160; ed. *Huemer*, CV, v. 24, p. 118.
(2) L. II, 695; lc., p. 72.
(3) L. II, 700-724; l. III, 365; lc., pp. 73-74, 94.

immortali scilicet et sempiterna opponitur. E verbis quibusdam poeticis aliud elicere vix possis.

Eminentissimus Dominus Cardinalis Mercati S. Matthaei commentarios quosdam, mutilos quidem sed opportunos et utiles, anno 1903 edidit, ignoti cujusdam auctoris millenaristae qui probabiliter eos, saeculo IV ineunte, conscripsit. Quum autem versiculum nostrum exponit, haec ait: «...et ut non differri aut excusari generationi hominum diem judicii doceret, neque (sicut quibusdam videtur) timoris causa dictum, adiecit A m e n d i c o v o b i s q u i a n o n t r a n s i b i t g e n e r a t i o h a e c, id est, non deficiet generatio hominum, d o n e c h a e c o m n i a f i a n t» (1). Profecto locus hic, solitarius et ab omni rerum serie contextuque sejunctus, ita etiam praeterea consideratus ut auctoris sententiam alibi plane expressam nihil attendas, sua sponte significat non id quod catholici recentiores sentiunt, sed quod eschatologistae audacissimi volunt: nempe Christum Dominum erravisse. At quum perabsurdum sit ab hoc auctore, quod antea de Juvenco dicebamus, Christo attribui errorem, quum etiam planius quam ipse Juvencus Domini sermonem eschatologice interpretetur, imo vero alterum Salvatoris adventum ad exeuntem annum 6000 usque ab Adam (2) definite constituat, explicatione opus est qua aequalium Jesu aetate «generatio hominum» non circumscribatur. Qua in re id nobis occurrit quod ad explicationem reddendam aliquid poterit fortasse conferre.

---

(1) *Varia Sacra*, fasc. I, I *Anonymi Chiliastae in Matth. fragmenta*... in «Studi e Testi» II, Roma, 1903; III, n. 16, p. 41.—Scriptura «generatiom» (?) Ab, aut «generatium» Aa, saltem posito illius membri usu «generatio hominum» quod proxime antecedit, interpretanda eo modo videtur quem Emnus. Domnus. elegit; scilicet, quasi contractum signum existat hujus membri «generatio hominum», minime vero illius «generatio una».

(2) Lc., 11, n. 12, pp. 35-36.

Quid sollemni illa affirmatione Amen dico vobis, quia non praeteribit &. Dominus docere velit, ignotus iste auctor in duo membra dispertit: 1) «Ut non differri aut excusari generationi hominum diem iudicii doceret»; 2) «neque... timoris causa dictum, adiecit, &.». Alterius membri sententia obscura non est; scilicet, idcirco Dominus sollemnem illam affirmationem protulisset ne homines putarent alterum a se adventum cum eo terribili signorum antecedentium comitatu ut humanum genus judicaret ad terrorem dumtaxat injiciendum esse nuntiatum. Prioris membri similiter esset explorata sententia, si verbum excusari tantummodo exstaret; tunc vero ideo Dominus sollemnem illam protulisset affirmationem, ne putaretur fore tandem ut ipse ad extremum misereretur et excusaret seu impediret quominus humanum genus alterum terribilem pateretur adventum. Nunc autem illud habemus quod in uno et eodem membro una cum verbo excusari verbum quoque differri legimus. Quid igitur possit valere differri? Plane quod latine in vulgus dicitur «differri sine die»; quae forma loquendi eamdem fere vim habet quam excusari, sive modus est quo excusatio ad rem veritatemque traducitur. Tunc autem infinitio illa, quae inest in voce differri, voce consequenti, quae est excusari, definitur et tollitur; terminus autem dilationis modusque se congruenter gerendi iidem esse possunt qui sunt si ponitur rem simpliciter excusari seu evitari. Itaque, ut duplex ista falsa perniciosaque opinio stirpitus evellatur, videlicet postremum judicium ad metum dumtaxat incutiendum tam terribilibus signis portentosisque nuntiari, aut, quidquid demum futurum est, nos tandem Dei clementia et misericordia a postremo judicio libe-

ratum iri, idcirco Dominus sollemni modo affirmat sic rem certo futuram: «Amen dico vobis quia... non deficiet generatio hominum, id est, humanum genus, donec haec omnia fiant». Atqui haec una est de allatis a S. Hieronymo interpretationibus.

De reliquo, nemo nostro quidem judicio, his monumentis perpensis, adduci poterit ut credat satis esse probabile per Patrum aetatem exstitisse in Occidente qui discrepantem ausi fuerint a communi explicatione ferre sententiam, nimirum vocem γενεά «aequalium Jesu aetate» esse interpretandam. Quibus de Occidente dictis, veniamus ad Orientem.

2. In Oriente varietas major existit. Diximus initio principem de hac re post duo silentii saecula loquutum esse Origenem. Origenes autem indicare videtur jam aliquos antea scripsisse et quidem pro ea interpretatione quae vocem γενεά aetate Jesu aequalium terminat. Origenis ipsa verba graeca non exstant; latinum sic se habet: «Videamus quae sit generatio haec, de qua loquitur Christus. Et simplices quidem ad destructionem Hierusalem referunt verba; et de illa generatione aestimant dictum, quae fuit in tempore Christi et passionem eius aspexit, non transituram (1) priusquam fieret destructio civitatis illius» (2). Si Origenes his verbis factum enarrat, sequitur ut ante ipsum «simplices», christiani scilicet minus exculti, vocem γενεά de aequalium Jesu aetate interpretarentur. Itane vero est, an illud potius dicendum Origenis verba nonnihil rhetorica esse, ponereque aliquid quo magis ejus interpretatio emineat fiatque vendibilior? Imprimis horum «simplicium» interpre-

(1) Dr. Klostermann litteram *m* tollendam esse opinatur. Quare ita fieri debeat, non capimus.

(2) Ed. Klostermann, CB, v. 38 (ex Orig. Op. 11), n. 54, p. 121.

tationis nullum videtur exstare vestigium; interpretationis dicimus, quae apud fideles sive apud indoctos imperitosque fideles esset pervagata. Praeterea, indicia existunt, nisi fallimur, rem ibi poni arte quadam rhetorica ut lectoris animus in Origenis sententiam trahatur. Profecto, quum de factis sermo instituitur quae aliis argumentis vera nobis esse constat, Origenis modus atque ratio dicendi alia omnino est. Explicatio de identitate corporis mortalis et corporis resurgentis a «simplicibus» reddita, manifestum nobis praebet exemplum. Ibi allatas responsiones scimus vere fuisse datas vereque sumptas de medio; quas Origenes quum refert, non id dicit: «fortasse s i m p l i c e s hoc aut istud respondebunt», sed definite pronuntiat: « s i m p l i c e s et hoc et istud respondent» (1). Contra, nostra in re sic se gerit Origenes quasi nesciat quaenam sint responsiones: «...nescio autem si verbum ad verbum exponere possunt»; significat Origenes totum id quod a versu 2 capitis XXIV e S. Matthaeo ad versum 33 pertinet, utroque numerato. Sic autem pergit: «forsitan enim in quibusdam poterunt, in aliis autem omnino non poterunt, et satis coangustati nescio si aliquid dicere potuerint» (2). Ex altera parte Dr. Klostermann, in Origenis commentariis emendate a se editis, ut Origenis verbis lucem afferret, brevem quemdam auctoris ignoti graecum locum apposuit, cujus prima verba aut ipsius Origenis esse aut verborum illius quasi imago quaedam videntur. Atqui in isto graeco modus quidam inest loquendi notatione dignus. Origenis verba latine reddita ita sonant: «et simplices quidem ad des-

(1) *In Ps.* 1, v. 5; MG 12, 1092.—Cfr. eumdem locum in S. Epiphanii operibus emendate editis: *Panarion haer.* 64, 12; ed. *K. Holl.*, CB, v. 31, pp. 421-422.

(2) l.c.

tructionem Hierusalem referunt verba...»; contra locus graecus verbum adhibet temporis futuri, ἀνοίσουσι, (= referent), qui est modus aptissimus ad indicandum, non id quod dicitur, sed quod pro certo sumitur seu ponitur fore ut diceretur.

Tamen, fortasse ipso saeculo III, Origenis fere temporibus, saeculo quidem IV certe, deinceps vero longis intervallis, quaedam interpretationis indicia existunt quae voci γενεά tamquam aequalium Jesu aetatem significanti videntur favere. At suspecta sunt et incerta prima indiciorum initia; «simplicium» quidem interpretationes multitudinisve fidelium dici certe nequeunt; a viris quibusdam excultis iisdemque parum orthodoxis videri eas permanavisse citius dixeris.

Primum apparet indicium in arcanis heterodoxisque libris pseudo-clementinis (1). In tertia ex homiliis, S. Clementi Romano falso attributis, quum probare vult auctor Jesum Christum verum esse prophetam, tres locos adducit qui ad Hierosolymae templi excisionem pertinent. Cuncti tres loci liberius afferuntur, duo praesertim, de quibus unus nobis nunc utilis est, et affertur hoc modo: Οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, καὶ ἡ καθαίρεσις λήψεται ἀρχήν (2). Alterum membrum re vera non tam describit quam graviter palamque immutat locum. Immutatione hac posita, aequalium Jesu aetas ad vocem γενεά praeclare quadrat; proinde Jesus propheta verus apparet. At ista non sunt a Jesu dicta; Jesu vero dicta religiosissime servare ac tenere omnino necesse est.

(1) Cfr. *Aimé Puech, Histoire de la Littérature grecque chrétienne,* t. II, l. IX, ch. III, p. 639 sqq.

(2) *Hom.* 3, n. 15; MG 2, 120-121 —Hierosolymae excisionem (ἡ καθαίρεσις) nondum esse finitam, quod ruinae exstarent, apud aliquot sanctos Patres affirmatur; Cfr. *S. Cyrillum Hierosolymitanum, Cat.* XV, n. 15; MG 33, 889 et not. 3.—*S. Joannem Chr. In Matth. Hom., hom.* 75; MG 58, 685-686.

Quodam loco, a Cramer edito, cui nomen Theodori Mopsuesteni praeponitur, duae explicationes, quod antea diximus, incerta hac ratione proponuntur: Ἄλλος δέ φησι... ἄλλος δὲ πάλιν etc. De priore antea diximus. Altera explicatio vocem de aequalium Jesu aetate interpretatur. Locus est probabiliter corruptus, sententia tamen satis patet: Ἄλλος δέ πάλιν περὶ τῆς κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν γενεᾶς λέγειν αὐτόν φησιν (1). Sequuntur verba quaedam non nihil obscura, quibus id fere dicitur «fore ut aequalium Jesu aetas illa non effluxerit, usque dum id usu venerit quod est Judaeis praedictum, quo quidem (Jesus) quod est etiam de fine dictum, testatur». Itaque Theodorus Mopsuestenus, aut quicumque est auctor, quod est Judaeis praedictum, nimirum de templi excisione, id a mundi fine distinguit. Templi excisio prius illa quidem eveniet quam Salvatoris aequalium aetas evanescat atque occidat; eventus autem veritatem futurorum testabitur et comprobabit.

Similis duo post saecula apud Petrum Laodicenum apparet quasi renovata sententia. Doctus hic compositor tres primum vulgares explicationes proponit; post vero, infinita quadam praefatione τινὲς δὲ τοὺς τότε πιστούς φασι... etc. explicationem exponit ejus similem ad summam quae nomine Theodori Mopsuesteni adducitur, etsi alio quodam modo: aetas videlicet est fidelium qui sunt Salvatoris aequales; hi non prius morientur quam futuras viderint calamitates in Judaeam invadere «quas si videbitis, nolitote dubitare etiam alia usu ventura quae dixi» (2).

(1) *Caten. graec. PP. in N. T.*, t. I, *In Marc.* XIII, 32, p. 415.— Apud Migne sola describitur in Op. Theod. Mopsuesteni 1.ª explicatio; 2.ª prorsus omittitur: MG 66, 716.

(2) *In Matth* XXIV, 29-35; *Des Petrus von Laodicea Erklärung des Matthäusev.*, ed. *Heinrici*, p. 280.

Ipsa in secessione Theophylactus (1078), quum S. Matthaeum interpretatur, imprimis S. Joannis Chrysostomi, quem solet fidissime sequi, proponit interpretationem; postea novam addit in qua tum «omnia haec» ad Hierosolymae eversionem dumtaxat pertinent, tum γενεὰ «vestram apostolorum generationem» significat (1). Verum in S. Marci et S. Lucae commentariis solam S. Joannis Chrysostomi interpretationem affert; quin etiam in S. Marci commentariis proprie notat voce γενεὰ «apostolorum generationem» nequaquam intelligi (2). Denique in ipsis S. Matthaei commentariis postremo tantum loco de hac interpretatione disserit tamquam de interpretatione ab aliquibus quondam excogitata: Τίνες δὲ τὸ, ταῦτα πάντα, περὶ τῆς ἁλώσεως μόνης τῆς Ἱερουσαλὴμ ἐνόησαν (3).

Perpauca haec indicia, quorum repetunt aliqua ortum a fonte vel heterodoxo vel suspecto, probabilitati sive intestinae sive oblatae fidem non tribuunt; summum illud tantummodo ostendunt communes Sanctorum Patrum interpretationes adversus eam, quae voci γενεὰ vim aetatis aequalium Jesu subjicendam esse putat, non satis cogere neque omnibus omnino probari, quod in re tam arcana tamque difficili jam poterat praevideri; quocirca in uno aut altero aliquid remanere anxitudinis quae aliquando, longis saeculorum etiam intervallis, per quasdam significationes prodibat in publicum.

---

(1) *Enarr. in Ev. Matth.*, XXIV, 34, MG 123, 416-417.

(2) *Enarr. in Ev. Marci,* XIII, 27-31; MG 123, 641.—*Enarr. in Ev. Lucae,* XXI, 28-33; MG 123, 1057.

(3) Lc.

§ II

Factum alterum: Quid significet, tempusne an aliud, totus versus 34 e capite XXIV S. Matthaei

Aggrediamur ad aliud factum consignandum atque testandum. Adhuc de solis verbis ἡ γενεὰ αὕτη loquuti sumus, notavimusque his verbis apud S. Matthaeum, XXIV, 34, numquam fere aetatem aequalium Jesu significatam videri. Restat ut orationem totam consideremus: «Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant».

Ergo illud animadvertimus oratione hac non significari proprie tempus, vel, ut accuratius loquamur, non illud significari tempus quo apostolorum interrogationi «quando haec erunt» respondeatur. Profecto non omnes Patres id proprie affirmant; at, etiamsi non affirmant, ipsa interpretationum vis atque natura postulare id manifesto videtur. Satis fuerit allata supra testimonia percurrere, nonnulla etiam adjungere.

Itaque exempli causa, quum S. Hippolytus ait aetatem hanc esse «generationem fidelium atque justorum qui ab initio praesentiae Domini in hoc mundo exstiterint usque ad absolutionis (mundi) tempus» (1); vel quum Origenes alio quodam modo declarat aetatem hanc esse «generationem Novi Testamenti, quae est in facie Salvatoris, aut generationem Ecclesiae quae coepit ex doctrina Domini Salvatoris usque ad consummationem... sive usque ad gloriosum Christi adventum» (2), plane non pu-

---

(1) l.c.

(2) l.c., pp. 122-123.—Verba haec per universam interpretationem dissipata sunt.

tant ista interpretatione tempus ostendi quo apostolorum interrogationi «quando haec erunt?» respondeatur. Esset istud responsum inane, responsum nullum, sententia destitutum; aut si sententia inesse diceretur, sententia penitus a proposito aberraret. Origenes, qui de omnibus solet et subtiliter et copiose disserere, ne semel quidem affert vel etiam significat hanc apostolorum interrogationem in tota istius versiculi 34 interpretatione.

Quum Marcion vocem ἡ γενεὰ per verba ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, quod Tertullianus testatur (1), interpretabatur, sive in illius locum haec substituebat, profecto versum 34 tempus significari non arbitrabatur; summum fortasse totum usque ad mundi finem tempus infinita quadam ratione significari putabat, prout tempori opponebatur quod a mundi fine effluere incipiet: quod quidem ad illam apostolorum interrogationem «quando haec erunt?» manifesto nulla responsio est.

Quod Marcion, sive interpretando sive substituendo, adhibuit, id per varia Novi Testamenti in latinum conversa monumenta dispersum in Africa et dissipatum est; forte autem Marcionis vestigium quoddam in latino exstet quod nobis praebet codex Palatinus, quum vocem γενεὰ vertit per saeculum aut etiam per caelum: «...non transiet caelum istud, donique omnia perficiantur»; quae verba, ut superiora, temporis significationem excludunt quo ad apostolorum interrogationem respondeatur.

In Occidente maneamus. De S. Hilarii sententia versus 34 tempus non significat, sed est tantum sollemnis quaedam eorum omnium quae

(1) *Adv. Marcionem*, IV, 30; lc.—Cfr. notationem primam expositionis versiculi 34, § I.

praedicta sunt affirmatio ut «fides sit certa futurorum», quoniam Christi verba deficere numquam possunt: «Atque ut fides esset certa futurorum, a m e n dicendo professione veritatis, adjecit generationem nostram praeterire non posse, nisi universa ista transcurrerent; eaque quae firma existimantur, caelum videlicet et terram, non futura; verba autem sua non posse non esse» (1).

Acrius vehementiusque, si fieri potest, idem affirmat S. Ambrosius: «Interrogatus Dominus quando templi futura destructio et quod signum esset adventus, de signis docet, de tempore non putat intimandum» (2). In universa autem expositione, jucunda quidem sed nimia quasi festinatione conscripta, de tempore definito et fixo, quo ante postrema tempora evertendum sit templum atque hoc modo ad rem traducendum Salvatoris vaticinium, littera nulla invenitur. Contra, versus ille «...non praeteribit generatio haec» omnino praeteritur, quasi ad signa tempusque declarandum, utrum adesset an abesset, ne minimum quidem referret. Quin etiam, in tota expositione illud exstare et eminere potius videtur, fani excisionem, cujus tempore illa Salvatoris est eventura praedictio: «...non relinquetur lapis super lapidem», a S. Ambrosio in postremum judicium aut in postrema tempora reservari (3).

Diximus antea Origenis ac S. Hippolyti interpretatione non illud tempus ostendi quo ad apostolorum interrogationem «quando haec erunt?»

---

(1) *Comm. in Matth.*, cp. 26, n. 3; ML 9, 1057.

(2) *Exposit. Ev. Lucae*, X, 9; ed. *Schenkl*, CV, v. 32 (S. Ambr. Op. pars IV), p. 458.

(3) Lc., X, 6; lc., p 457: «...verum autem dictum est iuxta proposita de templo quod Salomon condidit, idque primum ab hoste iudicii esse tempore subvertendum». Cfr. lc., X, 36; lc., p. 468.—Similiter cogitant alii Patres, lapidem scilicet super lapidem non relictum iri —quod Salvator praedixit— postremis temporibus esse eventurum: cfr. ex. causa *S. Cyrillum Hier.*, *Cat.* XV, n. 15; MG 33, 889, et not. (3).

respondetur. Ergo idem de Maximi Doctoris interpretatione dicendum est. Ad cujus sententiam, si tempus, quod recentiores interpretes volunt, significaretur, responsio esset «...non praeteribit omne genus hominum», aut «...non praeteribit Judaeorum genus, donec omnia ista fiant» (1). Jam vero ista non est ad apostolorum interrogationem responsio, aut, si responsio, prorsus a proposito aberrat; nempe ista responsione solum communiter affirmatur fore ut humanum genus aut Judaeorum populus omnia ista contempletur. At vero istud dicere idem valet ac si ad interrogata responderetur nihil. Caveamus igitur ne tales sententias, ne dicamus ineptias, Patribus adscribamus quae statim possunt facillime refutari. Sapientiores erant majores nostri, ac praesertim singulari ratione divino afflabantur Spiritu.

Quid? Ille, qui «Aquila Doctorum» appellatur, S. Augustinus, in tanta operum copia numquid de arcano nostro loco dixit, indicavit? Profecto nihil omnino, quantum nos scimus; quod quidem luculentum est factum, suaque novitate admirationem movet. Mirum enim re vera videtur S. Augustinum numquam de loco isto disseruisse, significasse numquam. Certe, si arcano hoc loco tempus, verbi causa aequalium Jesu aetas, indicaretur, Sancto Doctori occasiones non defuissent ad significandum explicandumve etiam locum. Datur verbi gratia in epistolis ab Hesychio et S. Augustino ultro citroque conscriptis, occasio quaedam quum loci nostri significatio aliqua, etsi minime necessaria. peropportuna tamen fuisset. Confusa enim quadam et quasi pingui ratione de postremis temporibus disputat Hesychius, aitque «de temporibus cognoscendis ipsum Dominum monere». Cum alios vero, tum ex S. Marco locum I, 13 hoc

(1) *Comm. in Matth.*, l. IV, XXIV, 334; ML 26, 180.

modo affert: «Et Dominus sic praedicat ad Judaeos: Paenitentiam agite, completa sunt tempora, credite in Evangelio. Et ad Judaeos quidem recte completa dicebat quia eorum tempora post eius praedicationem et triginta et quinque vel quadraginta annos finita sunt» (1). Hierosolymae ejusque templi eversionem anno 70 perfectam his verbis significari, perspicuum est. Si versiculi 34 vocabulum γενεὰ sive generatio de Hesychii sententia aequalium Salvatoris significasset aetatem, peropportuna offerebatur occasio ad istum versiculum e S. Matthaei capite XXIV vel ex aliis synopticis afferendum; admirationem fere movet quod aliquo modo id non fecit, praesertim quia in eadem epistola magnam adducit sermonis eschatologici partem. Similiter, si versus 34 definitum aliquod tempus significavisset, praeclare convenisset Hesychii menti atque sententiae. Ex altera parte universae huic Hesychii epistolae singillatim respondet S. Augustinus, magna sententiarum interpretationumque copia. Plus etiam quam Hesychius e sermone eschatologico affert S. Augustinus, videlicet totum fere sermonem. Jam vero Sanctus Doctor identidem ad nostrum usque pervenit locum: perpetuo tamen ante ipsum consistit; versus proxime antecentes saepius adducit: illum numquam; ipsa Hesychii verba, quae supra attulimus, attingit (2): hoc tamen est contentus uno, quod Hesychii notationem probat, eam exstare magis et eminere facit, Hierosolymae eversione proprie notata; at nihil

---

(1) *S. Aureli Augustini Hippon. Epistulae, Ep.* 198, n. 3; ed. *Goldbacher,* CV, v. 57 (pars IV), pp. 237-238.

(2) *Ep.* 199, n. 12; lc., p. 254.—Tota epistola dignissima est quae legatur. Quaedam de parusia sententiae, pulcherrime cogitatae et expressae, ad aeternitatem consecratae videntur. Videre jam licet ipsius initium, n. 2 et 3, pp. 246-247.

amplius. Perpetuum hoc magnumque silentium explicationem habeat aliquam necesse est. Sanctum Augustinum, qui animo est apertissimo, ingenioque acutissimo ac subtilissimo, a nostro loco nulla data significatione declinasse constanter quod rem difficillimam perspiceret, explicatum nullum haberet, suspicari fas non est. Alia profecto multo magis digna erit ratio tanto Sancto, tanto Doctore, tam ingenuo et aperto investigatore. Haec autem simpliciter esse potuit quod S. Augustinus, simili ratione qua duo sibi optime cogniti latinorum interpretum principes, S. Hilarius et S. Hieronymus, nihil S. Matthaei loco existimabat asseri novum, sed solum quae praedixerat Salvator, sollemni quadam affirmatione, jurisjurandi instar, rursus asseri atque firmari. Quum autem S. Augustinus interpretis personam non gereret, ut universi sermonis singulos versiculos perpetua interpretatione lustraret, nihil umquam fuit cur ad eum locum ipse adiret ubi iis omnibus, quae antecedentes loci dixerant, nihil novi continebatur addendum.

Auctor «Operis imperfecti», tam novus saepe et tam fecundus, rem declarat perspicuitate magna. Post adducta verba A m e n d i c o v o b i s, n o n p r a e t e r i b i t g e n e r a t i o h a e c, d o n e c o m n i a f i a n t, cum alia tum haec affert, explanationis instar: «Et sciendum est quia non illud vult Christus apostolis suis ostendere, quia jam in continenti futura est tentatio illa, sed quia omnino futura est. Ergo non illos homines dicit qui illo in tempore fuerant nati, sed familiam gentis ipsius, &.». Paulo autem supra dixerat: «Res dubia semper facit hominem negligentem... Ne ergo audientes apostoli, certum periculum pro incerto suscipiant, et dubitantes de ejus adventu, semetipsos in negligentia ponant, ideo, sermonem suum juramento

confirmans, dicit: A m e n d i c o v o b i s, n o n t r a n s i b i t g e n e r a t i o h a e c, d o n e c o m n i a f i a n t» (1). Clarior atque certior interpretatio postulari aut desiderari vix potest.

Atqui non minore perspicuitate vir loquitur cujus longe major exstat auctoritas, S. G r e g o r i u s M a g n u s. Posteaquam versus 25-31 e S. Lucae capite XXI ratione penitus eschatologica explanavit, adjungit: «Quae omnia sub magna certitudine confirmantur, cum sententia subjungitur qua dicitur A m e n d i c o v o b i s q u i a n o n p r a e t e r i b i t g e n e r a t i o h a e c, &» (2). Nihil in his verbis, nihil in his omnibus quae consequuntur, inest quod aliam tribuat versibus 32 et 33 significationem quam eorum omnium, quae antea dicta sunt, sollemnem affirmationem. «Omnia sub magna certitudine confirmantur»: en tibi cur Salvator noster ea verba protulerit «... n o n p r a e t e r i b i t g e n e r a t i o h a e c, &.».

Neque Oriens ab Occidente dissentit. Origenem adduximus. cujus vestigia religiose persequitur E u s e b i u s C a e s a r i e n s i s (3). Ad magnum jam interpretem, S. J o a n n e m C h r y s o s t o m u m, accedamus. Ejus testimonium singulari ratione perpendi oportet. Imprimis vocabulum γενεὰ per γενεὰ τῶν πιστῶν seu Ecclesiam interpretatur. Praeterea de illius sententia toto versiculo tempus non indicatur, sed tantum sollemni quodam modo affirmatur fore ut cuncta praedicta certo sint eventura, neque tamen interitura sit Ecclesia sed invicta mansura. Ver-

(1) In S. Joannis Chr. Operibus: *In Matth. hom.* 49; MG 56, 920-921.
(2) XL *Hom. in Ev.* l. I, *Hom.* I, n. 4; ML 76, 1080.
(3) Adductis antea locis, v. gr. *Comm. in* Luc. XXI, 32; MG 24, 604.

bis illis Non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant, opinatur S. Doctor duas principes iterari sententias quas antea Salvator expresserat. Dixerat Jesus Oportet enim haec (omnia) fieri (v. 6), postea vero Praedicabitur Evangelium... (v. 14): his duabus sententiis duo etiam versiculi 34 membra respondent. Haec sunt ipsa S. Doctoris verba: «Quod enim supra dicebat, Oportet enim omnia fieri, ac rursum Praedicabitur Evangelium..., hic quoque significat dicens: Haec omnino evenient omnia, et generatio fidelium, a nullo praedictorum discissa, permanebit» (1). Manifestum est temporis cogitationem ab hac interpretatione penitus abesse, eaque id demum effici ut quod dixerat antea Salvator, sollemni modo rursus asseratur.—Novo quodam indicio idem luculenter roboratur. Paulo post antecedentem interpretationem explicat S. Doctor versum 36 De die autem illa et hora, &., demonstratque judicii diem Filio ignotum non esse. De argumentis unum est et tempora ipsa, et universa quae eventura essent, et spatium etiam temporis quod inter praedictarum rerum praesentiam et ipsum diem, quem se ignorare Dominus fatetur, futurum esset, a Christo esse

(1) *In Matth., Hom.* 77, n. 1; MG 58, 702.—Verum quidem est incipientem S. Doctorem de v. 34 disserere, id afirmare quod Dominus haec verba profert ne apostoli eodem revolvantur interrogentque *quando,* &. Id tamen non significat solo versu 34 velle Dominum quod intendit assequi. Nempe quod intendebat, volebat Dominus assequi iis omnibus quae usque a v. 34 consequebantur, praesertim versu 36; ad haec autem universa respicit S. Joannes Chr. Secus, manifesta esset insania dicere solo v. 34, ut a S. Chrysostomo explicatur, voluisse Dominum efficere ne apostoli cito redirent ad interrogandum *quando,* &. Hoc enim versu, quo modo a S. Doctore explicatur, nihil quod ad tempus attinet seu ad *quando,* respondetur; quapropter apostolorum curiositas eamque subsequens interrogatio eadem quae erant antea, perseverare debebant.

indicata. Quod ut probet, ad eos versus respicit S. Doctor qui versum 34 antecedunt, praecipue ad versum 33, ubi parabola de ficu continetur; at versum 34 magno praetervehitur silentio: indicio ergo id est, nihil S. Doctoris judicio de tempore eo versu contineri (1).

Neque Titus Bostrensis, S. Joannem Chrysostomum paululum aetate antecedens, neque S. Cyrillus Alexandrinus aetate posterior, quum in S. Lucae commentariis (2) eos versus, qui S. Matthaeo respondent, interpretantur, verbum ullum de tempore faciunt; tametsi verum est e solis mutilis quibusdam difficiliter et vix tuto argui.

Graecum illum auctoris ignoti locum, a Doctore Klostermann adhibitum ut Origenis interpretationi de 34 S. Matthaei versu lucem afferret, diximus, si prior ejus pars consideratur, aut ipsius Origenis esse, aut verborum illius imaginem quamdam videri. Adjungamus nunc in altera parte nihil paene fieri nisi S. Joannis Chrysostomi interpretationem ad verbum fere describi; porro S. Joannis Chrysostomi interpretatione vidimus non tempus significari, sed cuncta a Salvatore praedicta sollemni quodam modo rursus asseri atque firmari. Scribebat S. Joannes Chrysostomus de versu 34 interpretationis instar: «...πάντως ἐκβήσεται ταῦτα πάντα, καὶ μενεῖ ἡ γενεὰ τῶν

(1) Lc., n. 2; cols. 703-704.

(2) In iis quae de utroque auctore descripsimus. Quidam Titi Bostrensis loci, quos quidem examinavimus, nihil aliud nisi ex S. Joannis Chr. Sanctique Cyrilli Alex. quasi congestis verbis compositum opus videntur. Si de S. Cyrillo Alex. sermo tantum esset, nihil miraremur quod *scriptor*, ut est S. Cyrillus, Titi Bostrensis verba describeret. Verum mirabile nobis est quod id faciat orator, atque orator apertissimus et uberrimus qualis est S. Joannes Chr. Quare dubitamus an quidam Tito Bostr. adscripti loci, possint re vera illi attribui; citius dixerimus eos auctoris potius videri qui S. Joanne Chr sit aetate posterior.

πιστῶν (1). Ignotus iste auctor haec eadem verba iterat, solum vero pro ταῦτα πάντα immutat: τὰ εἰρημένα (2).

Procopio Gazaeo praetermisso cujus insana fere esset interpretatio nisi in ea id demum affirmaretur fore ut quaecumque praedixisset Dominus, evenirent (3), Petrum Laodicenum commemoremus a quo supra jam diximus quatuor explicationes proponi. Tres priores asserunt vocabulo γενεὰ aut fidelium generationem malorumve communitatem ab initio ad finem usque, aut humanum genus designari (4). Triplex interpretandi forma, nisi affirmatio quaedam esset, omni prorsus significatione apta careret. Hac eadem vi atque sententia doctus interpres atque compositor triplicem interpretandi formam exponit; quin etiam praeponit, tamquam ingressionem, membrum quoddam in quo id solum premitur fore ut haec omnia usu veniant, fore etiam ut ea contempletur «generatio haec», at «generatio haec» secundum eam vim atque notionem, ut aequum est, quam continuo exponit (5).

Hactenus de Patrum aetate, quod nobis unum investigandum proposueramus, satis diximus neque aliud habemus addendum. Deinceps, tempore etiam secessionis ab Occidente, Oriens de antiquitate vivit, praesertim de S. Joanne Chrysostomo (6). In Occidente autem, si allatis auc-

(1) Lc., col. 702.

(2) Ed. *Klostermann*, lc., p. 121.

(3) «...patet generationem dici totum illud tempus quod a Christi adventu extenditur usque ad consummationem»: *Comm. in Exod.*, XX, 5; MG 87 (1), 611-612.

(4) Ed. *Heinrici*, lc., pp. 279-280.—In quibusdam *Scholiis Veteribus in Matth.* a *Mai* editis atque iterum a *Migne*, ignotus interpres primam atque tertiam e tribus Petri L. explicationibus exponit. Paucis quibusdam exceptis, verbum e verbo describitur. Cfr. MG 106, 1153.

(5) Lc., p. 279, 16-18.

(6) Cfr. commentarios saepe a nobis adductos *Theophylacti*, *Euthymii*, *Bar Salibi*, &.

toribus S. Bedam et Peudo-Bedam adjunxerimus, fontes ostenderimus unde Aetatis Mediae interpretes affluenter hauserunt (1). Quibus omnibus, iis etiam qui postea floruerunt praetermissis, exceptionis instar Angelicum Doctorem commemorare libet qui in Catena Aurea clarissima Patrum testimonia profert, Origenis locum adducit in quo «simplicium» interpretatio proprie rejicitur, e tribus autem Theophylacti commentariis S. Marci commentarium ad nostrum locum illustrandum seligit, in quo Theophylactus vocem γενεὰ per «apostolorum generationem» explicari proprie negat (2). Producere tandem liceat duos alios clarissimos testes, alterum universae Ecclesiae Doctorem, S. Robertum Bellarmino, alterum in Hispania praesertim et Portugallia scriptorem notissimum, V. P. Ludovicum Granatensem.

S. Robertus Bellarmino in concione quadam, simpliciter ac sua sponte, quasi interpretationem afferret vulgarem ac traditione consecratam, ita loquitur: «Quocirca liberator et assertor noster Christus, cum aliquando de hac die (Judicii) coram discipulis suis disseruisset, intelligeretque ea. quae dixerat, pene vincere hominum fidem, quasi jusjurandum interponens ait: Amen dico vobis quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant. Caelum et ter-

(1) Sunt iidem auctores quos saepe attulimus. Adjungamus novum aliquem vel minus frequentatum scriptorem : Abbatem benedictinum *Smaragdum* (c. 830), *Collect. in epist. et evang., Dom.* II *Adv., ev. Luc.*, cp. XXI ; ML 102, 519.—*Remigium Antisiodorensem* (*d'Auxerre*) (c. 908), *Hom.* XII, *Hom.* I ; ML 131, 869.—*Radulfum Ardentem* (s. XII), *Hom in Ep. et Ev. Dominic.*, pars I, Hom IV ; ML 155, 1678.

(2) *In Matth. Ev.*, cp. XXIV ; *Opera Omnia*, ed. Parma, v. 11, pp. 279-280.—*In Marc. Ev.*, cp. XII ; lc., p. 417.—*In Luc. Ev.*, cp. XXI ; lc., v. 12, pp. 222-223.

ra transibunt, verba autem mea non praeteribunt» (1).—Eodem tenore, eademque facilitate, quasi explicationem afferrat usu et vetustate contritam, scribit semel atque iterum V. Ludovicus Granatensis. Exempli causa exponit in oratione ab eodem latine conscripta, postremi judicii signa, qua expositione absoluta, continuo haec addit: «Quia vero adeo tremenda et horrifica erant quae de hoc futuro judicio dixerat ut vix hominibus credibilia viderentur, adjecit tandem: Amen dico vobis, non praeteribit generatio haec donec omnia fiant. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (2).

Ut ergo brevi comprehendamus, scriptorum idem ad unum sententium videtur in re ipsa et ad summam perfecta esse consensio usque ad Tostatum (3), qui acceptam traditione interpretationem de industria impugnavit, constituitque suam, nimirum generationis vocabulo aequalium Jesu aetatem designari et os-

---

(1) *Opera Omnia, t. IX, ed. Vivès*, Concio II, *de extremo judicio*, p. 425.

(2) *Primus tomus Concionum de tempore, quae a prima Dominica Adventus usque ad Quadragesimae initium in Ecclesia haberi solent.* Auctore *R. P. F. Ludovico Granatensi*, Sac. Theol Prof. monacho Dominicano. Valentiae Hedetanorum, 1766.—*Dominica II Adventus, Concio secunda*, p. 73.—In concione vero prima, postquam de postremo etiam judicio loquutus est, haec addit: «...Hanc enim veritatem ipsa Veritas in hujus Evangelii fine confirmavit, cum ait: *Amen dico vobis, non praterebit generatio haec, donec omnia fiant*, &.» Lc., *Conc. prima*, p. 69.

(3) Non putamus *S. Albertum* M. adduci posse, qui in Sanctorum Matthaei et Marci commentarios acceptas inducit traditione sentias. At crediderit fortasse quispiam in S. Lucae conmmentariis eam indicari explicationem quae vocem *generationis* per aequalium Jesu aetatem interpretatur. Haec autem sunt illius verba: «Quia praedixerat futura in tempus longum, consolatur suos dicens quod, quantum ad prima destructionis Judaeae signa, *non praeteribit generatio haec*, scilicet Judaeorum... Haec tamen non praeteribit a regno Judaeae, *donec omnia fiant* super eos quae dicta sunt. Et postea ducentur quidam eorum in captivitatem, &... Secunda

tendi. S u a m dicimus, quia fortasse prima vox, pro ista interpretatione in Occidente missa, vox fuit notissimi istius auctoris Tostati (1). In Tostato autem constitisse neque ullam nisi multa post tempora imaginem significationemque videtur habuisse; nam usque ad saeculum XVI nullos novimus orthodoxos auctores qui pro Tostati interpretatione propugnent (2). At a saeculo XVI haec interpretatio, multiplici formarum genere, plures in dies adepta est patronos, praesertim a saeculo XVIII; nostris autem temporibus illustri fama celebratur, a suis etiam patronis strenue defenditur, quippe existimantibus se id quod maxime planum est tueri. Quin etiam est qui acceptas traditione interpretationes vana effugia (é c h a p p a t o i r e) esse pronuntiet, aut qui eas, tamquam parum scientiae monumentis testatas, immo

---

generatio est successio mortalium in mundo, quae etiam non transibit donec fiant signa destructionis mundi praedicta... Tertia generatio est generatio fidelium, &.»: *In Ev. Lucae,* XXI, 32: *Opera Omnia,* ed. *Borgnet,* v. 23, p. 649a —Nisi quid nos fallit, haec S. Alberti M. interpretatio videtur potius adumbratio quaedam seu anticipatio illius quam postea exposuit Franciscus Lucas Brugensis, quem suo loco commemorabimus, de cujus sententia *generationis* voci duplex simul significatio subjicitur; propterea «omnia haec» eodem modo eam vim habent quae duabus illis significationibus respondeat.

---

(1) *Alphonsi Tostati... Comm. in Sextam Partem Matthaei,* XXIV; q. 197; ed. Venetiis, 1596, fols. 309v-310.

(2) Illustrem aliquem e suis asseclis nominemus: *Benedicti Ariae Montani elucidationes in quatuor Evangelia...*; XXIV *sec. Matth.,* v. 34, e, p. 87; ed. Antuerpiae, 1575.—*Joannis Marianae e Soc. Jesu scholia in V. et in N. T.; in Ev. Luc.* XXI, 32, p. 780b; ed. Parisiis, 1620.—Digna est quae notetur nova *Francisci Lucae Brugensis* interpretatio, qui utramque explicationem tum S. Chrysostomi tum eam quae voce γενεὰ aequalinm Jesu aetatem significari asserit, in unum redigit; nam de ipsius sententia Christus ambiguo quodam et infinito vocabulo plura *simul* significare voluit: *In sacrosuncta quatuor J. Xti. Ev. Francisci Lucae Brugensis... Comm.*; *Ev. sec. Matth.,* XXIV, 34; Antuerpiae, 1606, p. 402.—*R. P. D. Augustini Calmet... Comm. litteralis in omnes libros V. et N. T.;* latine editus a *J. D. Mansi,* t. 7, *in Ev. S. Matth.,* XXIV, 34; Augustae

et sapientiae inanes, sine misericordia a templo scientiae exterminandas putet (1).

Recentiorum quorumdam considerata hac opinandi fixa et stabilita ratione, oportunum ducimus, antequam in totum S. Matthaei caput XXIV interpretandum ingredimur, in versu 34 Non praeteribit generatio haec, &., diutius commorari atque nonnullas notationes exponere quae ad ipsam interpretationem tamquam aditus sint et ingressio.

§ III

Notationes aliquot de significatione verborum

Quaecumque nunc breviter summatimque dicemus, iis nihil aliud efficere volumus nisi ut probemus verbis γενεὰ αὕτη apud S. Matthaeum XXIV, 34, aliam posse subjici rectam germanamque notionem quae tempus proprie non sonet.

Recte quidem R. P. Grandmaison, quum investigare orditur quid apud S. Matthaeum

---

Vindelicorum, 1760, p. 232. Calmet, adhibita notatione, 8 fere auctores adducit pro eadem opinione, qui omnes paene sunt heterodoxi. Id autem memoriam nobis refert illorum verborum quae severissima scripsit Maldonatus: «Recentiores haereticorum interpretes, et nonnulli etiam Catholici, qui nimis eos avide sequi solent, aetatem exponunt, quasi sensus sit, antequam aetas illa hominum, qui tunc vivebant, praeteriret, futuram Ierosolymitanam vastationem». Rem vero claudit hac affirmatione: «Quare qui pro generatione aetatem transtulerunt, iniuriam fecere sententiae»: *Joannis Maldonati... comm. in quattuor Ev.* t. 1... Mussiponti, 1596, col. 554.

---

(1) Ne rem augere videamur, audiamus quae scribit *Card. Billot* in longa de nostri loci vi disputatione: «Commençons d'abord par concéder hardiment que le mot *generatio haec*, ἡ γενεὰ αὕτη, signifie bien, au sens naturel et obvie, l'époque des contemporains de Jésus... *Aucun doute ne semble possible à cet égard.* Il est vrai que plusieurs interpretes ont cru ne pouvoir sortir autrement d'affaire, qu'en donnant au mot γενεὰ le sens de posterité, de descendance, de race..., &.»; sed, si hac ratione difficile quid-

XXIV, 34, vox γενεὰ valeat, haec notat: «On ne peut donc débouter, par voie philologique, ceux des Pères anciens ou des exégètes modernes qui ont entendu l'expression dans notre passage: ou de la communauté des croyants, considérés comme une race, une famille spirituelle...; ou de la race humaine en général, de l'humanité...; ou de la race juive, prise d'ensemble...» (1). Et re vera, si philologiae tantum viam ingrederemur, et quid vox, sua natura suaque sponte, valeat seu valere possit, dumtaxat perscrutaremur, nihil omnino loci disputationi daretur, si quidem plane certum est vocabulo γενεὰ non solum temporis notionem, sed etiam eodem vel meliore jure eam posse vulgo subjici notionem qua designetur «communitas quae originem habeat communem». Quapropter vocabulum γενεὰ communi quodam usu atque more significare potest genus, gentem, familiam, nationem, populum, similia (2).

Ad alias igitur rationes confugere necesse est, sive ex rerum contextu, sive ex peculiari modo sumptas quo in Evangeliis vel communiter in Novo Testamento vox γενεὰ solita est usurpari. Eas P. Grandmaison moderate, omissa vi clamoribusque importunis, exponit et firmat.

Prima esse potest notatio quaedam qua nixus idem Pater ad duas proponendas rationes aggre-

---

dam declinatur, id est solum ut in aliud incidamus «incomparablement plus grave, ou pour mieux dire, *de tous points inextricable.—En effet pareille interprétation du texte évangélique défie toute créance, et se presente comme entièrement inadmissible* »: *La Parousie*, art. deuxième, ed 2.ª, pp. 39-42.—Interpretes tanta severitate reprehensi Sancti Patres sunt et ipse S. Thomas. Ne quid nimis!

---

(1) *Jésus Christ*, II, 458.

(2) Illustravit bene hanc rem *P. Prat* apud *Recherches de science religieuse*, t. XVII, *Cette génération*, p. 316, sqq.

ditur. Nempe, de illius sententia, Patrum quidem interpretatio, quacumque demum forma adhibetur, «coupe la difficulté par la racine. Il est manifeste en effet que, ainsi comprise, la parole de Jésus ne peut plus provoquer d'étonnement. Mais le fait seul qu'elle en a tant provoqué, et depuis si longtemps, doit faire craindre que cette voie, si aisée, ne soit pas la plus sûre.—Pour mon compte, je ne pense pas pouvoir la suivre» (1).

His, quae adhuc diximus, positis, responsio sua vi suaque sponte succurrit nec uberioris indiget explicationis. Admirationem istam, quae Reverendum Patrem adeo sollicitat, Sancti Patres experti non sunt, ne Patres quidem graeci qui omnium maxime nosse poterant quid valeat graeca locutio. Immo, paucis quibusdam exceptis, ejusmodi admiratio satis est aetate posterior, recentique fere memoria maxime propagata est.

Quibus autem argumentis nititur admiratio ista? Duo affert P. Grandmaison.

1) In graeco Evangeliorum sermone «il est difficile de nier que, dans beaucoup de cas, ce sens ne s'impose; et que, dans la plupart des autres, il est le plus naturel... Les épithètes qui sont données à cette génération, et la stigmatisent par comparaison avec d'autres générations d'hommes, semblent décisives en ce sens» (2). Tamquam exempla manifesta proponuntur imprimis: apud S. Matthaeum, XI, 16 sqq.; XII, 39 sqq.; XVII, 17; simul cum locis qui ex S. Marco et S. Luca iis respondent.

Hoc argumentum, a multis frequentatum, non

---

(1) I.c.

(2) Lc.—Firmitate etiam magna scribit Card. Billot: «...En second lieu, l'expression γενεὰ αὕτη revient jusqu'à seize autres fois dans les évangiles... et toujours, constamment, invariablement, elle signifie la génération qui fut favorisée de la présence, des enseignements et des miracles de Jésus...»: *La Parousie*, lc.

tamen semper debita moderatione et, quae sapientem deceat, vigilantia et cautione propositum, difficile semper nobis visum est ad intelligendum. Enimvero pro nostra parte illud potius mobile et caducum judicamus, totumque ambiguo niti. Profecto aliud est, ut scholae verbis utamur, vocis alicujus significatio formalis, aliud omnino materialis seu realis ejus acceptio. Exemplo rem illustrabimus. Si quis scribit: «Hispana natio seu populus hispanus turbulentissima nunc, qualem numquam fere subiit toto historiae suae cursu, tempestate jactatur», verborum «natio hispana, populus hispanus» materialis acceptio hispanos, qui nunc vivunt, sine ulla dubitatione designat. Verum formalis significatio hispanis istis manifesto non circumscribitur; «populus hispanus, natio hispana» vi notioneque vocabulorum propria «magnam illam communitatem significare perseverat hispanorum praesentium, praeteritorum, futurorum qui certis quibusdam naturae morumque vinculis, quibus ab aliis hominum communitatibus internoscuntur, inter se copulantur, copulati copulandive sunt. Et tamen nihilominus vix potest illustrior apponi nota, et quae magis insignes faciat vivos et praesentes hispanos par comparaison avec d'autres générations d'hommes, hispanorum videlicet. Atqui eadem prorsus ratione argumentari possumus in omnibus vocis γενεά exemplis, tum e Sanctis Evangeliis tum etiam e toto Novo Testamento depromptis. Nullum, nullum prorsus exstat exemplum, in quo vocabulum γενεά definitam —quod apud auctores profanos usu venit— postulet temporis notionem. Quinquies et vicies fere vox γενεά numero singulari in Evangeliis usurpatur. Jam vero, praetermisso exemplo de quo nunc disceptatur, in cetera exempla princeps ali-

qua inducatur notio, velut gens, natio, populus..., et plena habebitur perfectaque sententia. Unum id continget quod sive rerum contextus. sive reliqua locutionis elementa ipsam praesentem aequalium Jesu Judaeorum aetatem circumscribent tamquam id in quo veritas orationis reapse obtinetur; proinde vocabuli γενεὰ acceptio materialis erit sane praesens Judaeorum aetas: eodem prorsus modo quo in superiore exemplo appositum illud «...turbulentissima nunc tempestate jactatur &.» praesentem hispanorum aetatem demonstrat tamquam materiam in qua reapse id obtinetur et evenit quod ipsa «populi nationisve hispanae» formalis significatio sua vi naturaque quasi infinitum relinquat, aut tale quod in aliis quoque aetatibus possit evenire.

2) Alterum argumentum omnem a verbo γενεὰ removere vult vim atque notionem quae tempus non sonet, sive quod secus integra oratio vacua esset et inanis, sive quod cum integro rerum contextu, immo cum verbis illis οὐ μὴ παρέλθῃ, quippe tempus postulantibus, non satis cohaereret.

Sed ad hoc argumentum definita responsio nulla potest esse alia nisi interpretatio ipsa quam suo tempore afferemus, profecto non a nobis excogitata, sed a majoribus nostris sancte ac religiose accepta. Verba autem illa οὐ μὴ παρέλθῃ quod aliquid temporis sonant, libenter damus; at quod ista temporis notio ea est qua proprie ad apostolorum de tempore interrogationem respondeatur, profecto longe diversa est quaestio, quam alio enucleandam reservamus. Unum interea dicimus, si quis istud affirmaret ipsius dumtaxat locutionis vi naturaque ductus —quod quidem non facit cautus semper ac moderatus P. Grandmaison—, rem mani-

festo falsam assereret, neque grammaticae neque scientiae regulis fultam. Certe nihil nobis causae ad istiusmodi affirmationem proponendam tuendamque potest vel conantibus occurrere.

PARS ALTERA

Ipsa interpretatio

§ I

Ingressio

Factis quibusdam stabilitis et fixis, quorum oportuno tempore ratio erit nobis habenda, aggrediamur jam necesse est ad ipsam capitis XXIV e S. Matthaeo proponendam interpretationem, sic tamen ut lineamenta dumtaxat extrema formemus viamque ostendamus quam inire oportet, vel saltem inire possumus ad interpretationem melius intelligendam. Quo majori cum perspicuitate procedamus, primum, S. Luca, quantum fieri poterit, praetermisso, S. Matthaei locum in se ipsum considerabimus; deinde utrumque evangelistam conferemus, ut eorum videamus conciliationem atque concordantiam. De S. Matthaei concordia cum S. Marco, nihil potest obscurum atque difficile afferri.

Si minuta praeterimus, varia interpretationum genera possunt hac ratione proponi: Sunt interpretes quorum judicio in tota Salvatoris responsione nihil agitur nisi mundi finis; itaque interpretes isti neque Hierosolymae neque templi eversionis tempus ullo modo significatum opinantur. Sunt qui, ut verbis utamur R. P. Durand, «voient ici deux prophéties successives; la première concernant la fin du monde juif, et la seconde ayant trait à la fin du monde. D'autres estiment que d'un bout à l'autre Jésus prédit les deux événe-

ments à la fois, parce que l'un est la figure de l'autre. Enfin, il en est qui préfèrent dire que la prophétie a des objets distincts, mais entremêlés; et de telle manière qu'il est souvent impossible de marquer avec certitude si tel ou tel trait concerne la ruine de Jérusalem, plutôt que la fin du monde» (1).

1. Materia. — Ut sensim pedetentimque progrediamur, primum quaenam sit eschatologici sermonis quasi materia definire oportet. Itaque Jesus in responsione ad apostolos universe considerata, de solone mundi fine loquitur, an aliquo etiam modo ad Hierosolymae templique excisionis tempora respicit, si partem saltem responsionis attendimus? In postremum nos quidem ob has causas inclinamus. 1.[a]) Quia ex S. Luca sine ulla dubitatione certoque scimus Dominum nostrum, quum ad apostolorum interrogationes respondit, de Hierosolymae obsidione ac desolatione loquutum esse. Quapropter, quamdiu solidis expressisque argumentis contrarium non constabit, planius atque sapientius jure videbitur apud S. Matthaeum etiam aliqua ratione sermonem esse de Hierosolymae eversionis tempore, eo magis quod una ex apostolorum interrogationibus, a tribus synopticis tradita, templi eversionem proprie attingit, modusque ipse, quo responsio fluit, est paene idem aut certe simillimus; immo eadem sunt identidem ipsa verba, ne iis quidem exceptis quibus S. Lucas Hierosolymae obsidionis describit effectum (1). — 2.[a]) Quia Patrum atque scriptorum qui ita sentiunt, antiquorum recentiorumve, magna est copia; tutius vero judicamus ab hac clarissimis tantorum scriptorum monumentis testata consignataque sententia non recedere,

(1) *Év s. S. Matth.*, in «Verbum Salutis», I, p. 382.

cui etiam primus saltem motus favere videtur quem animo affert totius evangelici loci apud tres synopticos lectio, ducto principio ab illis Salvatoris verbis, quae apud tres etiam synopticos exstant, quibus nuntiatur fore ut «non relinquatur hic (in templo) lapis super lapidem qui non destruatur».

II. Intestina materiae dispositio. — Dato et perfecto Salvatoris responsum, sive totum sive ex parte, non tantum ad postrema tempora sed ad Hierosolymae etiam excisionem respicere, necessarium est in alia re difficiliori eligere et tenere sententiam, nempe in re quae pertinet ad eam dispositionem qua totus eschatologicus sermo in variis membris atque partibus compactus et coagmentatus est.

Jam vero, quidquid est utrum ex hac re difficilia et obscura ad interpretandum oriantur necne, id omnino eligimus et probamus quod maxime congruens maximeque perspicum, immo, audemus fere dicere, quod unum perspicuum planumque videtur, scilicet Jesu responsione totum quoddam effici compactum, in quo omnia incisa et membra conjunctionibus vinciuntur causam tempusve generatim notantibus, quae minime patiuntur arcte nexam compositamque orationem paene dissolvi, atque partim ad Hierosolymae eversionem, partim ad postrema tempora trahi. Vix ullum scriptorem difficultas tenet concedendi arctam hanc compositionem in prima quasi parte inesse responsionis, a versu scilicet 4 S. Matthaei ad 14, quae pars tempus comprehendit quod recte appellare possumus seductionis et vexationis tempus finem antecedens. Verum in reliquis mira est discrepantia, quum tamen orationis compositio arctior in eis esse videatur. Proposita enim in versu 15 «abominatione desolationis», reliquum orationis ad illam respicit atque hoc

modo exponitur: «Quum ergo videritis abominationem desolationis... tunc qui in Judaea sunt fugiant ad montes... Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus... Erit enim tunc tribulatio magna... Tunc si quis vobis dixerit... Surgent enim pseudochristi... Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et tunc parebit signum Filii hominis...» &. Violentum videtur totum hoc compactum velle dissolvere, et junctiones artificiosas transitionesve nihil in ipsam sententiam influentes id appellare quod in quacumque alia re, ubi in tot tantasque salebras non putaremus incidere, intestina vincula et colligationes sponte vocaremus, quae ipsas inter se nectunt cogitationes sententiarumque cursum intimum ordinemque demonstrant.

Ob hanc causam nos universam interpretationem ad hujus legis normam dirigemus qua intima totius orationis structura et compago, in Salvatoris responsione primo saltem aspectu perspicue eminens, simpliciter et plane retineatur.

III. Universorum prospectus. — Infinita quadam ratione dici potest universa sub unico prospectu proponi, qui modo interminatus et quasi immensus, modo definite et plane eschatologicus videtur, in quo illud, quo cuncta conveniunt, ipsa est parusia seu temporum finis et absolutio mundi.

Imprimis ita interrogant apostoli ut templi excisionem in id temporis includere videantur, quum «adventus Domini et consummatio saeculi» evenient: hoc autem tempus eschatologicum est, saltem ob illa verba «consummatio saeculi» (1).

---

(1) Satis liquere non videtur qua ratione conjungerent apostoli alterius adventus Christi tempus cum ipso mundi fine: a) utrum alterum ab altero distinguerent (quod exempli causa millenaristae faciunt) — b), an efficerent unum ex illis morali saltem modo (=adven-

«Dic nobis, interrogant, quando haec erunt? et quod signum adventus tui et consummationis saeculi?» (1). Apposite ad haec verba illustranda notat R. P. Lebreton: «Immédiatement leur question se porte sur la parousie et la fin des temps. Une catastrophe comme la ruine du temple ne leur apparaît que dans la perspective du dernier jour; et dans sa réponse, Jésus unira en effet les deux groupes de faits: Jérusalem et le lieu saint disparaissant dans une terrible catastrophe et le

---

tus tui et consummationis saeculi» quae tunc eventura est). Quidquid est, modus quo apud S. Marcum altera interrogatio formatur: τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα «συντελεῖσθαι» πάντα; indicat Hierosolymae eversionem, de apostolorum sententia, tempore «consummationis saeculi» eventuram; proinde ab apostolis Hierosolymae eversionem in «saeculi consummationem» seu in postrema tempora includi, perspicique prospectu *eschatologico*. Cfr. *Beda Rigaux O. F. M., L'Antéchrist...*, part. 2.ª, cp. I, p. 299, not. 5.

Dixerit fortasse quispiam apud S. Marcum de signo quaeri «consummationis» Hierosolymae, *non* autem de «consummatione saeculi». Verum, si ita se res haberet, a) Jesu responsum ultra quam interrogatum esset, progrederetur; —b) S. Matthaeus alteram e S. Marci interrogationibus omisisset, vicissimque hic alteram e S. Matthaei.

At, quum apud Sanctos Matthaeum et Marcum Salvatoris responsio *eadem* omnino sit, melius videtur magisque planum et simplex tenere: 1) alteram apud Sanctos Matthaeum et Marcum interrogationem *eamdem* et *unam* esse, eamque solum haberi differentiam quod S. Marcus generatim et confuse proponit quae S. Matthaeus enucleate distincteque tradit; —2) proinde Hierosolymae excisionem, de apostolorum sententia, in «consummatione mundi» eventuram (S. Mc.);—3) alterum praeterea Christi adventum hoc eodem tempore futurum (S. Mc.). Secus certa quaedam apostolorum interrogatio, et magni quidem momenti, tradita esset a S. Matthaeo, prorsus vero a S. Marco praetermissa, quum tamen S. Marcus Christi responsum totumque Christi responsum, eodem fere modo quo S. Matthaeus, exponat.

Rem notare volumus hoc loco, etsi minutam, notatione tamen non indignam, quae simul etiam indicat quam essent antiquorum animi eschatologica sententia imbuti. Discipulorum interrogatio, prout ab ipso S. Luca proponitur, «Quando haec erunt, et quod signum cum fieri incipient?, in codice D convertitur in eam quae eschatologicum quiddam manifesto sonat.

---

(1) *S. Matth.*, XXIV, 3.

monde entier s'abîmant, à la fin des siècles, dans un suprême cataclysme» (1).

Ipsum etiam Christi responsum, prout a S. Matthaeo et S. Marco traditur, non modo prospectum exhibere videtur unicum, verum etiam templi eversionem a mundi fine, quod ad tempus attinet, distinguere non videtur; non quod utrumque eventum in idem tempus verbis conceptis includat et quasi eumdem tempore efficiat, sed quia duos istos eventus tempore non distinguit, immo vero tali eos modo proponit ut ad idem tempus pertinere posse videantur.

Hujus rei argumentum ipsa erit interpretatio quam nunc audemus adumbrare. Quod si quis iis, quae modo dicta sunt, nimis movetur et admiratione percellitur, exponat nobis simpliciter et aperte an putet, solis evolvendis S. Matthaei Sanctique Marci Evangeliis, nullo admoto historiae lumine, facile esse, immo vero an putet futurum fuisse ut nobis occurreret templi eversionem, ad tempus quod attinet, a postrema calamitate disjungere (2). At disjunctissima esse docet historia. Quapropter interpretationem proponere necesse est quae tum historica facta omnino immutata retineat, tum maxima fidelitate servet quod monumenta sua sponte suaque vi postulant: intimam dicimus totius responsi compactionem unicumque prospectum.

§ II
Interpretatio

Majoris perspicuitatis causa, totius loci interpretationem in tria quasi membra sive puncta distribuere possumus. Primum versus 4-14, alterum

(1) *La Vie et l'Enseignement de Jésus Christ N. S.*, t. II, part. 2.ª, cp. V, § 7, p. 200.
(2) Sapienter id, ut plura alia, R. P. *Beda Rigaux* animadvertit : *L'Antéchrist*, lc., p. 224, not. 3.

versus 15-28, tertium denique versus 29-36 comprehendet.

Punctum primum: Vers. 4-14

Indicavimus supra nemini fere difficile videri hos versus, tamquam totum quoddam compactum, considerare, quamvis dicrepantia sit in ea re constituenda quo cuncti conveniant eventus hac prima responsionis parte descripti. Fortunate nobis contingit ut hac in re dissensiones secundariae esse videantur, si cum iis, quae ad reliquos versus pertinent usque ab ipsa «abominatione desolationis» versu 15 expressa, conferantur. Eas igitur minime urgebimus.

Sunt quidem nonnulli qui versus 4-14 ad tempus Hierosolymae excisionem antecedens pertinere arbitrantur, sive ad hoc solum sive, etsi non eadem vi eodemque gradu, ad hoc atque ad illud etiam tempus quod saeculorum fini antecedet (1). Quod ad nos attinet, utinam ita esset; profecto diu multumque conati sumus monumentis adductis eam interpretationem munire quae istos versus ad antecedentia Hierosolymae excisionem tempora doceat pertinere. Omnis autem conatus noster versibus 9-12 S. Matthaei (2) fractus est, praesertim versu 12, cujus haec sunt verba: καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν, ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν. Horum versiculorum veritatem aliquam in historia invenire non possumus. Unum apud Tacitum (3) occurrit indicium; eo autem solo jus tantum est aliquot apud christianos apostasias proditionesque communiter et generatim notare. Quod vero gravius est, de aucta iniquitate,

(1) Cfr. *Dieckmann, De Ecclesia,* tract. I, cp. II, q. I, n. 118, ubi aliquot pro excludente interpretatione scriptores recentes adducit.
(2) Cfr. *S. Marcum* XIII, 12 et *S. Matthaeum* X, 21.
(3) *Kirch, Ench. font. eccl. ant.,* n. 34.

de frigente apud christianorum multitudinem caritate, monumentum et indicium reperire possumus nullum (1).

Ergo hanc viam parum tutam parumque aptam jure ac merito dixeris. Multo magis planum atque tutum est primam responsionis partem ita respicere ut series existat consiliorum monitorumque quibus Jesus eventus quosdam a signorum genere secernit (2). Eventus hi —velut pseudochristorum ae pseudoprophetarum adventus, orientes quaedam calamitates vexationesque, earumque vis et effectus, ipsum etiam Evangelium ἐν ὅλῃ τῇ

(1) Non pauci auctores, recentiores etiam et cauti, versum 12 hac ratione interpretantur: «Et quia abundavit iniquitas, refrigescet caritas *multorum*, id est, *magnae cujusdam partis*» (hispane =*de un gran número*). Forte hoc modo contendunt ut accommodandi versiculi 12 ad antecedentes Hierosolymae eversionem annos minuant difficultatem. At, etiamsi hujusmodi interpretatio recta et accurata esset, tamen ne isto quidem modo *historicum* aliquod illius firmamentum possumus invenire. R. P. Lagrange, eo quo solet aperto sinceroque judicio, rem expendit atque ita ratiocinatur: «Mais ce qui s'est passé sous Dèce, époque connue, nous permet de penser qu'il en fú de même dès le début»: *Ev. selon S. Matth.*, ed. 4.ª, p. 461.—Ponere istud nobis quidem non satis tutum videtur. Quod enim iniquitas augetur, multique refrigescunt, quocumque tempore poni non potest; aliud esset, si quis tantum affirmaret generatim futuram esse iniquitatem atque languorem.—Est praeterea ratio quaedam potior, scilicet putamus propriam accuratamque interpretationem esse debere «...refrigescet caritas *multitudinis*» christianorum, proinde majoris seu etiam maximae christianorum partis; neque enim minor aut aequalis pars οἱ πολλοὶ recte appellaretur. Itaque vox πολύς antecedente eam articulo, et sive sola, ut nostro loco, sive una cum *genitivo partitivo* sonat communiter in graeco *classico* «majorem seu maximam partem», quatenus minori parti oppositam. Idem in N. T. apparet; id unum notatione dignum est quod aliquando, etsi raro, «multum» «modico» conceptis verbis opponitur (II *Cor.* VIII, 15) vel «uni» Christo «multos» opponit etiam S. Paulus, scilicet peccatores ex Adamo natos, a Christo autem redemptos.—Jam vero, hac interpretatione posita, constat quantum difficultas augeatur, quamque parum fundatum esse videatur quod *ante annum 70* et iniquitas crevit et apud christianorum multitudinem seu majorem maximamve partem caritas refrixit.

(2) Hac super re conferatur *K. Weiss*, egregie semper instructus et copiosus in ea re quam tractat, atque ex ea etiam parte, qua rem considerat, probabilis: *Exegetisches zur Irrtumslosigkeit una Eschatologie J. Xti.*, B. Spezieller Teil, III, p. 121 sqq.

οἰκουμένῃ praedicatum— nequaquam signa sunt earum rerum eventorumque de quibus apostoli interrogaverant, quos etiam in postrema tempora incluserant (1): signa igitur neque «consummationis saeculi» sunt, neque Christi adventus, neque templi excisionis.

«Ergo, his eventis sepositis ac relictis, cum videritis —pergit monere Dominus— haec atque illa &.»; deinceps autem vera tradit apostolis signa (2). Ab «abominatione desolationis» ducit exordium. Id primum signum, idemque caput existit ad reliqua intelligenda; ad illud enim respiciunt reliqua omnia, et cum eo colligata exhibentur.

Alterum punctum: vers. 15-28

I

Interpretationis quasi fundamentum

Imprimis «abominatio desolationis», si recte intelligitur, quantum habeat momentum ad totius capitis interpretationem, paulo magis declarandum videtur. Itaque de «abominatione desolationis» duo quaeri possunt: 1) Ad quae tempora respicit? En quaestio primaria. —2) Quem eventum eventusve designat? Haec, quodam modo saltem, quaestio videtur secundaria. —3) His positis, permagni momenti proponemus conclusionem.

(1) Secerni possunt a signorum genere, verbi causa ob ambiguitatem et infinitatem, quia ambiguus est saltem gradus quo signa sunt: Cfr. *Dieckmann*, lc., n. 116.

(2) Haec videtur esse in v. 15 articuli οὖν maxime plana vis et notio, quae arcana ferme redditur, si alia interpretandi ratio usurpatur. Idem cogitationum cursus per articulum δὲ apud S. Marcum (v. 14) exprimitur; quasi dicatur: «Hos illosque eventus nihili aestimate, quippe qui signa non sunt. Quum *autem* videritis &.»

Quaestio primaria: Ad quae tempora respicit «abominatio desolationis?». —Responsio ex ea responsione non pendet quae eidem quaestioni, ad Danielem quod attinet, detur (1). Sive hujus vatis cuncti loci in eadem esse sententia et Antiochi Epiphanis tempus significare dicuntur, sive id de uno aliquo tantum affirmatur, reliqui vero ad Messiae tempora, praecipue autem ad duo temporis puncta quasi eminentia respiciunt, scilicet ad Hierosolymae fanique eversionem et ad magnam postremorum temporum calamitatem, eadem perpetuo loci Evangelici permanere debet explicatio, multum parumve illustris, multum parumve arcana, numquam tamen, quantum fieri potest, ex incertis et fluctuantibus pendens.

Si cuncti Danielis loci Antiochi Epiphanis tempore circumscribuntur, profecto quum Salvator noster ait «cum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto», minime demonstrare vult ipsum proprie factum quod tempore Antiochi contigit, sed abominationis eo tempore factae genus speciemve designare tamquam id quod, si genus speciemve spectes, rursus eventurum est. Se-

(1) Verba illa «abominatio desolationis» seu «abominatio horribilis» exstant apud Danielem bis certo, semel probabiliter; alias, verba simillima semel

Loci *certi*: 1) *Dan.* XI, 31: השקוץ משמם: *LXX*: βδέλυγμα ἐρημώσεως; *Theodotion*: βδέλυγμα ἠφανισμένον. 2) *Dan.* XII, 11: שקוץ שמם: *LXX*: τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως; *Theodotion*: βδέλυγμα ἐρημώσεως.

Locus *probabilis*: *Dan. IX*, 27: שקוצים משמם: *LXX* et *Theodotion*: βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων.

Locus *similis*: *Dan.* VIII, 13: הפשע שמם: *LXX* et *Theodotion*: ἡ ἁμαρτία ἐρημώσεως.

mel? an saepius? Oratio quidem ab evangelistis adhibita, sua natura suaque sponte, generatim atque universe valet (1): «cum videatis», seu «cum videritis abominationem desolationis». Proinde sola ejus vi et adjumento, quoties «abominatio desolationis» videnda sit, non definitur. At quum apostoli de d u o b u s tantummodo factis, tametsi in idem tempus inclusis, interrogaverint, quum porro visa «abominatio desolationis» tamquam illorum signum proponatur, numerus temporum, quibus praedicta a Domino «abominationis desolatio» re ipsa evenire poterit, duplici major videtur esse non posse. Ex altera parte, quum iidem apostoli mundi finem eversionemque templi in idem tempus includant, videtur omnino cohaerere, immo maxime plena esse atque perfecta et ad apostolorum sollicitudinem penitus quadrare sententia quae Domini verbis tum ad «consummationis saeculi», tum ad eversi fani tempora asserat veritatem; proinde asserat «abominationis» signum, si duplex factum in idem tempus recidat, semel evenisse, sin autem in duo tempora, bis etiam «abominationis» signum debere contingere. Jam vero, si res ita se habet, solus Evangelii contextus alterum e duobus temporibus potest jure ac merito excludere, Jesuque vaticinationem aut eschatologicis circumscribere temporibus aut Hierosolymae templique eversione. At, quamdiu Evangelii contextus id feret, erit profecto justa et legitima interpretatio, quin etiam vi sua per seque potissima, ea quae sapienti concordia vim notionemque latissime patentem Domini verbis retinere videatur. Si aliter egeris, jure optimo sine

(1) Orationes, *relativo-temporales* appellatae, quae habent *subjunctivum* cum de re non praeterita (sive praesenti sive futura), aut in *protasi* vim habent infinitam seu universe patentem, aut factum quoddam probabile ostendunt quod facile contingere potest. Hoc autem postremum ad nostrum locum minime quadrat.

ratione et quasi ad arbitrium libidinemque videaris egisse.

Si e tribus Danielis locis, in quibus de «abominatione desolationis» sermo habetur, locus e capite IX ad Hierosolymae excisionem respiciat, ad postrema vero tempora ille, qui XII capite continetur, conclusio, antea stabilita et fixa, majori perspicuitate exstat atque eminet. Nam, etiamsi quis vellet, non genus speciemve «abominationis», sed praedictum ipsum singulare factum evangelico loco notari, sine ratione diceretur alterum e duobus locis, excluso altero, designari, quum Evangelii locus mullum in Daniele proprie definiteque demonstret. Expendendus igitur contextus esset; quod si fit, revolvimur eodem notarique poterunt quae in antecedentibus diximus.

Restat denique ut IX caput ad Hierosolymae templique eversionis tempus respiciat, reliqui vero Antiochi Epiphanis tempore circumscribantur; neque enim probabile videtur locos e capitibus IX et XI in Antiocho Epiphane versari, locum vero capitis XII ad postrema tempora pertinere. —Itaque, hoc posito. Danielis locus, a Salvatore significatus, eversi fani tempora certo notat, iisdemque arcanum illud factum, quae est «abominatio desolationis», omnino evenire debet. Solane haec tempora respicit Dominus, proinde iisdemne solis significatum factum evenire necesse est, an eo quidem tempore praedictum a Daniele factum eveniet, sed praeterea in fine temporum novam de integro veritatem obtinebit? Oratio, utpote quae generatim atque universe valet, id ita esse manifesto patitur, quemadmodum antea diximus. Locus ex Daniele allatus solum postulat ut ea tempora, de quibus vates loquitur, vere proprieque respiciat Dominus, iisdemque eveniat «abominatio desolationis»; nequaquam vero ut quod praedictum est, nullis aliis temporibus eveniat ratione

fortasse modoque pleniore ac perfectiore. Unus id contextus exigere ac definire potest. Itane est? Contextus potius invitat ut «abominationem desolationis» ad tempora postrema referamus. Id ex intestina totius loci compositione, qualem antea descripsimus, luculenter apparet: «Cum ergo videriis abominationem desolationis... (v. 15), tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes (v. 16) ...Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus (v. 19) ...erit enim tunc tribulatio magna (v. 21) ...Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur &. (v. 29)». Quapropter «magna illa tribulatio» qua de refert versus 21, ex altera parte ad id temporis respicit quum «abominatio desolationis» videbitur, ex altera vero statim post illam ea eveniunt quae ad postremum tempus sine dubitatione referuntur. Ergo «desolationis abominatio», a Salvatore notata, postremis etiam temporibus evenire veritatemque obtinere debet.

Quaestio secundaria: Quem eventum eventusve re ipsa designat «abominatio desolationis»? —Quandoquidem ad declarandum id quod Antiochi Epiphanis tempore evenit, eadem quae in Evangelio adhibentur arcana verba (1), facta quae Dominus respicit, simile quiddam erunt illius quod tunc accidit. De his igitur, quae tempore Antiochi Epiphanis evenerunt, videamus quid in Danielis vaticinatione reperiatur.

Si a Danielis vaticinatione non recedimus in eaque constanter haeremus, ex ambiguitate quadam egredi non poterimus. Tribus Danielis locis «abominatio desolationis» occurrit, postquam ef-

(1) I *Mach.* I, 54; ed. A. *Rahlfs*, 1935, p. 1042.—In Vulgata est v. 57.

fectum est ut perenne sacrificium aut sacrificium «oblatioque» (1) cessent, quasi «desolationis abominatio» istius cessationis perfectio quaedam sit et absolutio. Simul etiam quodam modo significatur «abominationem desolationis» aliquid esse idololatricum, conceptis tamen verbis non affirmatur. At Machabaeorum liber (2) «abominationem desolationis» tamquam idololatricum quiddam contraque divinum cultum satis manifesto demonstrat: «Die quintadecima mensis Casleu... aedificavit rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei»: καὶ τῇ πεντεκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ Χασελεῦ... ᾠκοδόμησεν βδέλυγμα ἐρημώσεως ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. Apparet βδέλυγμα ἐρημώσεως non esse proprie actionem qua templum violatur, seu potius non esse aliquid quod ad templum necessario refertur, sed aliquid quo re ipsa templum violatur: βδέλυγμα ἐρημώσεως construitur, aedificatur, ᾠκοδόμησεν, super altare (3).

Quidnam erit istud in sanctis Evangeliis? Posita imprimis evangelici loci atque Danielis vaticinationis, apud S. Matthaeum conceptis verbis allatae, arcta colligatione; considerato praeterea quemadmodum Antiochi Epiphanis tempore res

---

(1) Duobus saltem locis, XI, 31 et XII, 11, maxime probabile videtur hostili ratione et contra divinum cultum sacrificium cessare; similiter alio loco ubi pro «abominatione» legitur «peccatum» [illegible]. VIII, 13. In versu 27 capitis IX totum ex interpretatione pendet.

(2) I *Mach.* I, 57.

(3) Idcirco potius quam sola statua videtur altare quoddam esse, simulacris signisque idololatricis ornatum, super legitimum altare constructum; ita rem esse ponunt, saltem tamquam probabilem, eruditi sane scriptores, ut *Beda Rigaux*, *Goettsberger*, *Lagrange*, &. Si ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον articulum non haberet, ᾠκοδόμησεν ad totum posset referri, atque hoc modo βδέλυγμα ἐρημώσεως statua esse posset; verum articulus indicat altare jam antea existere; proinde quod super illud locatur, non potest sola statua esse, quae quidem *ponitur*, *statuitur*, &., non autem proprie super altare construi sive aedificari dicitur.

evenerit a Daniele praedicta —quod Machabaeorum liber notat atque describit— videtur debere etiam esse in Evangelio βδέλυγμα ἐρημώσεως aliquid contra divinum cultum, aliquid quodam modo idololatricum.

Ubinam insistet? S. Matthaeus his verbis utitur quae videntur de industria electa ut locus mysterio et umbris tectus remanere videatur. Solum dicit «abominationem desolationis» sancto quodam loco, ἐν τόπῳ ἁγίῳ, constitutum iri. S. Marcus alia adhibet verba quae magis ambigua sunt: ὅπου οὐ δεῖ, «ubi non debet». Haec de industria—quod veri simillimum apparet— comparata ambiguitas invitat ut vim notionemque verborum loco praecipue et omnium maxime sancto non circumscribamus, quamdiu ista circumscriptio firmis non erit corroborata rationibus (1), sed potius ut eam verbis infinitatem relinquamus quam illa patiantur, qua possint ad locum omnem referri ubi, quacumque de causa peculiari utique et extraordinaria, nefas sit idololatrica signa sive adhibere sive exhibere, atque hac saltem ratione l o c u s s a n c t u s evadat. Certe, tamquam aditus ad causam et

---

(1) *R P. Beda Rigaux* aliter sentit. Verum hic auctor, generatim valde copiosus, nihil facit hoc loco nisi quaedam ex R. P. Lagrange decerpit, peculiari tamen et proprio modo: *L'Antéchrist...*, lc., p. 241. *P. Lagrange* sic argumentatur: «...mais le texte visé ici (apud S. Matthaeum) parait être Dan. IX, 27... car ἐν τόπῳ ἁγίῳ doit être quelque part dans l'enceinte du Temple»: *Évangile selon S. Matthieu*, p. 461.—Postremae hujus affirmationis fundamentum in ea ratione et modo a P. Lagrange ponitur quo rem a Daniele praedictam Machabaeorum liber Antiochi Epiphanis tempore evenisse describit (I *Mach*. I, 57; VI, 7). Ibi tamen id solum narratur quod Antiochus Epiphanes βδέλυγμα ἐρημώσεως aedificavit super altare. Cur autem β. ἐ, ut re vera β. ἐ, sit, aliquo semper loco intra templi seu alicujus templi terminos insistere sive aedificatum esse debet? Cur satis non est quocumque illud loco aedificari ubi ejus propositio vel collocatio impetus aliquis conatusve contra divinum cultum esse videatur? Ad hoc vero nihil est quare istud intra templi vel alicujus templi terminos accidat. Praeterea synopticorum ambiguitatem veri simil-

ingressio, maxime tutum id atque prudens videtur (1).

Ex his, quae modo duabus propositis quaestionibus disputavimus, concludi videtur: a) «abominatione desolationis», sua vi et quamdiu feret Evangeliorum contextus, tum postrema tempora tum Hierosolymae eversionis notari et significari posse; b) iisdem arcanis verbis aliquid exprimi contra divinum cultum et quodam modo idololatricum, quo locus peculiari ratione et nomine sanctus polluitur.

Conclusio: «Abominatio desolationis», si tempus respicimus condicionem induit quasi infiniti cujusdam et interminati; — quae hinc nascantur opportunitates —. Restat nunc ut quod erit totius interpretationis quasi fundamentum concludamus et, quantum possumus, insigne faciamus.

Itaque diximus «abominationem desolationis»

---

limum est comparatam esse de industria, definita autem hujus ambiguitatis ratio non exponitur.

P. Beda Rigaux peculiare quiddam adjungit, nimirum «la dépendance visible de Daniel». Sed quod Evangelium ita pendet a Daniele, eumdemne etiam esse locum necessario habet implicatum? Porro istum locum, tribusne Danielis locis templum esse constat? Ex ea ratione qua P. Lagrange argumentatur, jure putaveris postremum hoc ab ipso non recipi; et re vera, unus id locus indicare videtur, XI, 31.—Denique tum P. Beda R. tum P. Lagrange tribus Danielis locis Antiochum Epiphanem significari putant. Jam vero, hoc posito, nihil aliud Salvator noster videtur velle monstrare nisi genus speciemve «abominationis» quae simili quodam modo, non autem iisdem omnino notis rursus eveniet.

---

(1) Constat quam frequenter Hierosolyma «civitas sancta» appelletur Apud ipsum *S. Matthaeum* duo exstant loci: IV, 5; XXVII, 53; εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν. —*S. Petrus* «*sanctum*» vocat *transfigurationis* montem: ἐν τῳ ἁγίῳ ὄρει: II, *Petr.* I, 18.—Cfr. *Act.* VII, 33.

primum esse a Domino datum signum quo apostolorum interrogationi responderet; caput praeterea esse ad reliqua intelligenda, quippe quae et omnia inter se et cum «abominatione desolationis» jugata et nexa constanter exhibentur. Jam vero arcanum istud factum, quae «abominatio desolationis» vocatur, non est definite positum in tempore; tum haec tum illa tum varia simul tempora notare et significare potest; quapropter, cuncta cum eo conjuncta et implicita, hanc eo ipso condicionem, si tempus respicimus, induunt quasi infiniti cujusdam et interminati. Verum haec ipsa temporis non definita condicio enodare potest omnia et explicare quae in toto capite XXIV pugnare specie prima videntur. Factum vero illud, ad quod cuncta respiciunt, «abominatio desolationis», sub hac infiniti atque interminati temporis condicione propositum, id esse potest in quo contrariae atque inter se primo aspectu repugnantes interpretationes conciliatione et societate jungantur.

En quaedam argumenta. 1).—Primum quidem, si versus 15 rem significat non definite positam in tempore eamdemque condicionem induunt quaecumque in aliis versibus cum 15 colligatis continentur, totum jam Evangelii locum possumus tum de postremis temporibus tum simul etiam de Hierosolymae excisionis tempore interpretari. Quo fit ut, neutram excludentes, duas interpretationes, quae tum simul tum singillatim summorum virorum testimoniis firmatae ab ultima antiquitate ad nos usque pervenerunt, in unum conferamus. Quod quidem et ipsum pulcherrimum videtur et praeterea optatissimum, quum hac ratione Patrum majorumque auctoritas immutata in omnibus fere et sancta perseveret.

2.—Sunt praeterea toto hoc loco, quem tractamus, scilicet a versu 15 ad 19, versus quidam, velut 21, 22, 24..., qui postrema tempora tam

manifesto videntur notare, ut quaecumque interpretatio hanc notationem excludat, numquam sit universis probanda, semper futuri sint qui repugnent.—Vicissim, versibus aliis, exempli causa 16 ad 20, ita perspicue et plane Hierosolymae excisionis tempus multi significatum esse opinantur, ut neque interpretationem, quae hanc sententiam prorsus excludat, dominari umquam posse arbitrentur. Itaque aut alii alia ratione explicandi sunt versus, aut totus locus ita est exponendus ut cuncti simul versus utramque sententiam habere dicantur. Primum si eligas, locum dissolvas, et in partes dividas quod est totum apte compositum atque compactum. Alterum vero duas interpretationes, illustres ac nobiles, etsi prima specie inter se repugnantes, amica societate conjungit. Ergo, modo fieri possit, postremum omnino eligendum videtur. Potest autem, si versus 15 —quod supra vidimus rationibusque firmavimus— rem significat quae tempus unum definitumque non exigat.

3.—Denique, posito templi eversionem atque «saeculi consummationem» ab apostolis in idem tempus includi, adjuncto etiam ut Dominus noluerit tempus utrumque disjungere, ipsa non definita temporis condicio, qua proposita est «abominatio desolationis», praeclaram offert Salvatori occasionem ad respondendum simul et accurate apostolorum interrogationi communiter de utroque facto confuseque factae. Etenim, posita ista non definita temporis condicione, dominator omnium temporum Salvator noster quasi altissimum locum obtinet ex quo, totius temporis cursum ad suum usque adventum sub uno aspectu positum conspiciens, ea monet ac docet quae postremis illis temporibus vim certe habemunt, at simul ea monet omnia docetque tanta in futuris temporibus potestate ac dominatu, tanta futurorum omnium

praesentia ut consilia ista et monita omnia in ipsam etiam Hierosolymae eversionem pro portione rerum vere dicenda sint et omnino proprie convenire.

Id, *si fieri potest*, signum imprimis divinitatis existit. In unum enim convenit rerum omnium dominatorem ac temporum, Deum. Est praeterea aptissimum; hac enim ratione Jesus veritatem omnem una responsione comprehendit, simul vero ea, quae praedicit, interminato quodam nec definito modo mirabiliter ponit in tempore, quo efficitur etiam ut et res ipsa vere affirmetur et effusa nimis nec oportuna temporis futuri distincte prospiciendi aviditas salubri consilio refrenetur. Itaque Domini nostri responsionem ad utrumque mirabili ratione spectare tempus, audeamus ostendere.

II

Singulorum interpretatio

1. *Versus 15-28, postremorum in iis sententia posita, explicantur.*

Ergo tota haec arcte sapienterque contexta versiculorum series ad postrema tempora apte omnino respicere potest. Solum in uno et altero versu nonnihil potest inesse obscuritatis; in his igitur solis commorabimur.

15. Itaque ecce nobis «abominationem desolationis», omnium teterrimam, ad extrema et arcana mundi tempora S. Paulus apostolus monstrat: «abominationem» vere horribilem (1) quae,

(1) «Abominatio horribilis, seu horrere faciens». Hic probabilior videtur modus vertendi השקוץ משמם (*Dan. XI*, 31), vel שקוץ שמם (*Dan* XII, 11) Cfr. *Lagrange*, *La Prophétie soixante — dix semaines de Daniel*, apud *Rev. Bibl.*, 1930, pp. 188-189

sicut nulla umquam alia, iis insignis est notis quibus השקוץ משמם ex Daniele distinguitur: ipsa infandum quiddam atque idololatricum exprimit quo sanctum Dei templum polluitur. S. Pauli verba sunt ista: «... (non veniet dies Domini) nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne (1), quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus» (2). In his persona quaedam agens apparet, quae aliquo modo honores sibi divinos ambitiose quaerit a Deo detractos et a quocumque qui cultu aliquo colatur. Hac persona multi Sancti Patres Antichristum agnoverunt expressum. Ipsa quoque a S. Marco adhibita loquendi ratio cum hac sententia plane cohaeret, quin immo ad eam nos etiam invitat. Etenim S. Marcus «de abominatione desolationis» loquitur stante ubi non debet: τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἑστηκότα ὅπου οὐ δεῖ. Vox ἑστηκότα, mari genere et cum neutro juncta, intelligitur optime si quis rationis particeps, qui in Deum insultet, «abominationem desolationis» constituat.

16-20. His praecipue versibus nituntur qui explicationem eschatologicam ex hac parte volunt exterminare (3). Duo imprimis objiciunt: 1) in

---

(1) Alii vertunt: «...extollitur *contra* omne...»: ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα etc.

(2) II *Thess* II, 3-4.—Quo autem definito et proprio modo id eventurum sit, nescimus. Antichristusne, sive propria in persona sive in imaginibus, honores sibi divinos quaeret —quod multi Sancti Patres existimant? —an omnis locus sacer e sacro profanus fiet *(laizabitur)*, *Deique-negatio* ac turba negantium Deum *(sindiosismo)* triumphabit, et in medio rerum omnium sacrarum naufragio solus Antichristus emerget, qui nullum alium Deum nullamque legem nisi se suaque tyrannica mandata patietur agnosci?

(3) Ex. causa *Weiss, Exegetisches zur Irrtumslosigkeit und Eschatologie J. Xti.* B. Spezieller Teil, erst. Abschn., I, p. 71 sqq. —*Grandmaison, Jésus-Christ,* II, pp. 305-307.—*Lagrange, L'Evan*

his versibus adhibetur ad fugam cohortatio, quum tamen in postrema calamitate non tam difficilis quam desperata sit fuga, in p a r u s i a vero videatur absurda: 2) in iisdem versibus de calamitate sermo est Judaeae terminis circumscripta; calamitas autem postrema ad universos pertinet.

Breviter respondeamus. 1) Descripta his versibus fuga terribilem respicit Antichristi tempore effusam vexationem. Porro vexatio haec ipsi p a r u s i a e manifesto antecedet. Etiamne magnis illis universitatis motibus mutationibusque antecedet, quum «sol obscurabitur, et luna non dabit lumen, et stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur»? (v. 29). Ex parte saltem, eaque acerbiore, utique antecedet; sic enim S. Matthaeus scribit: «Statim autem p o s t tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur &.» Ergo ad illud terribile tempus, cujus spatium accurate nescimus, cohortatio adhibetur ad fugam ut gravia, quae eo tempore eventura sunt corporis animique pericula, sanguine redunduns vexatio atque seductio, quantum fieri potest, declinentur.

Dixerit fortasse quispiam absurdum aut saltem supervacaneum esse in fugam se dare, siquidem vexationem istam seductionemque calamitas quaedam in universo mundo ipsaque p a r u s i a brevi temporis spatio subsequetur.

Difficile semper est de arcano futurorum temporum ordine definite disserere, facile vero vagari et errare in incertis. Hoc alterum ut declinemus, atque ut nostrae explicationes ex incertis ne pen-

gile de Jésus-Christ, cp. V, § V, p. 476.—Recenti tempore haec ursit *R. P. Raphael Tonneau O. P.* quum in *Rev. Bibl.*, t. 42, 1933, pp. 274-275, librum R. P. Beda Rigaux, *L'Antéchrist* acriter subtiliterque judicavit.—Auctores satis multi contraria haec idcirco non urgent quod manifestum esse putent versibus 16-20 nisi Hierosolymae excisionem quidquam aliud significari neutiquam posse.

deant, illud quod nobis minus favere videtur, eligamus. Id autem in eo consistit ut a verbis quibusdam S. Pauli nihil admodum recedamus quae indicare primo aspectu videntur Antichristum ab ipso Christo, quum hic alterius adventus tempore praesens aderit, interimendum esse atque tollendum (1): «...quem (iniquum, τὸν ἄνομον, id est, Antichristum) Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione (= τῇ ἐπιφανείᾳ) adventus sui eum» (2). Tamen nihilominus, hoc etiam posito, absurda non est neque fuga neque ad eam cohortatio. Fuga quidem naturalis motus est, quotiescumque fieri potest ut fuga mortem vites, neque fugam impediant munus fungendum, honor, similia. Motus autem illi universitatis mutationesque permagnae, sive quae parusiam proxime antecedent, sive quae illi forte comitabuntur, ejusmodi sunt ut post illa omnia —quod acute prudenterque notat P. Beda Rigaux— «les élus restent en vie, puisque les anges les rassemblent des quatre coins du ciel et qu'on ne parle pas de résurrection» (3). Id autem satis esse videtur explicationis, etiamsi omittimus amplificatam esse descriptionem et comparate tantum valere, multis praeterea videri totum ipsum genus, ubi de universitatibus motibus ac mutationibus sermo habetur, translationibus contineri. Denique ipse etiam S. Paulus «electos», qui postrema hominum aetate vivent, exhibet obviam Jesu, morte non obita, procedentes (4).

---

(1) Docti sane auctores, interpretes atque theologi, aliter sentiunt. Ex. causa: *Allo, L'Apocalypse, Introduction*, p. CXIII; *Verhaar, Tract de Noviss.*, sect III, cp. 1, n. 111, cp. 104 (Hilversum, 1935).—Sunt qui asserunt Christum ad id tantum ipsum praesentem adfuturum ut Antichristum evertat et tollat, v. gr. *Suárez, Defensio fidei*, l. V, cp. VIII, n. 20, cp. XVII, n. 16.

(2) II ad *Thess.*, II, 8.

(3) *L'Antéchrist* , lc., p. 242, not. 2, p. 243.

(4) Cfr. I ad *Cor.* XV, 50-52; I ad *Thess.* IV, 13 sqq.—Constat inter eruditos hanc sententiam, quae sola plana et perspicua vide-

2) In versibus 16-20 de calamitate sermo non est Judaeae terminis circumscripta. Quod soli Judaei nominantur, id ad ejusmodi circumscriptionem affirmandam satis esse argumenti non videtur: «positio unius, ut ajunt, non est exclusio alterius». Hoc enim loco Jesus —quod etiam alias facit, nam est frequens loquendi modus, si non uteris exculto scientiaeque proprio sed populari sermonis genere—, hoc ergo loco Jesus rem universam per exempla definita declarat. Itaque Judaeos designat et nominat, tamquam singulare exemplum, omnium aptissimum ad eorum animos, quibuscum loquebatur, utpote Judaeorum permovendos. In singulari autem exemplo ceteri quid faciendum, non faciendumve sit, profecto intuentur; quapropter accommodatio vi nulla suaque sponte consequitur.

His animadversis et notatis, facilius etiam versum 20 intelligemus. Qui sic se habet: «Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato». Jesus definitam sabbati designationem adhibet ad «diem festum» significandum sive «diem Domino consecratum». Profecto haec erat rei notandae plana, simplex, omnium fortasse maxime simplex designatio, ut, quid Dominus designaret, satis poset a populo intelligi. Quod si aliis temporibus rerumque condicione mutata, consecratus Domino dies in alium transferretur sive, ut in scholis ajunt,

---

tur, si unius S. Pauli scripta perpendimus, gravissimorum Patrum ex Oriente tum etiam multorum ex Occidente auctoritate esse munitam. Verum alia sunt etiam majoris momenti ad id quod disputamus. Ipsi enim ex Occidente Patres scriptoresque qui, ut mortem ad omnes pertinere asserant, opus esse judicant postremos homines mori, quam ob rem illos affirmant «in ictu oculi» «in ipso raptu» mori, tota ista explicandi ratione indicare videntur neque vexationibus neque universitatis motibus mutationibusque vitam hominibus, etsi brevi intervallo, eripi: quod quidem moriendi genus et simpliciter non mori, quantum nostra nunc interest, idem penitus valent.

materialiter commutaretur, accommodatio erat plane perspicua (1).

Versibus 16-20 expositis, ceterorum fluit sine ullis salebris plana et aperta sententia (2). Audeamus igitur versus omnes, 15-28, Hierosolymae significato eversionis tempore, de integro explicare.

2. Versus 15-28, Hierosolymae ab iis significato eversionis tempore, explicantur.

Ergo quamvis totus hic locus plenam perfectamque significationem, postremis temporibus notandis, obtinere videatur, tamen satis omnino habet veritatis si ad Hierosolymae eversionis tempus spectare dicatur. Graves scriptores, auctoritate praestantes, tum antiqui tum recentes, hanc interpretandi formam, proposito nobis ad imitandum exemplo, elegerunt. Alii alios versus, non

---

(1) Jesus infinita quadam ratione loquitur. Re ipsa ejus cohortatio, aliquid amplificatum et auctum sonans, veritatem obtinet: a) *materialier*, ut ajunt, usque ad annum 70, ad quem Judaei christiani legis Mosaicae mandata consuetudinesque Judaeorum retinuerunt; —b) *formaliter,* quia «consecratus Domino dies omnium maxime ad fugam est ineptus, ut temporum anni hiems; quippe quum *sua natura* consecratus esse debeat ad precandum et, ut generatim loquamur, ad Dei cultum.

(2) Unum notabimus. Ad *tribulationem magnam* (v. 21) explicandam decurtatosque dies (v. 22) sine quo «non fieret salva omnis caro» (v. 22), afferunt nonnulli calamitatem quae ad universum quidem mundum pertinet, sed in solis mutationibus rationis physicae tota consistit. Id firmum non videtur. Quibus enim argumentis fulcitur ista per totum mundum fusa calamitas, quae in solis consistat rationis physicae mutationibus, antecedat tamen descriptos versu 29 universitatis motus? Est igitur sermo de magna illa vexatione tempore Antichristi futura, quae, exordio fortasse a Judaea ducto, in universum mundum effusa bacchabitur. Hoc tempore seductiones erunt vexationesque sanguine redundantes quibus graves physicae rationis motus fortasse comitabuntur. Nisi Dominus hos dies breviores reddidisset «non fuisset salva omnis caro». Hoc est: omnis homo periisset, sive corpore sive animo, aut morte deletus aut seductus. «Omnis caro», i. e. omnis homo, cogitandus est, ut patet, quatenus iis, qui insectantur atque seducunt, opponitur, eodem fere modo quo ii qui hos versus ad Hierosolymae eversionem referunt, significatum existimant «omnem Judaeum»,

pauci vix non omnes vel etiam omnes (1) ad Hierosolymae eversionis tempora respicere volunt. Verum ut tota res satis possit explicari, exordium ducamus necesse est ab explicando quanam in re «abominatio desolationis» vere proprieque consistat (2).

15. Quamvis non eadem mensura eademque illa vi ac perfectione postremis temporibus reservata, eo etiam tempore, quo Hierosolyma evertitur, «abominatio quaedam desolationis» insistit in templo, a quo divinum cultum exterminat, quod etiam idololatrico quodam modo profanum facit et polluit.

Haec «abominatio» praecipue in imperatore romano victore consistit, qui, gentilis et ut gentilis, Hierosolymam ejusque templum capit et pos·

---

quatenus ceteris non Judaeis opponitur. Recte igitur *R. P. Lagrange* in postremis operibus id, quod ad animum moresque pertinet, exstare et eminere facit, etsi vitae pericula, quae in media vexatione et seductione evenire possunt, minime excludit Recte etiam idem Pater membrum «non *fieret salva* omnis caro» cum v. 13 confert: «qui autem perseveraverit usque in finem, hic *salvus erit*». Cfr. *Év. s. S. Matth.*. ed. 1927, p. 464, *Év. s. S. Marc*, ed. 1929, p 343.

---

(1) Non illos tantum designamus qui omne eschatologicum usque ad ipsum v. 36 prorsus excludunt. Quamvis non eo usque progrediantur, auctores tamen, prudentes sane et cauti, velut *P. Dieckmann*, versus omnes a 15 ad 25 respicere dicunt ad Hierosolymae excisionem : *De Eccl.*, tract. I, cp. II, q. 1, n. 116, p. 86; similiter *P. Cladder, Als die Zeit erfüllt war, Das Ev. des. hl. Matth.*, p. 219, sqq.

(2) Fieri non potest ut eos Patres, qui «*abominationem desolationis*» ad Hierosolymae eversionis tempus referunt, duces ac magistros hac in re confidenter sequamur. Eorum pars major statuas inducit hujus illiusve imperatoris in templo collocatas, sive templi eversionis tempore sive multo antea, velut Pilati tempore, aut multo post, velut Adriani. Exemplo esse potest *S. Hieronymus* in S. Matthaei commentariis : «Potest autem aut de Antichristo accipi, aut de imagine Caesaris quam Pilatus posuit in templo, aut de Hadriani equestri statua, &.» (ML 26, 177). Semper tamen apparet forma quaedam idololatrici cultus inducti, quod alias futurorum signum est, alias effectus et quasi consecratio gentilis cujusdam profanaeque potestatis in templo, ab imperatore inductae, qui per simulacra statuasve praesens adest.

sidet. Ut Antiochus Epiphanes Hierosolymam, templum, reliquas Judaeorum urbes graecorum moribus imbuere, a vero Dei cultu sevocare, hac ratione quasi profanas facere conatus est; ut porro Antichristus in Dei templo insistet et habitabit sive ipse proprie, divinos aemulans honores, sive fortasse certo quodam modo tantum, quatenus omnem divinum cultum evertet seque ipse sacrorum locorum dominatorem constituet, Dei praesertim templorum, iis arbitratu suo ad profanos usus abutens; ita similiter in pugna illa terribili adversus populum judaicum, imperator romanus, nulla religiosi cultus morumque habita ratione judaeorum, quae omnia tamdiu sarta tecta Roma conservaverat, tamquam gentilis et hostis judaeorum Hierosolymam ingressus est, eam oppressit et evertit, fanum sive ipse proprie sive per milites cepit, captumque funditus delevit ac sustulit. Hoc etiam modo in homine—quod indicat S. Marcus —«abominatio desolationis» evenit: τὸ βδέλυγμα τ. ἐ. ἑστηκότα. Denique ista similive ratione sentiunt interpretes varii, etiam recentiores (1).

Haec tamen extrema pars et actus fuit «abominationis». «Abominatio enim desolationis», si u n i v e r s a consideratur, eo tempore coepit quum imperator g e n t i l i s (2), Cestii clade

(1) Ex. causa: *Durand, Év. s. S. Matth.* (ed. 3.ª 1924), p. 390, in «Verbum salutis» —sub disjunctione *Huby, Év. s. S. Marc* (ed. 3.ª 1924), p. 390 in eadem serie.— *Origenes* refert etiam β. ἐ. ad hominem quemdam, quamvis locum sanctum templo non circumscribat. Ita scribit: «Diximus stantem quidem in loco sancto abominationem desolationis *principem* esse qui Hierusalem circumdedit exercitu»: *Matthäuserklärung*, II *Die lateinische Uebersetzung der Comm Series*, 24, 15-18; ed. *Klostermann*, CB, v. 38 (ex Op.Or. 11), n. 41, p. 81.—*S. Paschasius Radbertus*, qui magistrum habere solet Origenem, quadam explicatione «abominationis» Vespasianum proprie designat: «Quae profecto abominatio, quamvis aliter dixerim, ipse Vespasianus accipi potest qui Hierusalem exercitu circumdedit ac vestavit &.»: *Expos. in Matth.*, l. XI, cp. XXIV; ML 120, 808.

(2) Imperatoria dignitas proprie respicitur; ad id autem nihil admodum refert Vespasianum coepisse per Neronis personam, totum vero ab ipso Vespasiano per filii Titi personam esse confectum.

Judaeorumque obstinatione vehementer iratus, horrifico bello contra Palaestinam teterrimoque suscepto, in eam invadit, «locum sanctum», «Israelis sanctam haereditatem», atque Galilaea, Samaria, Judaeaque percursa, in Hierosolymam, ut turbo atque tempestas, praecipitat, urbem «sanctam» diruit, fanum evertit; tunc autem Romani «quum seditiosi quidem in urbem confugissent, templum vero et quae circa templum arderent omnia, signis in templum illatis positisque contra portam orientalem, et illis ibi sacrificarunt, et Titum cum maximis acclamationibus imperatorem designarunt» (1). Hoc est quasi triumphale canticum, quod in mediis illis sacrificiis impuris super «sancti» templi ruinas gentili Judaeorum victori gentiles canunt.

«Sancta Israëlis regio» ab exercitu gentili, duce etiam gentili, edomita atque contrita erat; «civitas sancta» ab «incircumcisis» et impuris conculcata; denique «templum ipsum sanctum», e sacro profanum; funditus etiam eversum ab idololatrica quadam potestate, imperatoris videlicet romani, idololatrae atque gentilis qui, templi dominator et victor, illud occupavit atque possedit. Universa haec arcanum illud tempus «abominationis horrificae» quae «stat in loco sancto» significant, et in illum actum erumpunt omnium impurissimum, omnium etiam maxime contra divinum cultum, quo potestas aperte palamque «gentilis» et idololatrica, imperator videlicet romanus, in mediis impuris sacrificiis gentiliumque acclamatione super templi «sancti» ruinas quasi regnum profanum constituit et occupat: «... cum videritis abominationem desolationis

(1) *Bell. Judaic.*, l. VI, § 316, cp. 6; ed. *Naber, Flavii Iosephi Opera Omnia*, v. VI (coll. Teubner), p. 114.—Locum in latinum conversum sumimus ex *Didot, Flavii Iosephi Opera*, v. II, p. 294.

stantem ubi non debet, in loco sancto...»! Nunc illud Origenis praeclare dictum iterare oportunum est: «Diximus stantem quidem in loco sancto abominationem desolationis principem esse qui Hierusalem circumdedit exercitu» (1).

16-20. «Abominatione desolationis» ea ratione animo concepta qualem modo descripsimus, versus 16-20 perspicue explicari videntur. Simul ac primum legiones romanae odiosa Judaeis signa militaria in Palaestinam inferrent iisque stipatus Romanus Caesar contra Judaeos promptus appareret ad pugnam, paratusque ad omni modo ulciscendam romano imperio illatam injuriam, ejus autem exercitus studio inflammato in Palaestinam invaderet, in ipsam urbem Hierosolymam praecipitans tamquam torrens quo omnia rapiuntur atque vastantur: Judaeis quam celerrime fugiendum erat, urbes, tecta, sedes derelinquendae, loca montuosa quaerenda (2). Quo propius «abominatio desolationis» ad «urbem sanctam» infesta et horribilis accederet, eo magis tamquam «abominatio desolationis» agnoscenda erat; proinde futu-

(1) Lc.

(2) Eorum quae Hierosolymae christianis evenerunt, pauca remanent vestigia monumentis historiae comprobata. Profecto oportune admodum fugerunt, quamquam fugae causa fuit re vera singulare quoddam oraculum primariis viris sive ducibus communitatis christianae «per revelationem datum»: κατά τινα χρησμὸν τοῖς αὐτόθι δοκίμοις δι' ἀποκαλύψεως ἐκδοθέντα *Eusebius*, HE, III, 5; ed. *Schwartz*, CB, v. 9 (I), p. 196). *S. Epiphanius* monitum affert angeli in libro *De mens. et pond.* (cp. XV; MG 43, 261); in *Panarion* dicit solum χριστοῦ φήσαντος (*haer.* 29, n. 7; ed. *Holl*, CB, v. 25, p. 330). *Eusebius* scribit monitos esse christianos ut urbem relinquerent πρὸ τοῦ πολέμου (lc.); ut *S. Epiphanius* ait, ἡνίκα... ἔμελλεν ἡ πόλις ἁλίσκεσθαι etc. (*De mens. et pond.*, lc.) vel, δι' ἣν ἤμελλε πάσχειν πολιορκίαν (*Panarion*, lc.) Quod ab Eusebio generatim dicitur et quodam tantum modo intelligi potest, id distinctae magis ac definitae S. Epiphanii affirmationes illustrant. Planum est «abominationem desolationis» clarius ut talem agnosci quo magis ad urbem Hierosolymam accederet.

rum etiam erat ut eo magis fugiendi necessitas urgeret confugiendique ad montes, loca vasta et solitaria: «...tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes...».

Restat ut incredibilem paene fugae celeritatem festinationemque explicemus. 1) At primum res haec cunctis explicanda necessario est, imprimis iis fortasse qui statuas aliaque signa idololatrica multo prius in templo collocata inducunt, exempli causa Pilati tempore, quam templum ipsum diruatur. 2) Deinde, fatendum est omnibus cohortatione hac ad fugam, tam celerem, tam praecipitem, tam subitam, in qua ne tunicam quidem requiras, et qualis in tecto sis talis debeas discedere, nulla prorsus re extra domum educta, formam dicendi contineri ad amplificandum et augendum aptissimam, electam magna ex parte ut incredibilis totius judaicae calamitatis magnitudo et expressior emineat et acrius vehementiusque sua vi mentes animosque percellat (1). 3) Hoc posito, satis intelliguntur adhibitae a Domino, quamquam generatim et universe, cohortationes, oblata belli occasione quod in teterrimis crudelissimisque omnium temporum bellis numerandum est, in quo saepe romanorum militum mucrones noluerunt aetatem ab aetate, sexum a sexu, condicionem a condicione distinguere, ac ferro, flamma, omni suppliciorum genere «omnis caro» excruciata est; quo bello ac tempestate Palaestina generatim jactata est, quamquam maxime horri-

---

(1) Adeo verum est quod dicimus ut sint qui putent hoc dicendi genere *desperatam* fugam ostendi. Exempli causa *R. P. Lercher* haec de Hierosolymae eversione scribit: «Quam dira autem futura sit in hoc tempore miseria, incolarum, innuit his verbis...»; continuo, adductis e S. Matthaeo versibus 16-21, adjungit: «Iisdem verbis etiam indicitur, incolas urbis praeter opinionem citius obsidione includendos esse, ut *iis omnis copia et spes fugae erepta sit*»: *Inst. Theol. Dogm.*, v. I, 1. I, cp. II, th. 19, n. 203; Oenipont 1927, p. 216.

biles strages caedesque obsidionem urbis cruentarunt (1).

21-22 Nihil est cur versus nos isti remorentur. Maxima totius mundi calamitas tempore Antichristi eveniet. Maxima populi judaici anno 70 evenit quae paulo post Adriani tempore completa est; nec ulla major existet umquam. Neque enim argumentum neque monumentum afferri potest ullum —quantum nos scimus— quo probetur Judaeorum populum, si nationis tantum ratio habetur. Antichristi tempore calamitate majori opprimendum, quidquid est utrum eo tempore infidelis perseveret necne, quod ab auctoribus disputatur. Profecto bene fieri potest ut calamitas quaedam et maxima, si totum quoddam consideres, et non maxima, si partem solum, possit vocari.

Similiter verba illa «omnis caro» vel homines generatim vel judaeos proprie significant, quatenus vel postrema tempora vel Hierosolymae ever-

---

(1) Quomodo S. Matthaeus et S. Marcus cum S. Luca cohaereant, postea videbimus. Nunc autem, quod ad rem attinet quam tractamus, notari potest ea omnia, quae summam illam indicant fugae celeritatem, de qua in vv. 17 et 18 apud S. Matthaeum sermo est, a S. Luca praeteriri. Id fortassis est causae quod S. Lucas spatium quoddam temporis tantummodo respicit quo tam praecipiti fuga opus non erat. Contra S. Matthaeus et S. Marcus de toto tempore generatim et universe loquuntur, propterea de extrema etiam ac desperata parte illius calamitatis quum festinatio nulla satis erit futura. In omni summa, quaecumque explicatio proponitur, ea quae a S. Matthaeo in vv. 17 et 18 afferuntur, saltem si rerum series contextusque perpenditur, fugam vi notioneque propria videntur ostendere: (*Lagrange, Év. s. S. Luc.*, XVII, 31; ed. 4, p. 465; uberius *Weiss* opere et loco saepe adductis, pp. 72-73). In cp. XVII, v. 31, apud S. Lucam eadem ista, quae fugam sonant apud S. Matthaeum, in alia rerum serie contextuque adhibita, videntur etiam aliam habere sententiam. Acute a P. Prat ita res explicatur: «Le petit conglomérat, Lc. XVII, 31-33, est intéressant à comparer avec Mt. XXIV, 16-18 et Mt. X, 39, pour voire comment les évangélistes appliquent les mêmes paroles du Sauveur à des circonstances différentes; mais on remarquera qu'il s'agit d'expressions proverbiales, susceptibles d'applications diverses: «Qui est sur le toit ne descende pas dans sa maison» pour tel motif, &.»; *Jésus Christ*, II, 1, III, cp. XI, n. II, p. 161, not. 1.

sionem notant. «Electi» possunt aut judaei superstites eorumve filii esse qui ad catholicam religionem convertentur, aut fideles ipsi quorum precibus meritisque vel simpliciter quorum gratia calamitatis dies contrahentur (1).

23-28. Horum omnium versiculorum unus difficilis videtur, versus 24. Dixeris enim hoc versiculo nihil aliud nisi postrema tempora, quum seductio ad summum cumulata perveniet, significari jure posse. Sic autem sonat: «Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae; et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.» Utrumque membrum difficile est, praecipue alterum; aberrare enim a vero penitus videtur, si ad Hierosolymae eversionis tempora respicere dicitur. Porro hos versus R. P. Dieckmann ita interpretatur: «Versus sequentes, 15-25, respiciunt e v e r s i o n e m U r b i s et monent christianos, ut tempore opportuno fugiant. Tribulationem huius ruinae esse maximam; atque etiam hac occasione apparituros esse pseudoprophetas, qui m i r a c u l a p a t r a r e g e s t i u n t atque multos seducunt...» (2). Explicatio vim ipsius versus enervat. Evangelium enim non solum asserit fore ut falsi vates «miracula p a t r a r e g e s t i a n t», sed etiam ut r e i p s a e t v e r i t a t e «dent signa magna et prodigia».

Ut rem pro nostra parte explicemus, a primo membro capiamus exordium: «Surgent pseudochristi et pseudoprophetae». Quod hoc membrum ad Hierosolymae eversionis tempora respicere potest, a R. P. Lagrange copiose probatur, iis omnibus subtiliter accurateque perpensis quae Jose-

(1) *K. Weiss* allatis opere et loco, § 2, p. sqq.—*Cellini, Saggio storico-critico di esegesi biblica sulla interpretazione del sermone eschatologico*, sez. 2.ª, Firenze 1906, pp. 67-71.
(2) *De Eccl.*, Tract. I, cp. II, q. I, n. 116, p 86.

phus tradit, quantumvis licet hic auctor connitatur ut vim «messianismi» in omnibus, quae ad judaicum bellum spectare videantur, dissimulet atque obtegat (1). Primum igitur membrum ad duo illa tempora, quae interminato quodam nec definito prospectu per vocabulum tunc significantur cum versu 15 arcte conjunctum: «cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto...», scilicet tum ad Hierosolymae excisionis tum etiam simul ad postrema tempora, respicere videtur.

Idemne de altero membro: «et dabunt signa magna et prodigia...» dicendum erit? Generatim notari debet eam esse loquendi rationem, communi quodam in usu atque hominum sermone collocatam, ut orationis duo membra, quamvis neutrum neutri subjiciatur sed utrumque quasi primarium existat conjunctione quadam jugatum, ne uno semper tenore fluant eodemque cursu ad idem usque pertineant; fieri enim potest ut membrum alterum sub hac illave ratione angustius valeat nec eo usque, quo primum, se porrigat. Contractionem hanc res ipsa, contextus, similia, possunt majorem minoremve monstrare. Jam vero si alterum nostri loci membrum «...et dabunt signa magna...» cum priore conferetur, animadvertetur non genus actionis eo notari cum muneris falsorum christorum falsorumque vatum exercitatione necessario junctum, sed potius vehementiorem quamdam acerbitatem perpetui ad seducendum conatus et impetus quo falsi christi falsique vates semper agitantur. Quapropter nullo pacto necessarium videtur vehementiorem istam acer-

---

(1) *Le Messianisme chez les Juifs*, part. 1.ª, cp. I, p. 21 sqq.—Perfecto et concluso rem veram esse de falsis christis, «a fortiori» idem de falsis vatibus erit concludendum.

bitatem esse perpetuam et ad universum illud tempus, quod verbum t u n c infinita quadam ratione designat, pertinere; satis est, si extraordinarium quiddam apparet, scilicet si temporis spatium ostendit quo seductionis malum extra ordinem ingravescit. Quod si ita est, optime fieri potest ut Salvatoris affirmatio summum seductionis ostendat et solis turbulentissimis temporibus rerumque condicione difficillima propriam obtineat veritatem: tempora autem ista rerumque difficillima condicio manifesto postrema sunt tempora.

Idem alia ratione firmemus. Ut ad hujus affirmationis veritatem: «Surgent pseudochristi et pseudoprophetae et d a b u n t s i g n a m a g n a ...», sine ulla dubitatione necesse non est a s i n g u l i s falsis et christis et vatibus «dari signa magna et prodigia», immo ne signa quidem simpliciter, nam affirmatio ad universitatem infinita quadam ratione proprie respicit: ita nihil etiam causae apparet quare sit necesse «dari signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi» t o t o eo tempore quod vocabulo t u n c generatim, universe, modoque non definito notatur. Immo ob ipsam rei materiam recte fieri potest ut maximae acerbitatis tempus dumtaxat designetur, tempus videlicet quo seductio ad summum pervenire videatur.

Quapropter duorum sententia membrorum huc recidere videtur: «Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et e o u s q u e r e s p r o g r e d i e t u r ut etiam dent signa magna et prodigia...».

Punctum tertium: vers. 29-36

Quanam in re consistant motus illi universitatis mutationesque permagnae versu 29 descriptae, nihil est cur subtiliter disseramus. Sive propriis verbis sive potius translatis totum illud exprimi ju-

dicamus, id, quidquid est, ad totum locum interpretandum vix conferre quidquam videtur. De aliis igitur solliciti sumus; imprimis autem de eorum omnium, quae subsequuntur, prospectu.

Itaque hoc loco magna illa compositio et quasi compactio quam in tota Salvatoris oratione usque ad versum 28 adesse probavimus, perire atque dissolvi prorsus videtur. Etenim re vera, si a versu 15 ad 28 de postremis tantum temporibus sermo habitus esset, ab iis versibus ad versum 29 et insequentes plana esset atque aperta transitio. Scilicet in iis affirmaretur Christum «statim post magnam tribulationem dierum illorum» ad judicandos homines esse venturum. At vero nos quasi interminatum infinitumque prospectum ibi esse defendimus, quo posito, verba illa «tunc, in illis diebus ...» et quae his verbis significata et inclusa narrantur, ad duo simul respiciunt tempora: ad Hierosolymae eversionem et ad «saeculi consummationem». Jam vero, si quum ad versum 29 pervenimus ubi illa continentur: «Statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur», alia dabuntur horribilia signa, veniet Christus ad humanum genus judicandum, locum affirmamus ad postrema tantum tempora respicere, videmur ad libidinem agere; haec autem inconstantia et immoderata libertas totum, quodcumque antecedit, circuitione quadam attingit; aut enim cuncta cohaerentia et continuata stant, aut cuncta eodem labefactata motu concidunt. Quod si constare nobis volumus ob eamque rem quod in versu 29 et subsequentibus narratur, ad duo tempora libet accommodare, desperatam causam agimus, et id quod fieri nequit, stulte persequi videmur; nam quod versu 29 et insequentibus narratur, semel tantum evenire potest; quod si semel tantum,

manifesto id erit postremis temporibus. Etenim re vera, quamquam motus illi mutationesque versu 29 descriptae possunt sua vi suaque natura tempore eversionis Hierosolymae ad certam mensuram evenire, sed tamen ita describuntur ut ad gloriosum Christi adventum quasi introitus quidam seu quasi sollemnis illius comitatus esse videantur: «...sol obscurabitur &., et t u n c parebit signum Filii hominis in caelo, et t u n c plangent omnes tribus terrae et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli &.» (1). Jam vero gloriosus Christi adventus u n u s est. Ergo hic Salvatoris adventus et spectaculum illud insolitum atque terribile, quod adventum introducit et quasi circumdat, evenire debent non bis seu post singula duo illa tempora, quae antea prospectu tantum quodam infinito conspiciebantur, sed omnino p o s t u n i v e r s u m t e m p u s, s e m e l proinde, postremis scilicet temporibus.

Plane ita est. Quod versu 29 narratur, id s e m e l tantum evenire potest, videlicet postremis temporibus. In nostra igitur interpretatione, quum ad versum 29 pervenimus, necesse est ab infinito interminatoque prospectu ad definitum, eumque plane eschatologicum, prospectum transitum fieri. Id quum agimus, ad arbitriumne nostrum agimus, an rectus legitimusque fit transitus?

Patet nostro quidem judicio rectum legitimumque fieri transitum; id autem ita esse connitemur nunc ut exponamus rationibusque firmemus. Ut

---

(1) Accurate admodum scribit *R. P. Lebreton:* «...les images apocalyptiques sont susceptibles d'interprétations différentes; à elles seules elles ne détermineraient pas avec certitude la catastrophe ici décrite; on pourrait y voir non la consommation des siècles, mais la ruine de Jérusalem et du temple. Mais l'incertitude est levée par ce qui suit: l'apparition du Fils de l'homme devant qui se lamentent toutes les races de la terre, et le rassemblement des élus d'un bout à l'autre du monde. Ce sont là les éléments essentiels de cette prédiction, &.»: *La Vie et l'Enseignement de Jésus Christ N. S.*, II, part. 2.ª, cp. V, § 7, p. 207.

vero rem obtineamus, a communi pervagatoque principio capiamus exordium. Quod principium sic se habet: «Quum eventus aliquis variis ex partibus constat, quarum singulae eodem possunt nomine quo totus eventus appellari; aut etiam —quod nostra plus refert— quum duo eventus eo statu eaque condicione exhibentur ut hac de causa eodem possint nomine appellari, appellantur autem modo quodam minime definito minimeque distincto (1): tunc, si quid forte deinde affirmatur tamquam usu venturum post eventum eventusve transactos, nomine quidem communi notatos, sed ratione quadam per illas voces, quae «pronomen» vel «articulus» vocantur, definita omnino atque distincta, nulla vi, immo perspicuitate magna, id quod post eventum eventusve transactos usu venturum affirmatur, p o t e s t saltem ita intelligi ut recte de toto, sive eventu sive variis eventibus, praedicetur». Quod alia in re postea evolvemus, afferamus exemplum. Ponamus aliquem ita loqui: «Tempore quo hic vel ille magistratum habebit, i n q u i s i t i o s e v e r a v e l i n q u i s i t i o q u a e d a m s e v e r a (2) in magistratus fiet &.; statim autem, inquisitione i s t a vel inquisitione h a b i t a i s t o t e m p o r e absoluta, multa obvenient maximi momenti».

Haec loquendi ratio pervagata est atque communis. In qua haec notari possunt: a) Ratione infinitatis habita quae in illis verbis inest «i n q u i s i t i o s e v e r a» vel «i n q u i s i t i o q u a e d a m s e v e r a» fiet, ejusmodi inquisi-

(1) Nostra nihil refert eventum eventusve certo appellari nomine *meram qualitatem significante*, etiamsi adesset ille qui dicitur a grammaticis «articulus determinativus»: v. gr. graece: «ἔσται γὰρ τότε θλίψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν...» hispane: «tendrá lugar la tribulación mayor que haya existido jamás».

(2) Hispane dicimus: «habrá *inspección rigurosa*», vel «se hará *una inspección rigurosa*».

tio ex variis actionibus constare potest quarum singulae eodem possunt nomine notari, vocari. Quin, possunt etiam esse varii generis inquisitiones atque disjunctis factae temporibus, quamquam ejusdem magistratus orbe comprehensae; et tamen nihilominus omnes istae inquisitiones in membrum illud infinitum «erit inquisitio severa» includi recte vereque possunt. —b) Hoc posito, quum ad vocem «inquisitio» vocabula illam definientia: ista vel isto tempore habita, similia, adjunguntur, asseriturque simpliciter, nulla declaratione apposita, fore ut, inquisitione ista absoluta, varia maximi eventura sint ponderis, tum maxime planum est, aut saltem aeque planum videtur verbo inquisitionis cunctas simul intelligi inquisitiones, proinde quae postea evenient, semel tantum esse eventura, nimirum absoluta universa inquisitione sive cunctis illis inquisitionibus quae antea communi quodam nomine vocabantur.

Veniamus nunc ad S. Matthaeum. Versus 21 capitis XXIV sic sonat: «...ἔσται γὰρ τότε θλίψις μεγάλη...». Ita plane; nulla ergo notatione apposita praeter eam qua inquisitionis qualitas ostenditur, quamadmodum superiori exemplo severitas solum de inquisitione praedicabatur: «inquisitio vel inquisitio quaedam severa fiet». Contra, versus 29 definite sonat: «...εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων...». Similiter apud S. Marcum. In versu enim 19 capitis XIII ita legimus: «...ἔσονται γὰρ αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι θλίψις, οἵα οὐ γέγονεν τοιαύτη...» (1). Contra, versu 24

(1) Sermo a S. Marco adhibitus idem significat quod adhibitus S. Matthaeo v. 21 Res clarior apparebit, si versum 29 ex S. Matthaeo cum versu 24 ex S. Marco conferimus.—Hispane ita vertemus: «...pues serán los días aquellos *de* tribulación tal cual no la hubo, &.».

scribitur: «...ἀλλὰ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλίψιν ἐκείνην...».

Quapropter in versibus 29 apud S. Matthaeum et 24 apud S. Marcum, apposito vocabulo quo res definitur et quasi terminis continetur (μετὰ τὴν θ. ἐκείνην, μετὰ τὴν θ. τῶν ἡ. ἐκείνων) idem verbum exhibetur, θλίψις, infinita quadam ratione antea prolatum; quod verbum praeterea, utpote cum membro illo tempus significante «quum videritis abominationem...» colligatum, duos eventus notat vel saltem duos eventus notare potest, simili quidem ratione consideratos, sed intervallo temporum longissime disjunctos.

Quae quum ita sint, ergo in versibus 29 apud S. Matthaeum et 24 apud S. Marcum recte omnino, legitime, plane: a) verbum θλίψις, vocabulo definiente apposito, totum illud significare potest quod infinita tantum ratione eodem verbo antea notatum erat; b) proinde ita rem intelligere similiter possumus ut eventus, qui statim, magna tribulatione absoluta, eventuri dicuntur, semel tantum eveniant, videlicet post universum tempus quo tribulatio magna eventura bis est.

Quod quidem satis est nobis. Verumtamen, licetne ultra progredi atque affirmare nos non solum posse, sed etiam debere ita rem cogitare ut eventus, qui post magnam illam tribulationem evenire dicuntur, semel tantummodo eveniant, post universum scilicet tempus quo tribulatio illa magna, quoties accidet, circumscribi necesse est?— Certe, si rem ipsam, quae agitur, attendimus. Hoc tamen solum non satisfacit; id enim agitur ut certam quamdam interpretationem legitimam esse defendamus probemusque in tota serie rerum explicanda eam sibi constare.—Itaque etiamne, si

formam ipsam attendimus, idem affirmare debebimus? Id asseverare non audemus. Verum enimvero, quamvis, forma ipsa sermonis considerata, tota res ita posset cogitari ut eventus qui post magnam tribulationem sint usu venturi, post illa duo singillatim obveniant quorum singula, quamvis disjuncta sint tempore, tribulationis magnae nomine appellantur, tamen neque id unum legitimum nec fortasse maxime planum videtur. Id autem est causae quod nomen, in singulari numero positum, articulo affectum ac «demonstrativo pronomine», non videtur singillatim unumquodque eorum respicere quae antea communi quadam et infinita ratione sunt considerata, sed ad totum illud, uno et eodem nomine antea designatum, simpliciter referri.

Quaecumque igitur diximus, ex iis concludendum videtur prospectum illum, qui usque ad 29 versum infinitus erat seu quodam tantum modo nec definito neque distincto eschatologicus, inde ab ipso versu 29 in prospectum verti definite eschatologicum, hunc porro transitum plane existere perfecteque legitimum.

Restat ut, antequam ultra progredimur, notemus in eo membro quod fici parabolam subsequitur: «...ita et vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est, in januis» (v. 33), verbis illis omnia haec totum illud plane aperteque significari quod supra dictum est fore ut alterum Christi adventum antecedat. Aliter si agemus, videbimur ad arbitrium interpretationem fingere. P. Prat eo usque progreditur ut de illa asserat: «...serait la plus arbitraire des exégèses» (1).

Orationis «subjectum» in eo inciso «scitote quia prope est, in januis» Filius hominis videtur esse de quo in proximis superioribus versi-

(1) *Jésus Christ*, II, l. IV, cp. IV, § II, p. 252.

culis 30-31 fuerat sermo. At, quum Filius hominis «cum virtute multa et majestate» ad humanum genus universum judicandum veniat, eo veniente, —quod ait S. Lucas— (1), venit quoque «regnum Dei», nempe «regnum Dei» statu jam in perpetuum integro atque perfecto (2).

33-36. Urget jam tempus horum interpretandi versiculorum quibus Domini mostri ad apostolorum interrogationes: «Quando haec erunt, et quod signum adventus tui et consummationis saeculi?» responsio absolvitur. Apostoli quidem sic interrogant, quod initio diximus, ut templi eversionem in ea tempora, quibus erit «adventus Christi et consummatio saeculi», videantur includere. Quapropter eorum interrogatio, haec duo eventa vel haec duo eventorum genera re quidem ipsa sive, ut ajunt, materialiter attingit, formaliter tamen considerata, scilicet ea totius sermonis conformatione qua composita est, ad postrema respicit tempora.—Quo etiam modo est formata responsio? Salvatoris responsio verbis conceptis atque directo interrogationibus respondet pro earum forma et tenore quo fluunt —«secundum aspectum formalem», diceretur in schola—; implicito autem modo neque directo pro earum tota materia seu pro duobus eventis quae interrogationibus re vera comprehenduntur.

---

(1) XXI, 31.

(2) Haec est maxime plana simplexque ratio declarandi in hac etiam minuta re quemadmodum S. Lucas cum duobus aliis synopticis congruat. Similem adhibuimus rationem, quum S. Matthaeum XVI, 28, perpeudimus, eumque cum S Marco IX, 1 et S. Luca IX, 27 contulimus, quamvis ibi alterius generis contrariae rationes urgerent.—Ceteroqui juvat notare S. Augustinum, quamvis licet in his, quae ad sermonem eschatologicum spectant, de tot rebus dubitantem et ad *spirituales* interpretationes tantopere inclinantem, tamen aperte pronuntiare loco illo S. Lucae XXI, 31 alterum Christi adventum manifesto monstrari: «Item quis non videat ad adventum Domini novissimum pertinere, quod dictum est: *Cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei?*»: *Ep.* 199, n. 27; ed. *Goldbacher*, CV, v. 57, pars IV, p. 267.

1. Responsionis expressae vis atque forma: «aspectus, ut ajunt, formalis».—Domini nostri verba jam inde a principio ad locum usque nostrum diximus ad tempora eschatologica respicere, et primum quidem eventis quibusdam a signorum genere secernendis, deinde quasi integumentis paululum aperiendis per quae tantulum e futuris prospicere liceat, quippe quum haec proponantur interminato quodam eschatologico prospectu, qui tandem distincte ac definite fit eschatologicus, et in hoc statu deinceps perseverat. Proinde hoc definito modo usque ad versum 33 pergit: «...ita et vos quum videritis haec omnia, scitote quia prope est, in januis».

Hoc posito, quum ad hunc locum pervenimus, interrogationi illi: «...et quod signum adventus tui et consummationis saeculi?» jam est data responsio. Sane, in his omnibus quae antecedunt, data sunt signa, sive haec ab «horrifica abominatione» incipiunt, sive a quassata natura, quam solis obscuritas, stellae occidentes, similia, demonstrant. Planum erat a dandis signis duci responsionis exordium, antequam tempus ipsum indicabatur. At in versu 33 incipit jam Dominus illi respondere interrogationi: «...quando haec erunt?». Primum autem tempus ostendit, quod vocari nunc solet «relativum», nempe tempus quatenus cum descriptis signis colligatur: «...cum videritis haec omnia, scitote quia prope est, in januis». Mittamus interea versus 34 et 35; ad versum 36 accedamus. Ex his enim duobus versiculis, 33 et 36, qui inter se respiciunt et quasi opponuntur, integra constat ad interrogationem «quando?» responsio. Omnibus, quae descripta sunt, praeteritis signis, versus 33 ait Filium hominis tunc «prope futurum, in januis». En tibi quod unum ex his, quae ad parusiam spectant, certo poterit illis cog-

nosci temporibus (1). «De die autem illa et hora, pergit Dominus in versu 36, nemo scit... nisi solus Pater». Etsi certa erit propinquitas, permanebit semper incertus «dies i l l e (2) et hora», sollemnis profecto si quae umquam futura est, quum Filius hominis veniet ad humanum genus universum judicandum. Istius temporis opportunitas auctorem et principem solum habet Patrem, hoc est, ipsi soli attribuitur; ut enim operis redemptionis initium, sic etiam extremum soli Patri attribuitur, et sub hac ratione atque sententia solus Pater illud novit et solius est Patris arcanum istud aperire (3). Quapropter mysterio circumfusum et tene-

(1) Subtile quiddam diceret, a proposito tamen aberrans, si quis perspicuam istam affirmationem obscurare vellet et enervare eo quod singulis temporis punctis asseri possit, immo sit de fide «Christum venturum esse cito», tunc quidem totum istud tempus pro nostra parte respondebimus, significare Christus voluit, quum asseruit : «...cum videritis haec omnia, scitote quia prope est, in januis?» Si Christus semper prope adest, quid sibi vult definiti cujusdam temporis designatio? Sequamur igitur id quod «sensus communis» decernit et docet, revelata veritate nixus. Quum, integra universitatis historia simul considerata, asseritur simpliciter «Christum venturum esse cito», tunc quidem totum istud tempus respici potest cum aeternitate collatum; quidquid vero temporis cum aeternitate confertur, id profecto perbreve est. Idem porro dicatur de quacumque temporis parte, si cum aeternitate confertur. At, quum *humanorum eventorum series quaedam in se ipsa consideratur,* de uno autem intra istam seriem posito et cum ceteris in eadem serie positis collato proprie et singillatim asseritur fore ut, quum illud accidat, Christus jam prope adsit, tunc ad communem mensuram collationemque sermo refertur, non autem ad certam quamdam mensuram et collationem quae pro designato quolibet temporis puncto idem possit omnino valere.

(2) Vox *illa* (ἐκείνης) sollemne quiddam sonat quod in totum membrum redundat, suaque sponte revocat animos ad majestatem illam gloriamque divinam quibus eo die Christus Salvator noster decoratus apparebit. Sollemne istud de loco detrahunt qui exstare et eminere non faciunt illud ἐκείνης: notam praeterea apponunt quae punctum ipsum temporis imprimis faciat insigne; quo quidem periculum est ne duorum versiculorum 33 et 36 mutua collatio et quasi respectus ita infringatur ut nonnihil puerile sonare videatur. Ex. causa : «...De die autem illa et hora, omnino accurate et designatione perfecta, nemo scit...» At ejusmodi vis et designatio hoc Evangelii versu non continetur.

(3) Scriptores quidam e recentioribus mirantur quod in vv. 33 et 36 haec dicitur inesse sententia ut certa affirmetur temporis propin-

bris punctum ipsum temporis permanet, et generatim alterius Christi adventus tempus quod vocant «absolutum».

De versibus nun 34 et 35 pauca dicamus. Summo cum studio atque constantia, ne dicamus fere pertinacia, contendunt non pauci scriptores recentes ut probent his versibus ad illam apostolorum interrogationem: «quando haec erunt?» dari responsum. Verum enimvero ejusmodi interpretatio a Sanctorum Patrum interpretatione simpliciter aberrat; degressio quaedam est ab ea via quam nobis illustrem atque latam majores nostri patefecerunt. Satis copiose haec supra docuimus. Simul etiam probavimus f i e r i p o s s e ut in versu 34 sub verbis ἡ γενεὰ αὕτη alia sit subjicienda sententia qua tempus proprie non exprimatur.

At re ipsa quaenam proprie subjicitur sententia? Si f i e r i p o t e s t ut sub vocibus γενεὰ αὕτη ea subjiciatur sententia qua tempus proprie non exprimatur, existimamus id demum optimum esse argumentum ad probandum talem re ipsa sententiam subjici, modo, posita verborum γενεὰ αὕτη notione quae tempus non significet, aptam nihilominus et cohaerentem totius orationis exponamus vim atque sententiam. Haec autem cohaerens et apta sententia in eo tandem consistit ut integra spectet et valeat oratio ad affirmandum sollemni quodam modo, jurisjurandi instar, cuncta, quae adhuc dicta sunt, certissimo cursu esse eventura. Praeterea, iis omnibus admissis quae hactenus declarata sunt, si aequalium Jesu aetatem sub vocibus γενεὰ αὕτη forte subjeceris, interpretatio-

quitas, incertum vero tempus usque ad ipsum «diem et horam». Haec admiratio recentissima quoque est. Neque apud Sanctos Patres neque apud magnos praeteritorum temporum theologos admirationem istam licet generatim invenire. Cfr. *Suárez*, de nonnullis disputantem, quae ad id spectant in *Defensione fidei*, l. V, cp. VIII, nn. 3, 15 sqq.

nem confeceris non violentam solum sed eam etiam quae vix possit mente comprehendi.

Quapropter totam complectamur hac potius ratione sententiam. Postea quam Redemptor noster propinqui sui adventus praecurrentia signa descripsit, insolita majestate quaecumque dicta sunt urget verborumque suorum quae, quamvis caelum et terra in nihilum intereant, ipsa tamen permanebunt, aeterna firmitate confirmat: «Amen dico vobis, quia non praeteribit populus sive natio haec, donec omnia haec fiant. Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.» Si —quod in versu 35 nihil obscurum esse videatur— versum 34 tantummodo respicimus, duo quasi elementa in sollemni Domini affirmatione reperimus: 1) omnia quaecumque sunt dicta, fore ut eveniant; eventura porro, 2) «antequam natio haec populusve delebitur». Primum videtur esse praecipuum, in quod vis ac pondus, proinde majestas et gravitas orationis incumbit; alterum quasi affectio et modus est primi. Profecto ne umbra quidem esset obscuritatis, si Dominus simpliciter dixisset: «Amen dico vobis quia... omnia haec fient.» Sed modum quemdam adjicit Dominus: «Amen dico vobis quia non praeteribit generatio (n a t i o, p o p u l u s, g e n s) haec, donec omnia haec fiant»; scilicet haec omnia evenient. gens vero ista seu natio omnes hos eventus videndo experiendoque cognoscet.

Modus hic ad orationem principem adjunctus nihil habet admirationis, quum tota oratio eschatologica sit, ut ita dicamus, «judaeo-centrica»; est praeterea peroportuna atque plana, nam id, quod auditores singulari ratione commovebat, illustrat, atque exstare et eminere facit. Tota denique orationis sententia apte cohaeret perfecteque constat; quod si princeps vocis γενεά usus attenditur, ejusque, ut scholae verbis utamur, s i g n i -

ficatio formalis, qualem initio satis copiose exposuimus, plana etiam existit atque perspicua sententia.

Adversus eam nihil tela valent quae ab iis, qui vocibus γενεὰ αὕτη tempus significari volunt, firmiter intorqueri videntur. Omnia enim jaciuntur, posito ad apostolorum de tempore interrogationem per versum 34 responderi (1). Suscepta praeterea a nobis extra tempus explicatio illam etiam habet maximam opportunitatem quod in sententia est jam inde ab ultima antiquitate perspicue proposita et apud Sanctos Patres communi prorsus et pervagata. Eam quum nos tenemus, nihil aliud facimus nisi omnium paene Sanctorum Patrum imitamur exemplum.

2. Responsioni subjecta materies. — Duo eventa vel duo eventorum genera in postrema tempora re ipsa includebant apostoli: templi eversionem et gloriosum Christi adventum «saeculique consummationem». Ad apostolorum interrogationem, quatenus Christi adventum et «saeculi consummationem» attingit, quid Dominus responderit, modo vidimus; haec enim duo facta, tum re et veritate tum ipsa etiam interrogationis considerata forma, ad postrema tempora respiciunt.

---

(1) Cfr. *K. Weiss*, opus et locum adductum, § II, p. 106 sqq., ubi collecta sunt atque acriter urgentur omnia fere quae objiciuntur, positis his quae supra significavimus. De locis autem quibusdam Sacrae Scripturae a Weiss adductis quasi sibi respondeant Hierosolymaeque excisionem contineant, respondemus quosdam nequaquam sibi respondere neque apud Professorem Weiss argumentum a nobis inveniri. Quod si permittimus ut unus et alter sibi respondeat, de his quoque idem quod de v. 34 affirmamus. Praecipuus locus, qui maxime objicitur, ille est e S. Matthaeo XXIII, 36: «Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam». Breviter respondemus: 1.°) Sententia plena est atque perfecta. si ita sonat: «...super nationem istam...»; 2.°) paucis exceptis, majores nostri «generationem istam» eodem fere modo in hoc versu quo in v. 34 e capite XXIV interpretati sunt. Cfr. *Prat. Jésus Christ*, II, lc., p. 255.

Respondetne etiam Dominus apostolorum interrogationi, quatenus re ipsa deque illorum sententia templi excisionem comprehendit? Certe, quamquam non directo, sed quasi circuitione quadam. Profecto vidimus a Domino nostro, secretis jam a signorum genere certis quibusdam eventis, vicissim, tamquam signum ad praecipitem subitamque fugam, «abominationem desolationis» ostendi; hanc vero «abominationem horrificam», sub prospectu temporis propositam interminato et infinito, ad Hierosolymae etiam eversionis tempus respicere.

Jam vero, quamvis Dominus noster templi eversionem conceptis verbis non exprimat, directe autem tamquam signum ad fugiendum solam «abominationem desolationis» ostendat, tamen si illa Christi vaticinatio de templo: «non relinquetur hic lapis super lapidem» (v. 2) ante oculos versatur, si statim insequens apostolorum interrogatio «quando haec erunt?» memoria fideliter tenetur, liquet eo spectare fugam ut proposita ibi calamitas declinetur, proinde calamitatem post designatum tempus ad fugam vehementer instare. Circuitione igitur quadam seu modo non directo Dominus evertendi templi dat signum, eaque re tempus, ut ajunt, «relativum» demonstrat, videlicet templi eversionis tempus ostendit, quatenus cum «abominatione desolationis» colligatur. Itaque ad utramque respondet interrogationem: «quando?» et «quod signum?».

Iis omnibus, quae adhuc diximus, explicatis, facile est videre quemadmodum «abominatio desolationis» signum potuerit esse Judaeorum calamitatis. Immo vero, ultra progredi fortasse possimus, atque illud adjungere quod «abominatio desolationis», etiamsi t o t a consideratur, proinde cum fano violato et incenso, potuit esse signum. Nam re vera, praedicta vaticinatione cala-

mitas (v. 2) in eo consistebat quod «non relinquendus erat lapis super lapidem». Atqui, violato atque incenso templo, fieri omnino potuit ut tam horribilis eversio non eveniret; «abominatio tamen horrifica» a Christo praedicta Judaeos illius, quod re ipsa evenit, facere debebat certiores. Tito narrat Josephus (1) incolumitatem fani cordi fuisse, proinde eum contendisse, fano etiam ardente, ut extingueretur incendium; quum vero id assequi non potuisset, jussisse urbem totam, praeter turres quasdam murique partem, ipsum etiam fanum funditus everti; de fano conceptis verbis fit mentio (2).

§ III

Animadvertenda ad extremum

S. Matthaei, S. etiam Marci, quae eadem est ad summam, interpretatione perfecta, dixerit fortasse quispiam sic ab ea Salvatoris verba declarari,ut apostolorum errori de duobus eventis, templi eversione et parusia, in eschatologica tempora includendis favere videantur.

Contraria haec ratio, si re et veritate contraria est, quamlibet interpretationis formam —quod facile probari potest— premit et urget. Quocumque autem modo agnoscendum est obscurum quoddam et infinitum unde ortae sunt variae admodum interpretationes, in quibusdam etiam disparatae; «exegesis» historia id perspicue ostendit. Singuli igitur interpretes illustre hoc factum memoria teneant, neque id nitidum, collustratum, evidens efficere conentur quod Dominus noster tenebris et umbris voluit esse involutum. Nunc autem de

(1) *Bell. Judaic.*, l. VI, cp. 4; ed. *Naber*, lc., p. 102 sqq.
(2) Lc., l. VII, cp. 1; lc., p. 130: κελεύει Καῖσαρ ἤδη τήν τε πόλιν ἅπασαν καὶ τὸν νεὼν κατασκάπτειν

interpretandi genere a nobis suscepto, haec animadvertenda censemus: «Si omnino in unum S. Matthaei et S. Marci locum considerationem intendimus, affirmare debemus noluisse Salvatorem nostrum sive conceptis verbis duo eventa tempore disjungere, sive conceptis etiam verbis conjungere in idemque tempus includere».

1. Noluit Dominus duo eventa disjungere. — Hac super re verissime scribit R. P. Béda Rigaux: «N'est ce pas à la lumière des événements et non pas des textes que nous percevons la distinction de temps entre les deux objets de la prophétie? Il serait étonnant que si l'intention de Jésus eût été de distinguer les deux événements, il eût été si mal compris» (1). Duplex notatur praecipuum discrimen (2) quod ab ipso Jesu propositum dicitur ut duo eventa distinquat; sed utrumque multis obscurum et disputationibus prorsus subjectum videtur. Summa autem: discrimen tum in eo esse quod in altero eventu cohortatio est ad fugam, in altero fuga desperata; tum in eo quod ad alterum eventum Jesus indicat tempus, videlicet praesentem generationem seu aetatem (v. 34), ad alterum nulla prorsus indicia vult dare (v. 36). Sed haec antea nos jam cuncta perpendimus, reperimusque ad finem obtinendum satis esse obscura et controversa, et ob eam causam ad disjungendum non satis accommodata.

2. Noluit praeterea Dominus duo eventa conceptis verbis in idem tempus includere. — Ad hanc inclusionem nullus nos locus impellit. Orditur Dominus ab illa perspicua affirmatione «non relictum iri lapidem super lapidem». «Quando?» per-

(1) Lc., cp. 224, not. 3.
(2) Cfr. v. gr. *Lagrange, L'Év. de Jésus-Christ*, cp. V, § V, p. 476

contantur statim apostoli. Tum autem pro manifesta declaratione qualis fuerat antecedens quae in solo facto versabatur, potius in omnibus ad Hierosolymae templique eversionem spectantibus cauta quaedam obscuritas et quasi infinitio affertur quae suspensum animum incertumque tenet. Ne unum quidem verbum de excisione ista aperte palamque profertur in universa Domini responsione, prout a S. Matthaeo et Marco adducitur. Solum ad eam pertinent arcana illa verba: «q u u m v i d e r i t i s a b o m i n a t i o n e m d e s o l a t i o n i s &».

Quod si nunc consideramus quatenus fuerint apostoli Salvatoris verbis affecti, nihil, quantum ex eorum praedicatione factisque potest colligi, reperiemus isti cogitationi favere quod apostoli p o s t Salvatoris responsum templi eversionem alterumque Christi adventum tempore junxerunt. Ante annum 70 scripta quae nobis apostolorum dicta, facta produnt, totam hanc rem cautissime attingunt, vel potius, quaecumque detur occasio, magno silentio praetereunt. Quapropter nequaquam potest asseri apostolos Salvatoris responsione in suo fuisse errore firmatos. Quod si S. Paulum nominatim respicimus, illud addere possumus quod Doctor et Apostolus Gentium, quum judaicae nationis repudiatione praedicta, simul ejusdem conversionem ad postrema tempora posteaquam «plenitudo Gentium intraverit» in Ecclesiam (1), ostendit, «saeculi consummationem» circuitione quadam modoque non directo a Hierosolymae templique eversione disjungit, quandoquidem non satis intelligitur calamitatem damnationemque istam illico evenire post universae Judaeorum nationis conversionem.

(1) *Ad Rom.*, IX-XI

Absoluta magna ista Hierosolymae templique eversionis calamitate, quaestio nulla est. Tunc res veritasque ipsa templi eversionem «saeculique consummationem» palam ante omnium oculos tempore disjuncta proponit. Confestim oriuntur interpretationes, magna formarum modorumque varietate; ad extrema abeunt aliae, aliae potius convenire et concordare conantur. Verum tamen haec ipsa varietas et copia indicio est qua obscuritate, quo etiam mysterio Domini verba obtegantur.

His quae adhuc a nobis notata sunt, unum potest objici. Videlicet vehemens aliquis scholae eschatologicae sectator potest fortasse factum illud adducere quod ultima christianorum aetas, sive, ut accuratius loquamur, quod in ultima christianorum aetate appropinquare vel etiam instare credebatur parusia. Id docere videntur ipsa apostolorum scripta. Ergo tum apostolis tum ceteris primae illius aetatis fidelibus persuasum erat duos illos eventus, templi eversionem atque parusiam, m o r a l i, ut dicunt, modo tempore esse conjuncta.

Ut totam hanc rem satis illustrare possimus, locos quosdam eschatologicos, quos nondum attigimus, perpendere necesse est, quibus generatim videtur Dominus a p p r o p i n q u a n t e m s u u m a d v e n t u m seu e t i a m i n s t a n t e m nuntiare. Id nobis explicandum proponimus, omnibus, quae ad sermonem eschatologicum proprie spectant, absolutis. Interea, nonnulla dumtaxat notabimus. 1) Haec autem sit prima notatio, aliud Salvatoris nostri esse apostolorumque verba, aliud horum verborum per alios factam interpretationem, multoque magis aliorum propriam cogitationem cujus origo obscura esse potest multisque deberi influentibus causis. Quod nostra nunc maxime interest, primum est, nempe

Salvatoris nostri apostolorumque verba. —2) Hoc posito, notandum est vocabulis a p p r o p i n - q u a r e e t i n s t a r e vim inesse quae tota pendet a temporis mensura ad cujus rationem quaedam appropinquare vel instare dicuntur, fierique bene posse ut duo eventus certa quadam ratione et ad quamdam temporis mensuram sibi inter se valde propinqui esse videantur, ob eamque causam quodammodo tempore conjuncti existimentur, quum tamen alia quadam ratione et ad aliam temporis mensuram alter ab altero tempore disjunctus et quodammodo quasi procul esse optimo jure dicatur. Quapropter, non si Dominus vel apostoli simpliciter dicunt supremum diem esse propinquum, ideo concludi oportet Hierosolymae eversionem «saeculique consummationem» o m n i m o d o e t r a t i o n e esse conjuncta; fieri enim potest ut hac ratione et modo conjuncta, illa ratione et modo disjuncta esse videantur. Nempe arcanae istae Domini apostolorumque affirmationes satis longum intervallum inter utrumque eventum interjectum esse permittunt, quamvis iidem eventus ad aliam mensuram et ordinem considerati, exempli causa ad aeternitatem, tempore propinqui et quodammodo quasi conjuncti dici posse videantur.—3) Postremo, si ad fidelium aetatem anno 70 antecedentem accedimus, ejus quidem sensus sententiamque d i r e c t o non novimus; id tamen possumus jure ac merito ponere quod generatim atque universe fidelium sensus cum apostolorum praedicatione congruebant, nullo tamen modo negata rudi illa et imperfecta rerum intelligentia quae discipulorum est propria, illorum imprimis eo tempore discipulorum, immo neque deviis quibusdam et aberrantibus interpretationibus exclusis, quarum multae variaeque cau-

sae esse potuerunt (1). Deviae cujusdam interpretationis certiores nos facit S. Paulus (2). Putabant nimirum Thessalonicenses parusiam instare. Ut eos ab errore isto removeat, in memoriam reducit gravissima duo facta ante gloriosum Christi adventum esse eventura: discessionem (ἡ ἀποστασία) et «hominis peccati» praesentiam. Jam vero neutrum evenit. Ergo parusia non instat. Profecto hujuscemodi ab apostolo traditae explicationes parusiae tempus in obscuro et ambiguo relinquunt. Quamvis enim parusia non instet, potest tamen esse propinqua, nam fortasse in tempore non longo fieri potest ut illa duo praecurrentia facta eveniant; at potest etiam parusia morari, propterea a templi excisione satis longo temporis intervallo esse disjuncta. Ergo affirmari nequit duo haec facta intus in animo ab apostolo tempore conjungi.—Altera S. Petri epistola quosdam etiam anxios nobis ostendit qui temporis dilationem in faciendo promisso moram Domini putabant (3). Praeclaram apostolorum Principis responsionem explicabimus postea. At, quod ad nostram rem attinet, manifestum omnino est nihil prorsus in ea reperiri quod vel tantulum faveat et inducat ad templi eversionem et «saeculi consummationem» tempore conjungenda. Quae quum ita sint, aggrediamur tandem ad id quod postremo loco restat ex his quae ad explicandum sermonem eschatologicum pertinent, qualem nobis S. Matthaeus et S. Marcus tradiderunt.

---

(1) Scimus a quibusdam auctoribus sane doctis, *tamquam factum de quo plane constet*, asseri christianis aetatis apostolicae persuasum esse parusiam instare. Nos tamen argumenta non videmus, firma saltem argumenta. Quare, quum ista desint, multo magis eorum nobis probatur judicium qui decretum tam late patens immoderatum esse rentur. Perpendatur v. gr. quid de hac re scribat prudens *P. Dieckmann*: *De Eccl.*, II, tract. III, cp. I, q. 2.ª *Schol.*, n. 706, p. 57.

(2) II *ad Thess.* II, 1-3.

(3) II *S. Petr.*, III, 9

§ IV

S. Matthaei cum S. Luca adumbrata concordia

1. Ingressio: Rationes quaedam efficiendae concordiae minus probabiles exponuntur.

Nostrae interpretationis hanc esse partem scopulosam imprimis atque difficilem libenter fatemur; at est etiam maximi momenti et ponderis. Erit fortasse lector qui in perpetua nostra S. Matthaei expositione satis acri sit affectus anxietate, quod S. Matthaeum cum S. Luca nullo modo congruere posse arbitretur. Et re vera hujusmodi anxitudo nihil admirationis moveret. Locus enim S. Lucae perspicuus, evidens, Hierosolymae eversione necessario —velis nolis— adstrictus, omni S. Matthaei eschatologicae explicationi, saltem a versu 15 ad versum 21 vel 22, cujusmodicumque explicatio sit, constanter opponi videtur. Et re vera uterque locus, tum S. Matthaei tum S. Lucae, sibi respondet, atque eamdem Domini sine dubitatione reddit orationem; uterque eodem tenore fluit; obscurioribus S. Matthaei verbis magisque ambiguis alia respondent apud S. Lucam quae distinctam habent perspicuamque sententiam; si exempli causa scribit S. Matthaeus: «Quum videritis abominationem desolationis... stantem in loco sancto... tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes...», contra S. Lucas perspicue: «Quum autem videritis circumdari (1) ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus: tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes...»; atque ita porro in aliis versiculis. Hac de causa S. Matthaei locus, qui solus facilem habe-

(1) Optime Vulgata: *circumdari.* Significatur enim actio nondum praeterita neque perfecta. Graecum habet κυκλουμένην, quod hispane verti potest: «que *va siendo* cercada».

ret explicatum. spinosus redditur si cum S. Luca comparatur, cujus distincta et aperta narratio omni eschatologicae interpretationi, tamquam terribile quiddam, semper impendet. «Hier versagen alle Künste der Harmonistik», scribit protestans Zahn (1). Forsitan haec est praecipua ratio quae tot interpretes impellit ad omnem eschatologicam interpretationem a versibus 15-21 S. Matthaei penitus removendam. Frustra, nostro quidem judicio: nam in easdem similesve —quod postea videbimus— obscuritates et salebras incidunt. Nostra memoria R. P. Béda Rigaux in apocalypsim synopticam sapienter incubuit totoque animo contendit ut eschatologicum illud, quod S. Matthaei et S. Marci sonare videtur oratio, cum S. Lucae distinctis definitisque sententiis ad Hierosolymae eversionem spectantibus conjungi et cohaerere monstraret. Subtilis ejus expositio dignissima est quam non solum legas, sed meditere etiam atque perpendas. «Nous croyons, scribit hic auctor, que Marc et Matthieu... n'ont pas dissocié les deux faits (templi eversionem et «saeculi consummationem») et ont rapporté le discours de Jésus comme étant la révélation globale de la fin des temps». Itaque «les deux événements sont confondus dans une même perspective», hic autem prospectus «est la grande crise messianique de la fin des temps» (2). At vero tunc, quo tandem modo S. Lucas cum duobus aliis synopticis congruat? Responsum perspicuum est: «Luc applique à une partie de l'abomination de la désolation la prédiction de Jésus. Il spécifie mais rétrécit. L' ἀνάγκη et la θλίψις, tout le monde le reconnaît, ont dans Matthieu et Marc un carac-

(1) *Das Evangelium des Matth.* ..., XXIX, XXV, ed. 3, 1910, p. 660, notatione quae incipit proxima pagina.
(2) *L'Antéchrist*, part. 2.ª, cp. I, pp. 223-224.

tère universel. Luc parle aussi de ἀνάγκη, mais il l'applique à la seule ruine d'Israël» (1). Patet igitur a S. Luca, qui post S. Marcum et S. Matthaeum Evangelium scripsit, rem sub Christi responsione, qualis ab istis affertur, subjectam definiri atque circumscribi.—Simili ratione, ut S. Lucas aliique duo synoptici concordent, elaborant multi scriptores recentes qui S. Marci et S. Matthaei expositioni eschatologicae adversantur. Nempe rem ipsam a S. Luca circumscribi negant, quippe qui ceteris synopticis plene perfecteque respondet, saltem in hoc quod nostra nunc refert, scilicet in «abominatione desolationis» et, quae consequitur eam, fuga. Id autem efficit S. Lucas, ajunt, ut definite, distincte, perspicue exprimat quod apud S. Matthaeum et S. Marcum remanebat obscurum (2). Quapropter, non rem ipsam, sed verborum Jesu vim notionemque S. Lucas circumscribit atque definit: e notione quadam ambigua et late patenti ad angustiorem notionem definitamque transit.

Totum hoc concordandi genus perdifficile nobis videtur.—1) Ordiamur ab ea concordandi ratione quae asserit a notione ambigua lateque patenti ad angustiorem definitamque fieri transitum. Itaque, hic transitus quo tandem jure fiat profecto non videmus. Exemplo rem illustrabimus. Si quis dixerit «video venientem Petrum», recte haec illi verba poteris affingere «vidi venientem hominem» vel «vidi animantem venire», quandoquidem Petrus est formaliter, ut ajunt, «homo» atque «animans», et in ipsa Petri notione haec duo reperiuntur. At si quis tantummodo dixerit «vidi animantem» vel «vidi hominem»,

(1) Lc., p. 242, not. 2.
(2) Cfr. *Lagrange, L'Évangile de Jésus-Christ*, cp. V, § V, pp. 478-482 not. 3.

28

nefas est hanc illi orationem affingere «vidi Petrum»; haec enim in orationibus illis latius patentibus «vidi animantem hominemve» nullo modo f o r m a l i t e r continetur. Hac similive ratione pro illa S. Matthaei et S. Marci latissime patenti oratione «quum videritis abominationem desolationis... stantem in loco sancto... &.», rectum non est orationem substituere quae vim habeat omnino distinctam atque definitam, ut est apud S. Lucam: «quum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem &.». Haec enim in illa f o r m a l i t e r non continetur; quare tradita nobis a S. Luca verba recte vereque Salvatoris esse verba nulla potest ratione affirmari. Aliud deberet asseri, si ordo inverteretur; nam a loco S. Lucae ad S. Matthaei si fieret transitus, id esset a notione distincta, definita, circumscripta ad aliam latius patentem et quasi generalem, in illa f o r m a l i t e r inclusam; hic autem transitus rectus et legitimus existit (1). At S. Lucae locum temporum ordine antiquiorem esse in hac parte, ab eoque ita Salvatoris verba pressius et accuratius reddi ut S. Matthaei et S. Marci verba et oratio nihil aliud sint nisi infinitior quidam atque tectior modus ejusdem prorsus Lucanae sententiae exprimendae, nec probatur iis, quos significamus, auctoribus, nec in se ipsum potest probari (2).

Unum fortasse potest objici. Signa, quae dicuntur «ad placitum», non in verbis dumtaxat con-

---

(1) Vocabulis propriis dici solet legitimum fieri transitum a notione minoris *extensionis* et majoris *comprehensionis* ad aliam majoris *extensionis* et minoris *comprehensionis*; at non contrario modo.

(2) Satis fuerit haec animadvertere. Si S. Matthaeus, 15-28, generali quadam ratione ad ea Hierosolymae tempora respicit ad quae S. Lucas, 20-24, nequaquam explicatur illud *immediate*, seu *statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*, &., quod legitur in v. 29 S. Matthaei. Quod si apud S. Matthaeum versus 23 ad postrema tempora solum refertur, ea vero quae antecedunt, ad Hierosolymae eversionem *solum* respiciunt, profecto non intelligitur apta totius loci compositio. De his autem supra jam diximus.

sistunt quasi solis et separatim consideratis, sed potius in iis conjuncte cum ceteris omnibus elementis, videlicet intra rerum seriem atque contextum, adjunctorumque omnium in quibus verba dicuntur. Jam vero, posito apostolos de templi eversione interrogasse, posito etiam Christum proxime asseverasse «non relictum iri hic (in templo) lapidem super lapidem», tunc latissime patens et quasi infinitus sermo «quum videritis abominationem desolationis... stantem in loco sancto...», si conjuncte cum ceteris contexteque sumitur, templi a b o m i n a t i o n e m seu excisionem significare debet.

Hoc argumento id unum concluditur: in oratione illa «quum videritis abominationem desolationis... &.» v e r o q u o d a m m o d o —id nos profecto defendimus— templi significari eversionem. Sed quaestio nunc est significeturne ratione quadam definita atque distincta, proinde id omne quod S. Lucas proprie singillatimque describit. Nobis quidem negandum videtur. Nam, etiamsi daremus Salvatoris verbis quamvis late patentibus, si tamen conjuncte cum ceteris sumuntur, definitum quiddam significari, plana et legitima significatio ea demum sola esset quae cum antecedentibus Salvatoris discipulorumque verbis de templi eversione congrueret; quapropter haec fere similisve esset: «quum videritis templum eversum neque in illo relinqui lapidem super lapidem &.». At illud «quum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem...» quo tandem jure Domino affingitur? Praeterea illa tam definita atque distincta: «...et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes Gentes &.», quî possunt dici in S. Matthaei verbis latissime patentibus contineri, etiamsi haec verba intra rerum seriem contextumque sumantur et tum apostolorum interrogatione illustrentur,

tum etiam Domini nostri responsione quatenus his versibus, de quibus disputamus, antecedit?

2) P. Béda Rigaux singularem meretur animi attentionem. Ejus interpretatio, apte composita diligenterque rationibus fulta, ostendit re vera «un effort vers une meilleure intelligence des textes sacrés» (1). Sed habet quaedam spinosiora et, ut nobis quidem videtur, minus firma; horum autem unum ad id, quod nunc agimus, pertinet. Scribit P. Béda Rigaux sermone Jesu eschatologico templi eversionem et mundi finem generatim atque universe, nulla eorum ad temporis mensuram disjunctione facta, contineri, quasi efficerent «la grande crise messianique de la fin des temps».

Sit ita sane. Sed pergamus porro. Legimus apud S. Matthaeum: «quum ergo videritis abominationem desolationis... stantem in loco sancto &.». Jam vero locum hunc ait P. Béda Rigaux esse templum, illum vero, qui stat, esse Antichristum. Ergo apud S. Matthaeum ad hoc definitum temporis spatium consilia cohortationesque referuntur, scilicet «quum videritis abominationem desolationis» non quomodocumque, sed «stantem» in templo. Contra S. Lucas ad aliud temporis spatium respicit; nempe locus est Hierosolyma, quam obsidet exercitus. Quo igitur jure a S. Luca ita Christus inducitur quasi consilia cohortationesque det ad Hierosolymae obsidionis tempus spectantia quum ipse ea retulerit ad tempus quo «abominatio desolationis per Antichristum stet in loco sancto, nempe in templo?» Fortasse possint accommodari; sed id apud S. Matthaeum et S. Marcum Christus ipse non fecit.—Praeterea in consiliorum cohortationumque descriptione, quae apud S. Matthaeum et S. Marcum exstat, nullus est de

(1) *L'Antéchrist*, *Introduction*, p. XI.

Hierosolyma sermo. Contra vero traditae fere omnes apud S. Lucam cohortationes atque consilia Hierosolymam respiciunt. Ergo S. Lucas non modo rem circumscribit et de parte tantum loquitur universae «abominationis», sed nova etiam apponit. Similiter non solum «Luc applique à une partie de l'abomination de la désolation la prédiction de Jésus» (?), sed in ipsam Jesu praedictionem multa nova elementa concludit. At his notandis ingredimur jam in idem fere argumentorum genus, quod adversus aliam explicandi rationem supra tractavimus. Et re vera iisdem, quae supra notavimus de transitu ab infinita et quasi generali oratione ad aliam magis circumscriptam, ipsa quoque Patris Béda Rigaux explicatio premi et urgeri videtur. Etenim in ipsa etiam Patris Béda Rigaux explicatione jure quaesieris quemadmodum e S. Matthaei verbis ambiguum et infinitum quiddam sonantibus perspicuae oriantur S. Lucae definitaeque sententiae; quemadmodum, exempli causa, ab infinita illa oratione «erit enim tunc tribulatio magna...» (v. 21) ad hanc aliam S. Lucae orationem jure transeatur «erit enim pressura magna super terram et ira populo huic. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes Gentes; et Jerusalem calcabitur a Gentibus donec impleantur tempora nationum» (vv. 23, 24). Jure dicimus, ita ut definitus S. Lucae sermo non sit tantum explanatio seu expolitio quaedam a S. Luca confecta suo nomine suaque sententia, sed potius accurata iteratio, non ipsorum verborum, sed utique ejusdem omnino sententiae quam Christus significavit et protulit.

Hoc concordiae genere, quum S. Matthaeum et S. Lucam in concordiam reducere nequeamus, malumus aliam ingredi viam, magis planam at-

que simplicem, quamvis specie prima magis sit popularis, et magis a scientiae splendore ac dignitate recedere videatur; id tamen vix minimi momenti instar, judicio fortasse multorum, habebit. Porro hic concordiae modus in eo demum consistit ut plane simpliciterque dicamus tum ea, quae scripsit S. Matthaeus, tum ea quae S. Lucas, a Christo Domino in eadem omnino oratione esse prolata, atque ut, hoc posito, concordiae modum rationemque monstremus.

2. Efficiendae concordiae ratio quaedam probabilior ostenditur.

Patet fieri posse ut a variis auctoribus partes quasdam ex eadem oratione decerptas si velis conglutinare, onus difficile admodum suscepisse videare, quum tamen pars omissa, incisum, membrum, verbum omissum sententiam planam eorum omnium efficerent quae nunc dissoluta ac paene repugnantia videntur. Id profecto vulgare et quotidianum est. Itaque nostra in quaestione idem efficere possumus, atque hoc modo, oratione explenda quibusdam adminiculis, tres synopticos in plenam reducere perfectamque concordiam. Id autem facientes jure nostro uteremur; quandoquidem admirabilitatis nihil habere deberet quod verborum Domini nostri tres a diversis auctoribus compositae summae junctiones aliquas interjectaque membra reliquissent quibus apte conglutinata, sine ullis salebris, universa ferretur oratio. Hac tamen via, quamquam legitima si cum cautione fiat, minime nobis ingrediendum putamus. Tres orationis summas, eo quo exstant modo, assumimus; easdem nihilominus, eo etiam quo exstant modo, plene concordare nos credimus. Id ut ostendamus, satis erit apud S. Matthaeum et S. Lucam praecipua rerum capita perpendere.

Omnis obscuritas ab arcana illa «abominatione desolationis» ducit exordium. Majoris perspicuitatis causa S. Matthaei locum, (vv. 15-23), in tres partes divisum, articulatim distincteque lustrabimus; eum, ita divisum, cum S. Luca, 20-24, conferemus.

A.

A versibus 20-22 S. Lucae ordiamur: «(v. 20) Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus: (v. 21) tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes; et qui in medio ejus, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam. (v. 22) Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quae scripta sunt». In versu 21 primum admonentur «qui in Judaea sunt ut fugiant ad montes», deinde, ad Hierosolymam sermone converso, tum qui «in medio ejus» tum qui «in regionibus» seu extra illam sunt, nominantur, atque etiam admonentur; tria membra idem tempus respiciunt vocabulo t u n c antecedente monstratum. Jam vero, dum arcta colligatio temporum integra manebit, plane licebit triplicis hujus membri ordinem hoc modo invertere: «...tunc qui in medio ejus (Jerusalem), discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam; et qui in Judaea sunt fugiant ad montes &».

B.

Attendamus nunc animos ad postremum antecedentis orationis membrum, immutato jam ordine: «...qui in Judaea sunt, fugiant ad montes». Quum de «abominatione desolationis» S. Matthaeus loquitur, eodem utitur orationis membro, ad quod alia duo adjungit in quibus praecipitis fugae subitaeque forma describitur. Quare

nihil obstat quominus ad Sancti etiam Lucae simile membrum adjungantur, modo «abominatio desolationis» cum iis, quae S. Lucas de Hierosolymae obsidione affert, recte possint tempore esse conjuncta.

Perpendamus nunc arcanum illud «quum videritis abominationem desolationis &». Arcanum istud membrum, a S. Matthaeo et S. Marco adhibitum, cum verbis S. Lucae «quum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem...» qua tandem ratione connectitur? Non indicatur. Quare conjunctio quaelibet, modo sartam tectam loci sententiam contextumque conservet, legitima videtur esse dicenda. Itaque, sint sane conjunctiones aliae legitimae; nobis ea videtur praeferenda, in qua traditus nobis a S. Matthaeo Salvatoris sermo latius patet ac plura complectitur quam ille a S. Luca servatus. Quare hoc tenore fluit oratio, quasi Dominus diceret: «Quum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, et generatim atque universe quum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto..., tunc &.». At probe intelligi rem necesse est, nullam scilicet ab evangelistis fieri rerum appositionem. Ipsa Domini verba, alia aliis adjuncta, retinentur. Sed verba, certis quibusdam aliis continuata et adjuncta, res varias significare possunt variosque habere explicatus. Fas est autem eam deligere significationem atque sententiam quae, singulorum vim servans, aptam exhibeat universae orationis compositionem. Quapropter continuatio seriesque rerum atque verborum apud S. Matthaeum, vv. 15-18, et apud S. Lucam, vv. 20-22, inverso ordine de quo supra diximus, haec esse potest:

S. Lucas

20 Cum autem (ergo) videritis circumdari ab exer-

tu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus;

21b tunc qui in medio ejus, discedant et qui in regionibus, non intrent in eam:

22 quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quae scripta sunt.

21a (Tunc).

S. Matthaeus

15 (et) quum videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat,

16-18 [tunc] qui in Judaea sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

[qui in Judaea sunt, fugiant ad montes]

Antecedens verborum sententiarumque contextus planus videtur. Erat in versu 15 apud S. Matthaeum vocabulum ergo quod hunc versum cum antecedentibus colligabat. Quum a S. Luca ordiamur, ducto initio a versu 20 eadem similive conjunctione affecto, insequens S. Matthaei locus manet similiter affectus; propterea nihil est aliud faciendum nisi ut conjunctione et cum antecedentibus jungatur.—Vocabulum tunc in versu 16 S. Matthaei superest; quum enim post aliud tunc, quod apud S. Lucam exstat, conjunctionemque et occurrat, facile suppletur.—S. Lucas tria membra versiculi 21 vocabulo tunc inducit affecta; propterea nihil impedit quominus in singulis, si opus erit, vocabulum istud exprimatur. Jam vero, quum de illis unum sit: «...qui in

Judaea sunt, fugiant ad montes», quod idem apud S. Matthaeum exstat, quum porro in S. Luca membrum istud ad Hierosolymae obsidionem distincte definiteque respiciat, in Sancto autem Matthaeo ad «abominationem desolationis», nexus planus hic est: «...tunc et quum videritis abominationem &.»; hoc modo, iteratione nulla, idem membrum ad illa duo ex parte saltem distincta spatia temporis respicere potest, de quibus S. Matthaeus et S. Lucas loquuntur.—Versus quidem 22 S. Lucae potest etiam ad extremum collocari, scilicet post S. Matthaei versus 16-18; at quum ἡμέραι ἐκδικήσεως poenam suppliciumque sonent, potius videtur Hierosolymae eversionem tantummodo respicere.

C.

Restat ut modum ostendamus quo versus 19-22 S. Matthaei ac versus 23-24 S. Lucae in concordiam possint reduci. Ad majorem perspicuitatem concordiam primum exhibebimus, deinde ratione firmabimus.

S. Matthaeus	S. Lucas
19-20 Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus; orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato;	23a [Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus:]
21 erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet;	

23b [erit enim] pressura magna super terram, et ira populo huic;

24 et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes; et Jerusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum.

22 Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi.

In his Salvatoris verbis, incisa illa «vae autem praegnantibus &.», quae versibus 19-20 apud S. Matthaeum et 23a apud S. Lucam continentur, infinita sunt et ad utrumque eventum, templi eversionem absolutionemque mundi, sub interminato prospectu consideratum, accommodata; id jam explicavimus, quum interpretabamur.—In versibus 21-22 S. Matthaei et 23b-24 S. Lucae, antecedentis cohortationis et lamentationis ratio affertur. Haec autem orditur ab oratione quasi generali, cujus aeque vis ad utrumque pertinet eventum et quae illis S. Lucae verbis clauditur «pressura magna super terram», «magnae tribulationis» quasi effectum notantibus (1). At continuo —id autem obstare videtur— elementa quaedam adhibentur (v. 24) quae ad unum tantum eventum, Hierosolymae templique eversionem, accommodari posse videantur. Hoc modo apta utriusque evangelistae concordia infringi videtur; neque enim rationem, cujus vis ad unum solum pertinet eventum, tamquam rationem quae valeat ad utrumque, recte possis adhibere.

(1) Θλίψις ἀνάγκη *(tribulatio, pressura)* respondere sibi videntur tamquam *causa* et *effectus;* saltem omnino proprie modum hunc, quo sibi respondeant, habere possunt.

Diximus Salvatoris responsum a ratione quadam ordiri cujus vis ita patet ut ad utrumque eventum pertinere posse videatur. Ergo hac notatione jam satis est indicata responsio. Nam, hoc posito, jam nihil refert alia continuo elementa succedere, quae ad unum tantum eventum pertineant, dummodo duplex eventus, tamquam tempore disjunctus, nulla ratione proponatur. Hic est cogitandi scribendique modus communis et pervagatus. Eum, apposito exemplo, declarabimus. Decretum esse faciamus ut, ad corruptelas quasdam radicitus evellendas, maxima sit forti cuidam et prudenti viro data potestas. Investigaverit hic, comprehenderit jam omnia. Rationem sui muneris fungendi, quod binis pluribusve inquisitionibus publicis conficere vult, habeat jam cogitatam atque descriptam. Ad rationem istam pertinet magistratus aliquot officio et potestate privare, sic tamen ut in prima id et in prima tantum inquisitione publica faciat; post enim clementiore vel generatim alio poenarum genere utetur. Porro faciamus hunc eumdem virum de re tota cum amico aperte colloqui, vicissimque amicum data facultate confisum, hoc similive modo ad amicum alium scribere: «Quum Magistratum ipsum, moribus Praefectum, procedentem videatis ad inquisitionem, prospicite et ad omnem vos eventum parate. Timeant illi qui rerum gestarum rationes edere nequeant planas et explicatas. Etenim inquisitio fiet maxime severa; poenae justae et graves repetentur ad exemplum; et erunt qui officii sui munere privabuntur, atque ita remanebunt dum alius rerum ordo succedat. Quod si variis de causis tempus inquisitionis ad paucos dumtaxat menses contractus non fuisset, nemo esset quin, ob commissam aliquam vel minimam culpam, poenas daret». Haec cogitandi loquendique ratio praeclare cohae-

ret atque est omnino probabilis. Atqui cogitationum istarum sententiarumque cursus et ordo intimus eo modo ad summam explicatur quo Domini nostri responsio, constituta concordia, evolvitur. Ab inquisitione generatim atque universe orditur sermo, eo quidem verborum delectu ut eorum vis ad binas pluresve inquisitiones aeque pertineat. Adjungitur ratio, cujus initium et clausula infinitam quoque vim habent; medio autem loco diversa proponuntur elementa quae in aliquam tantum partem seu inquisitionem conveniunt. Id autem est causa quod, ut adhibita ratio legitima existat, satis est unum de ejus membris, potissimum si est primum, in universo genere contineri; quod si varia sunt inquisitionum genera, satis est eas non quasi disjunctas, sed modo quodam generali et late patenti exhiberi. His positis, cetera elementa quasi confirmatio quaedam, sive totius fortasse responsionis, sive tantum alicujus certae partis possunt haberi; quae autem eorum sit vis et quam late pateant, quemadmodum re ipsa debeant praedicari, non semper in solis verbis perspici potest.

S. Matthaei et S. Lucae in antecedentibus versibus declarata concordia, nulla jam deinceps, a versu 23 S. Matthaei et 25 S. Lucae, apparet obscuritas.

3. Unde locorum S. Matthaei et S. Lucae discrepantia nascatur.

Quaeret fortasse quispiam: Haec autem locorum S. Matthaei et S. Lucae tanta discrepantia unde oritur, et qua ratione potest explicari? Difficile est profecto accuratam dari responsionem. Factum quoddam ante oculos positum habemus. Facta saepenumero faciles habent re ipsa explicatus. Si tamen isti quinam proprie ac definite sint, nescias, in mera probabilitate conjecturisque versere necessario. Id autem nobis nunc accidit.

Quod igitur occurrit, breviter simpliciterque referemus.

Principio simillimum est veri aperta illa et dura de templi et Hierosolymae eversione magno in prima et publica praedicatione silentio fuisse praetermissa. Quum enim prima haec et publica praedicatio inter Judaeos orta, inter eos etiam, antequam publice in lucem Gentium prodiret, satis longo tempore esset frequentata, verisimile est praedicatores primos ita se caute prudenterque gessisse ne auditorum animos, in quorum medullis et visceribus propriae nationis amor, tamquam unius inter omnes nationes in bonis messianicis excellentis, penitus defixus haerebat, a se abalienarent. Hac de causa recte explicatur cur S. Matthaeus et S. Marcus, quippe qui primam praedicationem accurate ad summam fideliterque describant, minuta illa tam definita et aperta de Hierosolymae eversione quae apud S. Lucam legimus, silentio praetermittant.—At quid de S. Luca? Nam ille quoque primam praedicationem accurate ad summam fideliterque tradit. Quid igitur est causae quod S. Lucas de Hierosolymae eversione satis subtiliter minuta illa describat, neque id solum in eschatologico sermone sed in aliis etiam Evangelii partibus? (1). Quid re ipsa fuerit causae, nescimus; potuit tamen haec similisve esse ad quam statim aggredimur indicandam.

S. Lucas discipulus fuit S. Pauli fidusque comes. Jam vero, Judaeorum majoris partis caecitatem repudiatamque eorum nationem «donec plenitudo Gentium intret» in Ecclesiam, unus S. Paulus aperte distincteque tradit. Sollemni modo a magistro traditum expressumque arcanum hoc factum discipulum investigatorem «assecutum omnia a principio diligenter» (2) impellere potuit ut totam

(1) Cfr. XIX, 41-44.
(2) *Ev. S. Luc*, I, 3.

hanc rem diligenter accurateque perquireret; haec autem diligentius facta inquisitio felicem hunc exitum habere potuit ut sive ex ipsorum sermone testium excipere, sive ex eorum etiam scriptis monumentis colligere potuerit aperta illa Christi verba de Hierosolymae templique eversione quae sibi prima et publica praedicatio multo satius duxerat omittenda (1).

Quid autem est quamobrem S. Lucas haec solum aperta Salvatoris verba descripserit, illa vero tectiora et occultiora reticuerit? Prima sit nos nescire responsio. Nimirum tot causae esse potuerunt! Exempli causa, quum S. Lucas «diligens investigator» in ea Christi verba incognita quodam modo et nova incidisset quorum erat opportunitas maxima ad id quod volebat efficiendum, scilicet patere omnibus etiam Gentibus aditum ad fidem, quum porro eo tempore, quo Evangelium scribebat, non jam ei necessarium esset eam adhibere cautionem provisionemque qua usi erant primi praedicatores, fieri omnino potuit ut cordi ei esset nova illa, quae ad illud usque tempus fuerant omissa, describere, et, quadam compensatione, arcana illa verba latissimeque patentia, quae frequentata jam erant, praeterire.—Ad haec conferre etiam potuit quod S. Lucas perspicuitatem ita studiose consectatur ut, quantum fieri potest, ea, quae suis lectoribus graeca ratione excultis obscura possint esse, devitet.

§ V

De integro loco in concordiam reducto quaedam notantur

Utriusque loci, qui apud S. Matthaeum et S. Lucam exstat, constituta concordia, facile perspicitur quo fluat tenore locus integer. Nihil obscu-

(1) Cfr. praeclarum opus *Charue, L'Incrédulité des Juifs dans le N. T.*, l. V, cp. VII, p. 331.

rum occurrit in iis quae «abominationem desolationis» antecedunt. Inde ab hac orationis parte Salvatoris responsio eschatologicum quiddam generatim significare dici potest, quatenus id, quo tandem cuncta conveniunt atque referuntur, aliquo saltem modo p a r u s i a est.

Itaque primum Hierosolymae obsidionem et appropinquantem «desolationem» conceptis verbis Dominus ostendit, neque tamen conceptis etiam verbis ab universitatis absolutione disjungit: S. L u c. XXI, 20-22.—Deinde latius patet prospectus, modo tamen ambiguo et interminato; intra hanc infinitatem arcana quaedam calamitas praenuntiatur, iis tamen descripta verbis quae ad utrumque pertinent eventum, templi eversionem mundique finem. Quamvis autem ea inculcentur elementa quae unum de duobus eventis Hierosolymae eversionem, proprie demonstrant, illa tamen duos eventus non dissociant; solum enim interminatum quoddam temporis spatium notant quod nihil impedit quominus duo eventus vero quodam modo p o s s i n t tempore conjungi, etsi permittit quoque eosdem eventus longo temporis spatio p o s s e disjungi: S. M a t t h. XXIV, 15-22; S. L u c. XXI, 23-24 (1).—

(1) Illa S. Lucae verba ἄχρι οὗ πληρωθῶσιν καιροὶ ἐθνῶν, quomodo cumque intelligantur, patiuntur quidem, non ostendunt tamen longum intervallum esse interjectum inter Hierosolymae excisionem et mundi absolutionem. Quamvis enim demus hanc esse sententiam: «dum concessa Gentibus ad conversionem tempora effluxerint», non propterea concluditur his verbis demonstrari inter Hierosolymae excisionem et mundi absolutionem longum esse spatium temporis interjectum; id autem non eo est quo longum ad Gentium conversionem tempus, quantum homines judicare possumus, non necessarium esse videatur, sed quia Hierosolymae eversioni nullum assignatur definitum tempus, seu «absolutum», et ob eam causam, *quantum est ex parte eschatologicorum locorum qui in Evangelio exstant,* Hierosolymae eversio infinite potest retardari. Hoc posito, quum datum Gentibus tempus ab eo tempore saltem ducit exordium quo apostoli eorum conversioni se dedere coeperunt, fieri potest, *quantum est ex parte eschatologicorum locorum qui in Evangelio*

Tum rursus consequitur interminatus quidam et quasi confusus prospectus: S. Matth. XXIV, 23-28.—Qui tandem distincte ac definite fit eschatologicus atque in hoc statu deinceps perseverat.

Itaque, ut brevi praecidamus, ambiguitas et infinitas quaedam utique existit, ex ipsius Salvatoris voluntate; at tempore facta conjunctio aut disjunctio, nulla. Ab initio usque ad extremum, duos eventus sive conjungi sive disjungi locus ipse permittit. Quapropter, ut re ipsa sive conjungantur sive disjungantur, alia elementa, exempli causa historia, intervenire debent.

---

exstant, ut, a Hierosolymae eversione ad extremum usque concessi temporis Gentibus, contractius quoddam temporis spatium tantummodo effluat, quod duos eventus tamquam vero aliquo modo tempore conjunctos considerare patiatur. Quapropter, ad disjungendum, alia nos elementa compellunt: exempli causa, historia, vel fortasse etiam alia, quae tamen ipsa Domini verba non sunt.

CAPUT QUINTUM

De locis eschatologicis quibus Dominus Noster appropinquantem seu etiam instantem suum adventum generatim universeque praenuntiat

Hactenus eam locorum seriem explanare conati sumus, quibus Dominus noster affirmare videtur intra ipsos aetatis suae terminos gloriosam parusiam esse adfuturam. Restant loci illi quibus hanc ipsam gloriosam parusiam tamquam simpliciter appropinquantem seu etiam instantem Salvator exponit. Omnes hi loci in duo quasi genera dividuntur. Primum eos locos amplectitur in quibus directe Dominus affirmat se «cito esse venturum»; alterum eos quibus Dominus omnes ad vigilandum cohortatur, atque, ut hujus rei causam, adventum suum proponit qui necopinatus eoque tempore erit quo minus cogites. De utroque genere multa sunt copiose disputata; praeterea nihil nobis occurrit nova notatione dignum. Quare brevi praecidemus (1).

Primum genus

Id genus loci perexigui sunt. Apud synopticos, praeter illum qui in parabola exstat judicis iniqui (2), nobis quidem nullus occurrit; hic autem locus controversus est, ejusque eschatologica sententia inter doctissimos (3) etiam plena dissen-

---

(1) Cfr. *Billot, La Parousie,* art. 5 et 6, París, 1920.—Fortassis haec sunt quae pulcherrima scripsit Card. Billot in toto opusculo.

(2) *Ev. S. Luc,* XVIII, 8.

(3) Negat eschatologicam sententiam v gr. *Buzy, Les Paraboles,* in «Verbum Salutis», VI, 568 sqq.

sionis. Ad Apocalypsim progredi necesse est ut manifestam illam enuntiationem reperiamus ἔρχομαι ταχύ, quam saepius Christo S. Joannes adscribit, nempe in prooemio, in epistolis, in vaticinationibus, praesertim vero in epilogo (1).

Illustrem nobis explicationem Princeps apostolorum tradit, S. Petrus. Qua in re singulare quiddam animadvertimus. Duae in nascenti Ecclesia occasiones fuerunt, ad doctrinam quod attinet, prae omnibus difficillimae. Prior data est quum pars judaizans christianos omnes volebat judaicis ritibus servandis obligare; quo quidem Ecclesia nascens in periculum vocabatur ne ritus consuetudinesque non satis firmiter infringeret quae eam nationi uni prae aliis videbantur obstringere. Alteram obtulit occasionem anxietas aliquorum de parusia, quae anxietas ansam dare poterat de recta regione deflectendi ac vehementer errandi. His duabus occasionibus, maxime omnium periculosis ac lubricis, confecta et explicata res est ab eo, qui inter omnes unus eminebat, totius Ecclesiae Primas et apostolorum Princeps: S. Petro.

Qui posteriore sua epistola his verbis scribit: «...venient in novissimis diebus in deceptione illusores, ...dicentes: Ubi est promissio [aut] adventus ejus? (=...ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ) ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae... Unum vero hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissionem suam... sed patienter agit propter vos... Adveniet autem dies Domini ut fur» (2). Ho-

---

(1) II, 16; III, 11; XXII, 7, 12, 20. — Cfr. praeterea I, 1, 7; VI, 11; XII, 12; XXII, 6, 10.
(2) III, 3-4, 8-9.

rum occasione verborum praeclare scribit R. P. Allo: «Le principe universel d'interprétation, pour toutes ces prophéties qui faisaient paraitre la Parousie si proche, est enfin donné par un auteur inspiré. Il faut juger de la brièveté ou de la longueur du temps et des délais suivant la mesure de Dieu, non suivant celle des hommes, car devant le Seigneur, mille ans sont comme un jour» (1). Et re vera, quum temporis elementum ad rationem tantum atque mensuram appropinquationis longinquitatisve consideratur, illustribus S. Petri verbis omnis discussa caligo evanescit. Quicumque eventus, aeternitatis luce collustratus, atque ad aeternitatis normam mensuramque perspectus, omnem quasi magnitudinem sive longitudinem temporis amittit; et jure ac merito vocari potest propinquus. Quapropter gloriosa Parusia propinqua est. ¡Christus adveniet cito! (2).

Sententiae huic illud solum objici potest quod ratio ista respiciendi rerum eventorumque temporis ad aeternitatis regulam atque mensuram, usitati sermonis vias relinquit, propterea Christo Domino nequit adscribi, nisi ambigua, captiosa, in errorem ducentia verba eidem adscribimus.

Verum sane est istam rerum eventorumque respiciendi rationem ab usitato sermone alienam esse, si quovis modo, directo non directove, verbis conceptis vel implicite, collatio cum aeternitate minime notatur. Verum enimvero, si quan-

(1) *L'Apocalypse, Introduction*, p. CXXIII.

(2) Hic loquendi modus saepenumero a praedicatoribus adhibetur, quum de brevitate temporis loquuntur si cum aeternitate confertur.—In mathematicis (utamur eorum propriis nostra aetate verbis) quantitas finita divisa per aliam infinitam dat pro *quotiente* quantitatem indefinite parvam quae per suum limitem o exprimitur: $\frac{n}{\infty} = o$; hoc est, ut ad rem nostram istud accommodemus, tempus quodcumque (=n), si cum aeternitate confertur (= ∞) quasi nihil (=o) videtur.

do in aliquo, certe in nostro Salvatore collatio cum aeternitate perinsignis apparet. Universa enim divini nostri Magistri praedicatio hac ratione et aspectu vocari potest eschatologica; nam in cunctis semper eventis Dominus noster exstare et eminere facit eorum ad aeternam vitam respectus, ad quam aeternam vitam gloriosa Parusia aditus est atque vestibulum (1). Quapropter, vel hanc solam ob causam, nihil est in isto locorum genere quos nunc in manibus habemus, etiamsi eos proprie sigillatimque non percurramus, quod difficile atque asperum debeat videri. Quaedam tamen notare libet. Atque imprimis S. Lucae locum, quippe cum ejus eschatologica sententia dubia sit et controversa, praeterire jure ac merito possumus. Quae in hoc genere, ab ipso Domino prolata, illustrissima sunt omnium, exstant in Apocalypsi; in iis autem planius et apertius eschatologicum prospectum exhibent quae in Epilogo continentur: XXII, 6-21. Atqui paulo ante, vel proxime potius: XXII, 3-5, vaticinatio in fulgentem caelestis patriae prospectum penitus intravit, in qua caelesti patria servi Dei «non egebunt lumine lucernae, neque lumine oliss, quoniam Dominus Deus illuminabit illos et regnabunt in saecula saeculorum»: XXII, 5. Quod si retro redimus et totius libri ordinem unc in conspectu videmus, perspiciemus post prooemium primamque partem: I-III, praecipuum Apocalypsis quasi corpus: IV-XXI, 8, sollemnem omnium, quae a Christo jam glorioso ad postremum usque tempus Ecclesiae eventura sunt, gravissimamque esse significationem. Quapropter tota haec poetica pars gravissimo pos-

(1) Scribit *P. Dieckmann:* «Christus semper effert alteram vitam ut finem hujus vitae». Quod continuo probat: *De Eccl.*, Tract. I, cp. II, q. 1.ª, *assertio* 4, n. 114, sqq., p. 84 sqq.

tremi judicii actu et majestate concluditur quo humanum genus a tempore in aeternitatem introducitur. Postremo in tertia parte: XXI, 9-XXII, 5, vel caelestis Hierosolymae contemplatio exhibetur, vel fortasse contemplatio quaedam seu «vue synthétique de l'Église, dans le temps et dans l'éternité... une vision absolument transcendante du Régne... en insistant spécialement sur la phase définitive, éternelle» (1).

Apparet igitur universum tempus praesens ad aeternitatem re et veritate, verbis etiam conceptis consideratum esse et explicatum. In aeternitate immutabili relinquit nos S. Joannes, quum in celeri Epilogo sollemnibus testificationibus universum librum obsignat quibus magna religione testatum librum nobis tradit usumque demonstrat. Testificationes istae Christi sunt, Angeli, Vatis. Hi potissimum loci illis Domini personant verbis ἔρχομαι ταχύ (2). At manifestum est ad aeternitatis prospectum, verbis conceptis toto libro proposi-

(1) *Allo*, l.c., *Commentaire*, part. 3, p. 312.

(2) XXII, 6, 7, 12, 20.—In II, 16 eschatologica sententia dubia est, non dicitur simpliciter ἔρχομαι ταχύ sed ἔρχομαί σοι ταχύ, quod sententiam circumscribere prospectumque angustiorem reddere videtur. In versu quoque III, 11, eschatologicus prospectus obscurus videtur. Monet Christus et hortatur Ecclesiam quamdam, nempe Philadelphiae, vel potius Angelum hujus Ecclesiae; quare verba Christi sic circumscripta videri possunt ut adventum Christi ad istam solum Ecclesiam Ecclesiaeve Angelum, obtinendi singularis cujusdam effectus causa, significare videantur; vocabulum *soi* expressum in II, 16, implicitum in III, 11, videtur; utriusque enim loci vim eamdem esse similemve dixeris. Aliud est quum simpliciter et ad universos sermone converso, Christus dicit ἔρχομαι ταχύ. Hic enim est «alter Christi adventus» seu Parusia.—At, quidquid est, si quis eschatologicam utriusque loci sententiam malit tueri, id consideret atque perpendat necesse est quod S. Joannes in ipso aditu vestibuloque vaticinationis Christum qui «venit cum nubibus» (I, 7) sollemni modo nuntiat; hic autem adventus, sine dubitatione secundus, ab ejus mente animoque numquam recedere videtur. Quapropter quemcumque terrenum eventum hac luce circumfusum et cum isto magno eventu comparatum videt; nempe cum altero Christi adventu quo tempus concluditur et universo humano generi reseratur aeternitas. Propterea quemcumque terrenum eventum, non excepta Pa-

tum, illustrius vero ad extremum, eam Domini nostri verbis admirabilem subjici sua sponte vim quam nobis supra S. Petrus apostolus ostendit. «Christus veniet cito», quia universum tempus cum aeternitate collatum, tamquam tenuis aura evanescit et vix potest aestimari.

Alterum genus

Alterum locorum genus, etsi non crebrius usurpatum, tamen majoris est momenti quam primum. Loci praecipui apud S. Matthaeum et S. Marcum post eschatologicum sermonem leguntur (1); apud S. Lucam tum post sermonem istum tum etiam in publica Jesu praedicatione, quum Dominus Hierosolymam iter habebat (2). Quae ex iis vehementer nos, specie saltem prima, videntur urgere, exponit acri, robusta, luculenta, qua saepe uti solet, scribendi ratione Cardinalis Billot (3). Et re vera, quod Dominus auditores suos ad vigilandum constanter hortatur ne eos imparatos alter Filii hominis adventus offendat, ostendere videtur hunc adventum esse de sententia Domini propinquum; propinquum porro ea vi et notione quam solent homines, usitato et communi sermone loquentes, huic verbo subjicere.

rusia quae omnium sollemnis est clausula, co intervallo a se disjunctum videt S. Joannes quod quasi nihil apparet si cum aeternitate confertur, et ob cam causam videt jam illum propinquum.—Quum tamen his duobus locis duas Christus alloquatur Ecclesias sive Ecclesiarum Angelos, simillimum veri videtur in verbis ἔρχομαι ταχύ. modum quemdam inesse infinitum qui non est tantum eschatologicus, sed generali ratione in unum redigit tum alterum (Christi adventum tum etiam occultum) illum adventum quo in singulorum judicio universos Christus invisit: uterque ergo adventus est propinquus.

(1) S. Matth. XXIV, 42-51; XXV, 1-13.—S. Marc. XIII, 33-37.
(2) S. Luc. XXI, 34-36; XII, 35-46.
(3) *La Parousie,* art. 5, p. 132 sqq., Paris 1920.

Aliter enim hujusmodi cohortationes aut ambiguo niterentur aut omni essent vi penitus destitutae.

Sententia quaedam simplex, cujus praecipuum elementum S. Augustinus mirandum in modum evolvit, totam nobis rem explicabit. Ipsa tanti Doctoris verba adducere necesse est. Itaque postea quam de viro loquutus est, qui instar servi nequam in Evangelio «sic dicit: M o r a m f a c i t D o m i n u s m e u s v e n i r e, et percutit conservos suos et epulatur cum ebriosis... et ideo eum, tamquam fur, dies ille (postremi judicii) comprehendet», statim S. Doctor adjungit: «quod unusquisque debet etiam de die huius vitae suae novissimo formidare; in quo enim quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies, quoniam, qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur». Et paulo post eamdem sententiam versans: «...tunc enim unicuique veniet dies ille (postremi judicii), quum venerit ei dies ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die, ac per hoc vigilare debet omnis christianus, ne imparatum eum inveniat Domini adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suae vitae huius ultimus dies» (1). Quocirca in quo nos m o r a l i statu et condicione mors invenit, in eodem ad omnem aeternitatem quasi defigit; aliis verbis, ut praeclare scribit C. Billot: «...à ce compte, tout se passe exactement pour un chacum d'entre nous, au regard du salut de l'âme, comme si était supprimé tout l'intervalle qui sépare le dernier jour de sa vie d'avec celui de la parousie» (2). Singulis igitur postremi judicii sententia tantum valet ad summam quantum in sin-

(1) *Ep.* 199, *De fine saeculi*, ed. *Goldbacher*, CV, v. 57, pp. 246-247.
(2) *La Parousie*, lc., p. 144.

gulorum post mortem judicio separatim lata sententia, nisi quod illa, quibusdam secundariis sive poenae sive gloriae additis complementis, editur in publicum et sollemni quodam modo in universitatis conspectu approbatur. Quare postremum judicium, si totum et qua late patet ejus vis consideratur, singulis jam inchoatur ipso post mortem singulorum judicio; quod vicissim singulorum judicium, post mortem factum, postremum inchoat, vero quodam et proprio modo, uniuscujusque judicium atque est quasi illius inceptio. Jam vero, universorum judicium, quod altero Christi adventu futurum est, nihil est aliud re et veritate nisi postremum omnium et singulorum judicium. Apte cadit hoc loco illa S. Athanasii sententia: «...in omnium fine, uniuscujusque finis est, et in uniuscujusque fine omnium finis continetur» (1). Atqui gloriosa Parusia id demum est: «Christi adventus ad postremum omnium singulorumque judicium». Quapropter «Christi adventus ad omnes et singulos homines judicandos» si totus a principio ad extremum consideratur, ab ultimis scilicet veris propriisque initiis, uniuscujusque post mortem judicio inchoatur. Qui primus quasi gradus tam firmus existit tantamque vim habet ut quaecumque demum venerint, illo niti atque ex illo pendere sit prorsus necessarium. Propterea vigilare oportet et animo semper excubare ne adventus Filii hominis de repente nobis inchoetur; ne, ut primum nobis sollemnis iste adventus inceperit, immutabili decreto nostra saeculi alterius vita in perpetuum maneat stabilita et fixa et jam,

---

(1) *Or.* III *contra Arianos*, n. 49; MG 26, 428.—Optime etiam S. *Hieronymus*: «Diem Domini, diem intellige judicii, sive diem exitus uniuscujusque de corpore; quod enim in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur»: *Comm. in Joel.*, II, 1; ML 25, 965.

ad laevam collocati haereamus, interim occulte, usque dum, Filii hominis ad singulos et ad universos adventu absoluto, foeda peccatorum nostrorum nota in universitatis conspectu ad ignominiam nobis sempiternam inuratur. Quapropter singuli audire debemus tamquam nobis re et veritate factas, gravissimas illas atque constantes Domini cohortationes: «Vigilate ergo quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit» (1).

Atque id demum, quum fixum et immutabile perseveret, potissimum efficit ut verba Jesu aptissimam omnino habeant verissimamque sententiam. Alia possunt etiam rei momenta, minus fortasse probabilia et clara, perpendi.

Sermo eschatologicus hortationesque subsequentes (2) ipsis sunt apostolis directo factae. Jam vero apostolis pars moderatrix Ecclesiae constituitur, atque ipsis potissimum ea commisit crediditque divinus Magister quae ad eamdem Ecclesiam conservandam, amplificandam, perficiendam pertinere viderentur. Quapropter tum eos tum eorum successores maxime hortatus est ut precarentur, vigilarent, solliciti essent de omnibus istis mandatis exequendis. Mandata profecto maxima factuque difficillima: «per universum hunc mundum Evangelium propagare, cunctosque

(1) *S. Matth.*, XXIV, 42.

(2) Firmiori jure ad apostolos respicit non solum directo, verum etiam singulari quodam modo locus alius praecipuus in quo cohortatio inest ad vigilandum: *S. Luc.* XII, 40 sqq. Statim postquam Dominus parabolam protulit servorum qui redeuntem Dominum a nuptiis exspectant, et addidit: «...et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet», interrogat S. Petrus: «Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an *et* ad omnes?» Non directo quidem conceptisque verbis Dominus respondet; adhibita tamen in responsione parabola, potius indicat Domini hortationes, sive solum sive praecipue, apostolis esse factas. Sic enim ait divinus Magister: «Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, *quem constituit Dominus super familiam suam,* ut det illis in tempore tritici mensuram?». Cfr. vv 45-46 quibus etiam hic «dispensator» familiam Domini videtur habere commissam.

fideles sanctos efficere maxima, qua fieri potest, sanctitate». Ad haec exhaurienda mandata, quidquid habeatur temporis, breve est ac paene nihil. Quare D o m i n i a d v e n t u s p r o p i n q u u s e s t; nimium sane propinquus ad tanta tamque excelsa perficienda mandata! Necesse igitur est contendere, laborare, in speculis esse, perpetuo, precari ut omnia praesto sint atque ad adventum Jesu parata. Qua hora minime cogitemus, Dominus adveniet.

Quandonam autem haec hora sit futura, ignotum est omnibus; soli Patri reservatur. Beatum hunc diem, fide nixa, amore flagrans, Ecclesia Mater exspectat. Ut accelerare eum faciat, precatur et laborat. A d v e n i a t r e g n u m t u u m perpetuo clamore obsecrat (1). V e n i, D o m i n e J e s u !»

Precatur quidem Ecclesia, at laborat etiam atque connititur ut peccatores paeniteat, perficiantur justi, Gentes convertantur ad Deum «ut veniant tempora refrigerii a conspectu Domini et mittat. ...Jesum Christum, quem oportet quidem caelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium» (3). Totam porro hanc rationem, quam in agendo sequitur Ecclesia, fieri non potest quin filii teneant et imitentur; qui vicissim, fide illuminati et amore ardentes, caelum, ubi eorum Dominus praesens est, suspiciunt et caritatis sollicitudine studiisque inflammati precantur et laborant ut cito, quam maxime fieri potest, Dominus redeat atque, peccati ac morte deletis, summa cum gloria regnet: V e n i, D o m i n e J e s u !

---

(1) De eschatologica hujus precationis natura cfr. *Lebreton, La Vie et l'Enseignement de J. Xt.*, II, p. 76, not. 1.

(2) L. c., pp. 227-228.

(3) *Act. Apost.*; III, 19-21.—Cfr. II S. Petr., III, 9.

EPILOGUS

Quaeret fortasse quispiam, universa nostra explicatione absoluta, quidnam causae sit cur multitudinem illam locorum satis copiosam, quibus apostoli exhibere videntur Parusiam tamquam propinquam, silentio simus praetervecti, quum tamen verborum Domini nostri gravissima omnium explanatio et maxime pura atque incorrupta interpretatio fortasse hujusmodi loci esse potuissent.

At, quamvis mirum esse videatur, apostolorum verba saepius quam Domini nostri explicata sunt; explicationes autem majore proponuntur consensione atque constantia. Praeterea eorum explanatio non est tot et tantis obstructa difficultatibus quot et quantis quorumdam Domini nostri verborum interpretatio. Nolumus igitur res aggredi et tractare multorum jam disputatione contritas atque celebratas. Paucis verbis R. P. Dieckmann earum explicationum, quae hac in re maxime videntur probandae, summam confecit, quam describere libet quasi eorum omnium, quae adhuc diximus, complementum quoddam et absolutionem: «...ita fere sententiam et dispositionem Ecclesiae primaevae describere possumus: Aderat certe persuasio Dominum ad iudicium universale rediturum esse; tempus huius adventus esse incertum, ita quidem ut jam fieri possit primis adhuc christianis viventibus, si scilicet certa quaedam facta, a Christo annuntiata, praecessissent. Sed haec facta eiusmodi esse videbantur, quae contingere possent brevi. Hinc possibile erat Christum mox appariturum esse.

Haec possibilitas semper praesens eo magis mentibus christianorum obversabatur, quo ardentius parusia Christi desiderabatur vel ob Christi amorem (cf. Phil. I, 21: «mori lucrum») vel ob pericula et persecutiones, quae opprimebant christianos; quo saepius porro adventus Domini tamquam motivum vitae christianae adhibebatur. Paulatim tamen ipsa historica evolutione (cf. 2 Petri 3, 4: «Ubi est promissio aut adventus eius?») ardor quidem exspectationis temperabatur, persuasio tamen manebat Dominum sicut furem nocte appariturum esse (3,10) et apparere posse brevi (3,9). Et haec quidem persuasio, verbis ipsis Domini consona, semper in Ecclesia permansit, modo vivax, modo latens: «Dominus prope est» (1).

---

(1) *De Eccl.*, II, tract. III, cp. I, q. 2.ª *Schol.*, n. 706, p. 57.— Haec prudentissima sunt. Si quis tamen adderet multis e prima christianorum aetate persuasum esse non solum *fieri posse* ut Dominus brevi tempore rediret, sed etiam *probabile*, immo forte *probabilius* esse, atque ita melius quasdam loquendi formas explicari, nos quidem repugnare non auderemus.

INDEX



